THOMÆ BARTHOLINI

EPISTOLARUM MEDICINALIUM, CENTURIA IV.

Variis Obſervationibus curioſis & utilibus referta.



HAGÆ COMITUM,
Apud PETRUM GOSSE, Bibliopolam.
MDCCXL.

Th. Bartholinus

Lectori S.

PErgimus in ſuſcepto Epiſtolarum argumento, quartamque Centuriam tanto promptius exhibemus, quod priores lectæ ſint cum applauſu & expetitæ. Benevolentiæ eruditorum, qui meas nugas aliquid eſſe putant, omnia adſcribenda, nihil mihi. Reſpicio enim quid non ſum, mecumque habitare ſcio. Magnorum Virorum amicitiis, quibus gratiores mihi dies eunt, publico placere ſtudeo, operiſque tenuitatem excuſo. Hinc fructum amicitiæ perdidiſſe me exiſtimarem, ſi familiares Epiſtolas tam nitidas, tam eruditas, & non uno genere ſplendidas, ſolitudini tineiſque ſervarem. Priva-

tas Principum epiſtolas inter linteos libros olim ſervatas, exemplo D. Valeriani apud Vopiſcum didicimus. Ego principum amicorum literas, amoris officiique & eruditionis inſtrumenta, in publicum profero, æternitati ſacra, quæ ſuo cocco rubent, etſi inter mea ſint, ad nigram culinam aut cucullos damnanda:

— alios commendat epiſtola, Peccat
Qui commendandum ſe putat eſſe ſuis.

Spondeo autem, ſi verum fatearis, laſſum Te ad ſecundas Epiſtolas non perventurum. Varia enim artis ſecreta & Naturæ miranda paſſim proſtant, quæ nollem diutius carceres morderent. De reliquis diſſertationibus, quas epiſtolæ continent, & cum fama authorum & rerum Natura deliberandum. Quicquid ultro citroque tabellariorum manticas oneravit, Tuum erit, ſola judicii æquitate redimendum. Niſi fata interceſſerint, Centurias plures, ad prelum paratas, poſthæc

posthæc expecta. Possem quidem tandem desinere: at animus curiosus in otio senescente, opere pascitur, ut reliquam vitæ partem, si quæ futura, illis impendamus ad quos jucundum erit temporis negotiosi jacturam pervenisse.

INDEX AMICORUM
à quibus vel ad quos
EPISTOLÆ
In Centuria Quarta ſcriptæ.

Guido

Guido Patin Med. D. Prof. Regius Parisiensis.
Henricus Eyssonius Med. D. & Prof. Gröning.
Jacobus Holstius Med. D. & Poliater Tönningensis.
Joh. Dan. Horstius Med. D. & Archiater Darmst.
Joh. Jac. Wepferus Med. D. & Poliater Scaphus.
Johannes Schefferus Argentor. Prof. Upsaliensis.
Joh. Theod. Schenckius. Med. D. Prof. Jenensis.
Joh. van Horne Med. D. Profess. Leidensis.
Martinus Bogdanus Med. D. & Med. Bernensis.
Martinus Schoockius Med. D. Profess. Francof. Honorar. & Ser. Elect. Brand. Consil.
Matthias Jacob. Matthiades Profess. Hafniensis.
Nicolaus Cornelius Nob. Panormitanus.
Nicolaus Hoboken Med. D. Ultrajectinus.
Nicolaus Stenonis Hafniensis Med. D.
Olaus Borrichius Med. D. & Profess. Hafniensis.
Paulus Barbette Med. D. & Poliat. Amstel.
Philippus Jacobus Sachs à Lewenheimb Med. D. Poliat. Uratislav. & Colleg. Acad. Nat. Cur.
Raimundus Maria de Pistorinis Med. D. & Prof. Bononiensis.

Thomas Bartholinus.

Amplis-

Amplissimo & Excellentissimo

VIRO

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO,

In Regiâ Acad. Hafn. Professori Honorario & Facult. Medicæ Decano perpetuo, Collegæ honoratissimo.

Cùm suas, Amicorumque Epistolas Medicas publicaret.

UT doctum implesti meritis ingentibus orbem,
Et via, quâ licuit crescere, nulla fuit;
Crescis inexhaustus, dum crescere cogis Amicos,
Quos tecum in famæ publica, sponte levas;
Dum secure Tui trahis in consortia laudum,
Quicquid Apollineâ nomen ab arte meret.
Pellæo atque Tibi par gloria: solus ut ille
Sol fuerit, comites, astra minora, tulit,
Perdiccasque, Clytosque, Hephæstionasque Cleandros,
Et Polypercontas, Parmeniosque suos.
Sed nimia est Barthline *Tui vicinia Phœbi,*
Quem propiùs stellæ dum venerantur, hebent.

Olaus Borrichius.

TH.

TH. BARTHOLINI EPISTOLARUM MEDICINALIUM CENTURIA QUARTA.

EPISTOLA I.

Cur Nicotianæ pulvis oculos clariores reddat? De Lactea gelatina observatio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QUo majori me voluptate ultimæ Tuæ bearunt literæ, eo solicitum magis reddiderunt, quæ à respondendo huc usque detinuerunt impedimenta; spero nihilominus conjunctissimum mihi Matthiadem, quæ nos inter fuit familiaritas, proxenetæ munere functurum, si qua aliàs intercessione opus apud illum, cujus humanitas cum ejusdem eruditione toto

orbe

orbe decantatiſſima de palma contendit. Diſcipuli ſcripta Collegis Tuis, imo Regi noſtro clementiſſimo commendando, placuiſſe Tibi eadem non verbis magis, quam re oſtendiſti. Lætum me reddit non tam Tua in me laudando facundia, quæ tenuitatis propriæ conſcio ruborem incutit, quam propenſus, unde amiciſſimum illud prodiit judicium, animus. Vera quidem à laudato laudari laus eſt, & quis Te plures in Medicina laudis titulos meritus? Ego verò licet à candore Tuo fictum omne alieniſſimum eſſe ſciam, novi tamen Præceptorum Te conſuetudini hac in parte morem gerere. Laudant illi diſcipulorum labores, non ut iſtô præconiô dignos, ſed quo animum illis addant, & ad altiora accendant. Sic licet, quæ omnibus admirationi eſt, Tua in ſecando dexteritas facile videat conatus meos & labores in re tenui & olim tantum non ab omnibus neglecta fuiſſe occupatos, ut tamen concepta ſemel ſpes alatur, tuis ad majora laudibus ſtimulantur. Sed & digna Cedro monumenta Tua meo, quam Whartoniano, vaſculo meliorem pollicentur fortunam; ſcilicet parum Tibi videbatur noſtris me hominibus laudaſſe, niſi & univerſo literato orbi notum reddidiſſes nomen meum. Ne vero ſumma Tua benevolentia quicquam relin-
queret

queret intactum, etiam id egisti, ut de Clementia Regis securus essem. Sane, quotiescunque hæc omnia mente revolvo, in contrarias partes divisus animus nescit, majoremne ex lætissimo hoc nuntio perceperit voluptatem, an ex imbecillitatis propriæ consideratione dolorem. Unicum tamen solatium mihi reliquum, quod sperem, quas meæ opis non est referre, grates cœlum relaturum, quod tot tua promerita summa gloria & omni felicitatis genere compensabit. Quod D. Blasium spectat, ingenuè profiteor summâ me tristitiâ affectum, cum ab hujus loci Professoribus audirem, quæ illis per Juniorem Blasium à Seniore nuntiata; non causæ gratia, quandoquidem tot se mihi illico offerrent argumenta, ut vel accusatoris arbitrio electus judex quicunque salva conscientia illam damnare non potuisset; sed ipsius nomine, quo cum ea de re mihi certandum: adeoque ut nihil naturæ meæ magis adversum, quam stylum contra illum arripere, sic nec gratius quicquam erit, quam si tota res Te arbitro posset componi. Norunt hoc illi, quibus mea contra D. Blasium nota argumenta, qui me licet gravissimè ab ipso apud Præceptores accusatum, licet amarulentissimis literis provocatum, ex tanta argumentorum segete non nisi uni-

cum ab ipſius ſcriptis mihi ſuppeditatum propoſuiſſe ſæpius mirati ſunt. Mihi verò nec mordaces ejus literæ, nec convitiorum plauſtra tanti viſa ſunt, ut eorum nomine modeſtiæ limites transgrederer. Nec Deuſingii opprobria moror, qui me modeſtiam docebit: Scilicet illam ex prodromo ejus diſcam, ubi ſe non Bilſii fautorem modo, ſed & vitiorum convitiorumque ejusdem imitatorem manifeſtiſſimè prodit. De modo, quo Nicotianæ pulvis imbecillitatem viſus emendat, multa meditari temporis anguſtia non permiſit: aliis enim inſerviendo, nobis, ut par eſt, non vacamus. Quod ſi autem in arena capiendum conſilium, &, quæ ſub manu ſcribentis naſcuntur, tuo ſiſtenda conſpectui, veniam dabis, ſi in quibusdam à vero transverſum egerit præcipitantia. Cum caloris ſit minutas & faciles motu partes, quâ data portâ, diffundere, cumque Nicotianam ſubtiliſſimis ſcatere particulis manifeſtiſſimum ſit, non dubito, quin impulſi in nares pulveris vires una cum ſubtiliſſimis effluviis non modo per excretorios lymphæ ductus (qui in naribus ut copioſiſſimi, ita & breviſſimi) conglomeratas glandulas tunicæ narium ſubſtratas ſubeundo ſanguinem aggrediantur, craſſosque in eo & viſcidos humores incidendo ad excretionem aptos reddant,
ſed

ſed & per continuum punctis lacrymalibus canalem ſurſum latæ palpebram inter oculique globum ſe inſinuent, ibique ſi non aliud peragant, ſaltem obductam corneæ viſciditatem ſenſim fluidiorem reddant. Nec enim ſemper ea humoris palpebras interius oblinentis eſt limpiditas, quin aliquando immiſtæ craſſiores viſcidioresque particulæ tunicis oculi adhæreant, diſcuſſis tenuioribus: id quod beatæ memoriæ Parenti contigit ſæpius, qui Zingiberis radicem ſaliva humectatam oculis admovendo poſt uberem humoris effluxum brevi priſtinam oculis aciem reſtituebat. Scilicet ſubtiles, acutæ & calidæ Zingiberis particulæ & membranas ſtimulando lachrymas provocabant, & craſſum, qui membranis obductus erat, humorem incidendo attenuandoque liberiorem radiis aperiebant ingreſſum. Quid ſi quis opinaretur tenuiſſimas medicamentorum iſtorum partes ipſam corneam penetrare, humoresque attenuando depurandoque transmittendis radiis aptiores reddere? Credidere multi in faſcinatione ex infecti corde aſcendentes ſpiritus per ejusdem oculos una cum radiis in alterius oculos penetrare, ſanguinique ſe jungere, adeoque ſimilem ibi morbum producere, id quod in Lilii Gyraldi Dialogis me legiſſe exiſtimo, ut alios, quorum

nomina festinanti non succurrunt, silentio involvam. Quid quod & acutissimus Cartesius per easdem membranas lachrymis exitum patere in suo de homine tractatu voluerit? Quod si ergo hic lachrymis egredientibus, veteres autem ingredientibus noxiis spiritibus perviam putaverint corneam, non absonum esset subtilissimis medicamentorum particulis eandem ingrediendi facultatem tribuere; maximè cum nulla sit membrana adeo densa quin infinitis fere poris sit pertusa. Mittam tamen hoc, cum nec illa de fascinatione sententia omnibus satisfaciat, nec Cartesii lachrymas explicandi modus licet ingeniosissimus, detectis novis lachrymarum ex utraque oculi glandula prodeuntibus rivulis, ullâ nitatur necessitate, nec membranæ, licet porosæ, subtilioribus quibusvis promiscuè recipiendis aptæ reperiantur. Suffecerit Nicotianæ Pulverem efficacissimâ sui parte tum per lymphæ ductus narium excretorios in sanguinem viam quærere, tum per τρημάτων continuationem ad exteriorem corneæ superficiem ascendere; cum ex hisce duobus res tota possit explicari: namque & cornea inde munda redditur & per venas ad cor demissum medicamentum per arterias inde omnes in partes propulsum etiam ad interiora oculi defer-

defertur, & per vaſa tum ſclerodem inter choroidemque delata, tum in fundo oculi ipſoque retinæ centro conſpicua non ipſam membranæ pellucidæ ſubſtantiam modo puriorem reddit, ſed & contentos tunicis humores limpidos magis efficit. Et quid amplius ab iſto pulvere poterit deſiderari, quam ut & tunicæ & humores depurentur, craſſa attenuentur, turbida clara fiant? Requiritur quidem & conveniens cryſtallini humoris figura, ſitusque, & hiſce reſpondens pupillæ amplitudo pro lucis majore minoreve intentione varianda; ſed cryſtallini figuram vix medicamentum, facilius ætas mutabit; ſitus verò ejus pro vitrei copia, ciliariumque motu varius eſt: Foramen autem uveæ conſuetudini potius certa intuendi objecta, quam certorum medicamentorum viribus parebit. Sic minutiora legere, propius oculis objecta admovere aſſueti remotiora non diſtinguunt; nautæ contra remota ſemper proſpicientes, ſubtiliora repente oblata vix dignoſcent; hinc ſcrunt myopes, ſi iter facturi ſemper locum, unde egreſſi, reſpexerint, tandem naturæ vitium emendaturos. Scilicet muſculi naturam uvea æmulatur, quæ tamen radiorum lucis imperium potius, quam voluntatis ſequitur; quandoquidem & in me & in aliis obſervaverim admotâ candelâ, vel

radiis ſolis admiſſis conſtringi eam nobis etiam reluctantibus. Sed quid hæc ego multis? Nempe diſcipulorum eſt ſententiam ſuam Præceptorum judicio ſubmittere, ut, ſicubi Præceptorum rationes non fuerint aſſequuti, in viam reducantur. Idem mihi à Te polliceor, Clariſſime Vir, ut, ſi vel à vero aberravero, vel diſtinctè parum hæc propoſuero, Te monente, meliora ſequar. Antequam autem hæc miſſa fecero, pauca de re in propriis obſervata oculis ſubnectam. Meminit in Peireskii vita Gaſſendus, ipſum Peireskium obſervaſſe oculos ſuos exceptas rerum imagines diutius aſſervare, maximè cum à ſomno, ut ille refert, humeſcerent. Simile quid etiam mihi non ita pridem contigit, cum una cum nobil. Gerſtorphiis meis fallendi temporis ergo vitro utrinque convexo radios ſolis colligendo imaginis varietatem pro vario vitri ſitu obſervarem. Suam namque oculis imaginem fortiter adeo impreſſerat igneus ille ſolis diſcus, ut in obſcurius recedenti cubiculum & umbroſum parietem reſpicienti ipſiſſimus ille ignis in pariete rutilare videretur, ſenſim tamen evaneſcens. Nec unica tantum ſolis in oculo relicta idea, ſed quot nobis ab inſpectione ſolis in aëre volitare circuli videntur, tot ardentes notare licet globos,

ſi

ſi unô evaneſcente alterum proſequutus fueris, donec ſe in pariete ſtiterit viſum egregiè fallens flamma. Quod ſi vero luce illuſtratus fuerit paries, alii præter rutilum apparebunt colores, non jam integrum orbem, ſed exteriorem orbis limbum, vel annulum referentes: Exiſtimarem hic reſilientes ab illuſtrato pariete radios id agere, ne impreſſa ante idea diſtinctè ita obſervaretur, ut ſolet aliâs, cum umbroſum, quippe nullos reflectentem radios, aut ſane pauciſſimos, locum intuemur. Sed vereor ne nimis multa de oculo; addam duntaxat unam alteramue in abdomine canis non ita pridem ſecti oblatam mihi obſervationem. Venarum meſaraicarum trunci ſinguli circa inteſtina utrinque proximo continuati liberum ſanguini ex uno trunco in alterum dabant regreſſum, iſtaque venarum anaſtomoſis vel potius continuatio perfecta in toto meſenterio conſpiciebatur, ita tamen ut ex iſtis intermediis ductibus ſuos inteſtina omnia rivulos acciperent; in eodem cane inter renes verſus receptaculi finem albiſſima ſe gelatina in anſerini ovi magnitudinem accumulaverat, quam, detractâ nondum communi peritonæi tunica, chyli receptaculum eſſe cum admiratione ſuſpicabar, mox verò, cum nudata omnibus involucris materia non deflueret, agno-

vi errorem, remotoque glutinoſo humore ipſum ſuo locô chyli receptaculum inveniebam. Plura hiſce adjungerem, niſi tum epiſtolæ limites transgredi tum Tuâ in tyrociniis meis relegendis patientiâ abuti viderer. Quem deſideras, libellum meum à Matthiade tibi jam tum oblatum ſpero una cum Rulandi Sturmii de Febrifugo pulvere tractatu. Vale Clariſſime Vir, & favere perge

discipulo

Leidæ 21 May An. 1662.

Tibi addict.

Nicolao Stenonis.

EPISTOLA II.

Quare lumen intenſum oculis officit? De Secundinis cum fœtu prodeuntibus.

NICOLAO STENONIS Leidam.

NEcdum pro lectiſſimis Tuis obſervationibus meoque nomini inter alia inſcriptis gratias egi, quas meretur & rei novitas & tua diligentia & affectus candidus. Utinam occaſio ſe tandem aliquando offerat, ut teſtari poſſim publicè & privatim, quantum tibi hoc nomine debeam, quod

quod & Rem Anatomicam felici cultro & calamo augeas, & me ames. Quæ de naſi ductibus commentaris, parum à vero aberrare videntur, viamque nobis monſtrant ad problemata quamplurima ſolvenda, inter quæ id unum putavi, quod Nicotianæ pulvis oculorum vitium emendet, ſi per nares attrahatur. Videmus enim pulvere illo attracto ſerum copioſum exſtillare, oculos lacrymare, & tractu temporis clariores evadere, id quod in me ſum expertus. Cujus rei ratio evidens ex Tuis inventis, &, ut video, eandem in erudita tua ad me Epiſtola doctè quoque illuſtras. De ſpeciebus lucidis in oculo tuo remanentibus poſt ſolem viſum, quæſo diligentius cogita, ne cum famæ lucidæ augmento innatum lumen imminuatur. Crebris lucubrationibus accenduntur ſpiritus, quos animales vocamus, igneſcunt, unde lucis quidem augmentum, quod ſubinde à cognato ſolis lumine rapitur, & extra diffunditur, ſed tandem malo aliquo lucentes mulctat, quod in fulgoribus oculorum, quos μαρμαρύγας appellant, obſervavit in Epidem. *Hippocrates*. Vides magnæ famæ detrimenta, quæ & ſanitati officiunt, & quieti. Modum igitur ſerva, & oculis parce, ut multorum annorum ſtudiis ſufficiant. Expertus loquor, qui in eandem cha-

charybdin incidi. Nec parum cadaverosi halitus oculis, cerebro, & pectori officiunt, quos crebris animalium sectionibus pleno gurgite haurimus,

Ipsa sua Dido concidit usa manu.

Idem ille oculorum affectus spiritibus retinæ tunicæ insertis tribuitur à *Plempio* lib. 4. Ophthalm. Probl. 20. apud quem latius invenies, quomodo objecto remoto quidpiam in visu remaneat. Mihi verò commode explicari posse videtur per lapidem Bononiensem, qui calcinatus recipit lumen solis & aëris illuminati, concipitque splendorem, quem deinde in obscuro loco exserit instar carbonis accensi, quod non semel vidi, & rem totam ejusque causas fusè describit *Licetus* l. de Lap. Bonon. seu Litheosph. Forsan inæqualitati asperæ tunicæ retinæ phænomenon hoc adscribendum, quia in speculo catoptrico glabro nullæ objectorum species hærent, sed cum ipsis objectis statim recedunt. Plura aliàs, ubi otium fuerit. Jam enim funeralibus vacare debeo, quia inopinatam mortem fratriæ meæ charissimæ Catharinæ Bartholinæ lugeo. Post colicam difficilem gravida fœtum nuper masculum feliciter exclusit, qui suis membranis involutus erat, uterino hepate medium corpus cingente,

gente, qua parte in fœtu copiosæ venæ eminebant. Tam verò imperita erat obstetrix, ut, quid esset, ignoraret, donec membranæ involventis rupturam suaderem, per quam fœtum sanum prorumpentem vidit, vix respirantem, quia diutius suis involucris fuerat clausus. Rediit tamen respiratio, ejulatus & suctio, ut ad quartam horam supervixerit. Postridie Mater puerpera sudore frigido comprehensa cum extremarum frigore, ut circa meridiem beatam animam emiserit, nihil conquesta, nisi quod in dextro latere dolorem, quasi ex utero, senserit. Aliqui sinistrè suspicabantur, uterum cum fœtu excidisse, exinde decepti, quod secundinæ cum fœtu simul prodierint, id quod non rarò incolumi puerpera evenit, unde mulieres nostræ vocant, *Bornet med Huset*, seu fœtum cum suo domicidio. Aliqui ab esu largiore fragorum hæc symptomata lethalia provenisse crediderunt, nam eo tempore malè cessit quibusdam fragorum esus. Nec mirum, diuretica enim sunt & fœtum pellunt. Præterea ob æstatem præter solitum æstuantem acriori succo prædita, colicam hic excitare potuerunt, sicut in aliis diarrhœam. Ego verò malignitatem quoque adfuisse non dubito, quod febres malignæ passim in urbe audiantur.

Quic-

Quicquid ſit, optimam fœminam amiſimus, quæ triſte ſuperſtiti marito, *M. Alberto Bartholino*, fratri meo, nobisque cæteris ſui deſiderium reliquit. Da veniam luctui, ignoſce quod paginam hanc mœrore plenam Tibi offeram. Scio Te noſtro luctu affici, quem igitur reticere non potui Tibi amantiſſimo. Vale, mi Stenoni, & ſuſceptum Anatomes ſtudium, cui natus videris, porrò more tuo, hoc eſt, fervide urge in mortalium ægrotantium commodum, ſed ea tamen temperantia, ne longæ vitæ, quam opto, luminibusque officias. Hafniæ 5. Aug. 1662.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPISTOLA III.

Librarium munus.

Thomæ Bartholino Hafniam.

NICOLAUS HOBOKEN.
S. P. D.

QUæ mihi cum lucubrationibus & æternitate digniſſimis ſcriptis tuis intercedit familiaritas, me eò audaciæ provehit, ut tuos cognitioni humanæ porrò

rò locupletandæ ſacros, & deſideratiſſimos labores interpellare his inſtituam; ex ignoto (ſi per humanitatem tuam licet) notior tibi magis magisque fieri deſiderans. Ejusque voti exprimendi prima hæc copia datur per affinem tuum amiciſſimum Cl. D. Blaſium, cujus curâ benevolâ adjunctum munuſculum Academicum (ſolidioribus puta, tuæque claritatis conſpectu dignioribus, ſi Deus voluerit, ſubſecuturis præmiſſum) ad tuas pervenit manus. Quam itaque, clariſſime Domine, habe animi mei meritò officioſiſſimi, tuo ut limatiſſimo, ita æquiſſimo judicio ſubmiſsè objectam notulam: & ita, proſpera tibi tuisque ex voto omnia apprecatus, impræſens deſino. Feſtinanter ex Muſæo meo Ultrajecti, 14. Calend. Majas anni 1662.

EPISTOLA IV.

De ſexu diſcernendo in utero. De partus temporibus. De ſalivalium ductuum inventione.

Nicolao Hobokenio Ultrajectum.

BEnè precabor noſtro amiciſſimo *Blaſio*, quo parario tuam amicitiam amica manu

manu & mente oblatam merui. Tibi verò, Vir Clarissime, benè quoque ominabor, qui virtute tua & eruditione tot speciminibus publicis spectata eruditorum amicitias ambis, quibus quanquam adnumerari non possim, gratissima tamen mihi est voluntas tua, quæ & eruditis me adjungit & amicitiâ suâ dignum judicat. Ego, quid benevolo affectui rependam, invenio nihil, nisi parem animum, quem si amas, integrum Tibi spondeo. Legi inauguralem Disputationem, oppidò eruditam. In *Corollariis Physiologicis* observo, ex circulatione inventa omnem delectum venarum brachii in V. S. tolli & aboleri; qui tamen delectus etiam ante circulationis initia fuit abrogatus, & ab *Highmoro*, accurato circulationis assertore reductus l. 2. Disq. Anat. part. 2. cap. 2. Deinde nullam prædictionem fieri posse de Fœtus in utero existentis sexu, scilicet si ex *Hippocratico* Aphorismo 48. Sect. 5. ex uteri parte fiat conjectura; alioqui novi prægnantes, quæ sequiorem sexum se gestare indubiè sciunt, quando pejus habent, gravius solito est corpus, & alia frigidioris habitus indicia sentiunt. Tertiò, septimum tantum mensem & nonum pro naturalibus partus temporibus æstimari, quum non nonus mensis, sed decimi initium ab

omni

omni antiquitate laudetur pro frequentiore partu. Notum illud *Virgilii* Ecl. 4.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et decem mensibus gigni hominem à Decem Viris proditum, teste *A. Gellio* lib. 3. Noct. Attic. cap. 16. In quam sententiam ita eleganter, more suo, *Tertullianus* l. de Anima c. 37. loquitur: *Legitima nativitas fermè decimi mensis ingressus est. Qui numeros ratiocinatur, & decurialem numerum, ut exinde reliquorum parentem colunt. Ego potius ad Deum argumentabor hunc modum temporis, ut decem menses decalogo magis inaugurent hominem, ut tanto temporis numero nascamur, quanto disciplinæ numero renascimur.* Non progrediar ad menses sequentes, qui etiam suos fautores habent, ut verus esse credatur *Plinus* l. 7. c. 5. hominem toto anno & incerto gigni spatio, cui antea *Aristoteles* l. 7. Hist. Animal. c. 4. præluxerat. IV. In chyli motu & lymphæ lymphaticorum nostrorum esse nos ὁμοψήφους; Tibique pro veritate & natura defensa gratias deberi amplissimas. V. In ductuum salivalium inventione prima, nimium tribui amico nostro communi Cl. *Blasio*. Nihil doctissimo Viro detraho, quem amo laude dignum: Cæterum, ille Ductuum salivalium maxillæ inferiori inserto-

ſertorum repertor primus dici non poteſt, nec unquam pro ſua ingenuitate voluit, quippe qui Cl. *Whartono* eam prærogativam nunquam fecit dubiam, de Ductibus ſalivalibus in maxilla tantum ſuperiori loquutus pag. 64. Medicin. General. De quorum Ductuum inventione prima certat *Stenonius* noſter. Ego hujus litis arbitrium ſemper declinavi, quia uterque mihi amicus, tentavique offenſos utriusque animos potius amicâ concordiâ componere quam irritare; ſed irritum hactenus meum fuit votum, neſcio cujus culpâ. Bella enim hujusmodi inter Anatomes Scriptores geruntur

——— nullos habitura triumphos.

Forſan ſi reviviſcerent *Abenſina*, *Haly Abbas*, *Iſaacus*, apud quos horum Ductuum, inprimis Whartonianorum, veſtigia manifeſta comparent, aliquid authoritate ſua & eloquentia ad conciliandas eruditas haſce pennas poſſent conferre, quibus tamen & ipſis illud *Senecæ* De Conſol. ad Polyb. c. 36. pro amicis noſtris occinerem: *Virtus in medio poſita eſt, neminem dedignatur, qui modò ſe dignum illa judicet.* Quod & de Te, Clariſſime Vir, dictum velim, qui excelſo ingenio excelſa Reip. noſtræ literariæ promittis & ardua. Deus conati-

bus

bus faveat, detque annos illis pares. Reliqua non tango, quæ transmisisti, ne in alterutrum amicorum videar injurius, nec interim inanes literas remittere volui, ne in nascentem amicitiam peccarem. Ita vale, & me amare perge. Raptim Hafniæ 4. Jun. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA V.

Calculi ex urethra sectio.

Thomæ Bartholino Hafniam.

PEccarem in Te, nisi ultimis meis die 28. Januarii Basileæ datis has ipsas subjungerem. Imò non tantum in Te, sed & in magnum meum amicum, quem inter Societatis Jesu Theologos reperi hoc in loco. Postquam enim præterito mense Martio almæ Basileæ valedixi, atque per Burgundiam utramque (ubi in transitu Dolæ Stephanum Willet, Fœtus mirabilis Dolani Præconem, salutare animus erat, irrito tamen conatu, cum paucis ante septimanis â nimiâ curâ, qua fœtum suum (ita mihi referente Typographo Dolano) fovit, su-

peratus, unâ cum curâ vitam quoque deponere coactus fuit) salvus cum Amicis hic appuli, non tantum in Medicorum quorundam sed & aliquot dictorum Patrum notitiam veni. Ex iis Joannes Bertet, Vir humanissimus, multifariæ literaturæ, inprimis verò orientalium linguarum & Matheseos peritissimus, quem magnis seculi nostri Mathematicis ipse quoque Gassendus jure annumeravit, non tantum amicissimè me excepit, sed & quam grata sibi essent scripta Tua plurimis exposuit. Factum est inde ut, crescente quotidie nostrâ amicitiâ, per eam ipsam me hisce diebus obtestatus sit, ut primâ occasione ex Te sciscitarer, utrum Tychonis Brahæi observationes, quarum mentionem aliquam ab Excellentissimo Dn. Erasmo Fratre Tuo in præfatione quadam factam esse referebat, prelo jam sint commissæ, aut quando eædem prelum sint subituræ, & cujus operâ. Ego sanè cum Viro Humanissimo omni studio satisfacere intendam, ejus petitis lubens annui nullus dubitans quin simili facilitate mea sis admissurus petita, quibus duæ vel tres satisfacient lineolæ. Et sanè quo velocius hæ ad me properabunt, eò quoque citius amici desiderium explebunt. Sed ad Medica. Inter morbos chirurgiam expetentes, quos in Nosocomio hujus loci

am-

amplissimo tractat Medicus Experientissimus, Dn. Joannes de la Moniere Magnus meus Amicus, eodem invitante sequentem vidi, quem Tibi, Vir summe, communicare dignum judicavi. Adolescens quidam 18. annorum, ab ipsis ferè incunabulis tumore circa penis radicem duro, dolorifico, crescentibusque annis ibidem crescente laboraverat. Continebat quippe calculum, qui progressu temporis ab affluente semper materia auctus, eam tandem ante menses aliquot nactus est magnitudinem, quæ ad omnimodam Urethræ obstructionem sufficiebat. Secuta est inde dolorifica eaque difficilis urinæ excretio, egrediente solùm urinâ per foramen sinuosum in ipsâ calculi medietate excavatum. Quare mulierculæ uberiorem seri excretionem molituræ, nasturtii herbas ægrotantis applicuêre aqualiculo. Irritata diuretico hoc potenti natura, ruptis subtus ad radicem penis, & hujus, & urethræ membranis, ipsisque communibus integumentis, suppressæ urinæ præter priorem aliam adhuc monstravit viam, eamque cùm per calculi foramen & penem, tum per apertum ulcus deinceps expulit. Hinc sub initium Aprilis anni hujus 1662. in Nosocomium istius Urbis deductus æger, curæ Excellentissimi Monierii commissus est. Iste postquam

ſectionem omninò neceſſariam eſſe cognovit, præparato debito more corpore ægri, operationem Exercitatiſſimo Noſocomii Chirurgo Dn. Poulet commendavit. Hic factâ præſente Medico ſubtus in pene circa radicem oblongâ inciſione, ſcrotum quoque ex parte attingente, calculum oblongum, ſinuosè pervium, ovi columbini magnitudinem pollicisque craſſitiem longè ſuperantem, & unciæ mediæ pondus æquantem, calloſâque membranâ undique cinctum, feliciter extraxit, hoſpitemque iſtum, præter hoſpitis voluntatem ſatis diu moleſtum, cum ſummo ægri ſolamine in poſterum exeſſe juſſit. Ego tertio poſt ſectionem die, cum prima vice à Cl. Monierio invitatus Noſocomium intrarem, ægrum benè conſtitutum vidi, nec ullum accidens hactenus eum afflixit. Vulnus jam ferè coaluit, calloſitate dictâ oleo Nitri Cl. Medici juſſu ferè abſumta, ita ut ſpes citæ ſanationis ſuperſit ampliſſima. Figuras utriusque lateris calculi, amicâ manu delineatas, hiſce cape. Mira ſane eſt res, calculum adeò grandem non in veſica ſed extra eam in urethra productum eſſe. Cl. Monierius credit adeſſe vitioſam urethræ conformationem, vultque à primo ortu ſinum quendam in urethra efformatum fuiſſe, cui ſe urina (quam cum Hel-
mon-

montio calculi causam esse credit) sensim sensimque insinuarit, & coagulata in lapidem degenerarit. Ego quamvis Amicissimi Viri sententiam nunquam reprobarim, pro sinu tamen illo porum Prostatæ dextræ, in urethram ad penis radicem circa vesicæ sphincterem patulum, haud absurde substitui posse conjeci, ob commodiorem materiæ calculosæ (quæcunque tandem illa sit) delitescentiam. Sed nimius fui in enarranda historia, talis tamen esse volui cum rara mihi sit visa atque insolita. Salutant Te officiosissimè Viri Cl. Monierius & Meyssonnierius, quorum iste Elementa sua Medicinæ Tibi mittenda mihi concredidit. Vale Patrone Colendissime, & observationum Brahæanarum memor mihi fave. Dabam Lugduni ad Ararim die 24. Maii 1662.

Excellentissimi atque Magnifici Nominis Tui

Cultor indefessus

Georg. Segerus.

EPISTOLA VI.

De Obſervationibus Tychonis. Sedes calculi in urethra. Hemicrania in nephritide.

GEORGIO SEGERO Lugdunum.

QUanquam ubi pedem jam figas, ex quo Baſileam, humanitatis ſedem, reliquiſti, ignorem, committere tamen non volui, ut reſponſio differretur, quam urges in gratiam Celeberrimi *Berteti*, immenſæ pariter & profundæ eruditionis Viri. Scias igitur, Obſervationes *Tychonis Brahæi*, Atlantis noſtri, manu propria exaratas, propediem lucem viſuras ex Muſæo Auguſto Sereniſſimi Regis noſtri, operâ fratris mei *D. Erasmi Bartholini*, Matheſeos & Medicinæ Profeſſoris Regii. Ingens diuque deſideratum opus penè periiſſet, niſi in Auguſtas has manus incidiſſet. Fama fert, alibi inceptum eſſe ſimile opus, ſed cum hoc Manuſcripto conferri non poſſe, quod eapropter magno deſiderio à curioſis cœleſtium rerum amatoribus expectatur. Spero prima occaſione juſſu Regio fratrem laudatum commiſſi operis initium facturum, ut ab interitu vindicetur immortale multorumque annorum elaboratum vel congeſtum volumen. Magni erit laboris, vaſtos iſtos libros MStos, lituris

hinc

hinc inde lectu difficiles, & confusos, in ordinem redigere, & describere. De felici tamen eventu dubitare nemo debet, quia fratri in his sacris versatissimo nihil tam arduum, quin perficere possit. Cœpit cum Bibliopolis transigere, & cum Typographo calculum ponere. *Joannis de la Moniere* amicitiam Tibi gratulor. Vir est in Medicis Observationibus diligens, sicut ex libello ejus olim edito *de Fluxu Dysenterico* perspexi. In casu vero proposito calculi in urethra contenti, juxta tecum non credo sinum à primo ortu efformatum fuisse, potius à calculo productum, qui sensim increscens spatium sibi idoneum confecit, sicut in aliis corporis partibus, in quibus calculos observamus. Causa autem hujus calculi, non est urina, sed Tartarus in urina contentus. Sine sinu naturali in urethra posse calculum detineri, docemur exemplis cottidianis. *Zacutus* observationem suam addit l. 2. Prax. Adm. Obs. 67. Chirurgus enim quidam peritus impacto in medio virgæ lapide 15. diebus habuit urinam suppressam, quæ nullis auxiliis potuit effluere. Post mortem, secto pudendo, inventus est lapis magnus, rotundus, durissimus, rubri coloris, aculeis undique in orbem constans, pondere granorum 45., qui, larga prius se-

 quuta

quuta hæmorrhagiâ, hominem jugulavit, quæ sanguinis effusio sequuta non fuisset, si in sinu aliquo calculus delituisset. Beneficium laborantis lotii fuit, quod per apertum ulcus fluere potuit. Solent eo loci in calculosis ulcera nasci. *Platero* enim teste l. 3. Obs. sectio facta eo in loco, ubi calculi è vesica extrahuntur, desperata ulcera sordida in penis ductu interno patefecit. Ibidem natura viam exituro lotio pandit. *Horstio* enim Seniori si credimus l. 4. Obs. Singul. p. 2. Obs. 16. infans penem perforatum non habens, urinam per foramen à natura sub scroto, eo loci, ubi calculi vesicæ per sectionem eximuntur, efformatum, voluntariè emisit. Tua quoque conjectura explodi non debet. Porus enim Prostatæ ampliatus potuit & calculum continere & urinam supprimere. Observavit quippe *Riolanus* l. 2. Anthrop. c. 28. in suppressione urinæ glandulas Prostatas tumefactas, vel scirrhosas. Et *Rhodius* noster Cent. 3. Obs. 27. cum *Fabricio Bartholeto* Pisis vidit in corpore glanduloso à semine retento genitum fuisse calculum, quo vesicæ orificium comprimente, urina fluere desiit. Imò in ipso testiculo calculum invenit *Platerus* lib. 3. Obs. Sed quia circa calculosos versamur, miror observatam in nonnuliis hic Hasniæ calculosis ejus-

ejusdem lateris hemicraniam, qua parte renum calculus ſe urinæ viis oppoſuit doloremque fecit. Vidi id apud amicos duos. An ſero in caput reſtagnanti id imputandum, vel membranarum ejusdem lateris ille ſit conſenſus, non vacat jam expiſcari. Convulſionem minatur *Hippocrates* l. 1. Præd. §. 120. ſi veſica ſit intercepta cum capitis dolore. Forſan quia nervorum principium ſerum interceptum inundat. Alibi quoque idem §. 106. lumborum & capitis & oris ventriculi dolorem jungit. An membranarum ibi ſit vel nervorum conſenſus, ipſe divinabis, cui genius Coi eſt notiſſimus. Cl. *Meyſſonnierium*, amicum veterem, officioſè ſaluto, cujus Elementa Medicinæ nervoſiſſima advenient cum applauſu Magnos Viros *Bertetum* & *Monierium* magnifacio, & diu valere jubeo. Tu quoque, mi Segere, optime vale, & quocunque iveris, ito bonis avibus. Hafn. 20. Jun. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA VII.

De Thermis Germaniæ.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

IN culo Germaniæ (ignoſcant Najades!) ob valetudinem ſiniſtram Conjugis meæ dilectiſſimæ conſtitutus, & à vaporibus tepidis laſſus penitus, convalui, viresque & animum recepi ad adſpectum Excellentiſſimi Oſtenfeldii, Viri optimi & ſeriò docti, atque penſiculatius eruditi. Amicum colloquium, Tuaque Salutatio amica ſuppetias tulerunt refocillationi, maximè quod ex voto uſus thermarum Domino Oſtenfeldio ſuccedat, cui ſuaſor ſum, ut abſoluto hoc labore ad acidas Swalbacinas veniat & viſcera refrigeret ac alteret, cum non rarò atoniam videamus partium ſequi balnea. Nuper caſum ſingularem pollutionis miſi T. Excell. an acceperit, aveo ſcire. Sum enim & maneo addictiſſ.

Embs. 29. Maji 1662.

J. D. Horſtius.

EPI-

EPISTOLA VIII.

Aquarum damna.

Joh. Dan. Horstio Embsium.

GAudeo quod tantos meos amicos Najades junxerint, multumque illis debebo, si salvum sanumque utrumque remiserint. Ut & Tibi & Ostenfeldio nostro salutaris sit usus aquarum ex animo voveo. Nobis quidem aquarum est copia, sed sæpius in illis suffocamur. Nuper enim Medicus Nidrosiensis D. *Janus Naschovius* in puteum delapsus obiit. Vestræ Najades salutari vos aura afflant & undâ perluunt, quibus perpetuitatem opto. Pro *Straussii* Appendice gratias ago per Hauboldum missa. Casum pollutionis singularem necdum accepi, forsan in itinere adhuc hærentem. Gratus nobis omnibus erit adventus filii Tui, quandocunque suscepti itineris ratione ad nos pervenerit. Feriamur penè donec ad editionem Epistolarum circa Autumnum nos Typographus vocaverit. Mense Septembri in publica Auctione distrahentur libri b. m. *Bangii*, quibus Cl. *Rhodii* plures accedent. Nudius tertius dissectioni Aneurismatis interfui. Eodem ferè die cadaver puellæ lustrabatur, quam largior Aquæ Cephalicæ

Caro-

Carolinæ potus jugularat. Hiſce vale cum optimo noſtro Affine & Collega D. D. Oſtenfeldio, meque amare perge. Raptim Hafn. 14. Jun. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA IX.

Pro Hepate Defuncto gratiarum actio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

EXoptatiſſimas pridem à T. Excell. literas accepi, ingenui quo refulges candoris teſtes, quas intimo animi affectu excepi, exoſculatus humanitatem: Gratiſſimum quoque fuit eruditum illud tuum Hepar Defunctum, quo meo nomini affudiſti ſplendorem. Ut illis in Tuæ amicitiæ ſinum me humaniter excipis, ſic erudito hoc ſcripto improbum illum ac perſonatum Defenſorem Clariſſimi nominis Virorum, defenſoribus id genus haudquaquam indigentium, in ſuo ſcelere confundis. Nil gratius mihi potuiſſet accidere præ tanto beneficio, quo mei defenſionem abundè præſtitiſti, ac doleo ex animo, quod paria

non

non inveniam, quibus queam ex voto amicitiæ illi Tuæ candidissimæ respondere. Saltem animus non deerit, qualem queas desiderare, quodque operi negatum, id affectus supplebit. Si animo mecum amicitiam metiaris (quæ genuina hujusce mensura habenda est,) allaborabo pro viribus, ne amicitia me vincas; si veritas inquirenda, à Te, Vir Inclyte, longè malo superari, quam cuiquam videri pertinaciæ studuisse. Nec sanè quicquam ulterius adderem Defuncto Hepati, nisi candidum me ipse esse juberes, qualem hactenus observasti; nisi ipse censeres amicitiam nequaquam indagine veritatis inter Bonos turbari; nisi me dissentire porrò juberes, pro veritate quærenda, illæsâ amicitiâ. Parui ergo Amico, ac dubia nonnulla in majorem ipsius gloriam notavi, quæ Typographi culpa Exc. Tuæ nondum exhibeo: hoc agere studui, ne videar cuiquam in Bilsii gratiam, (cum quo mihi hactenus ne literarium quidem commercium intercessit,) vel cujusquam mortalium, à magno Bartholino dissentire voluisse, cui præfero nihil ad Rempublicam nostram literariam attinens, præter unam veritatem, si queat inveniri; quam Deo vicinissimam præferre rebus mortalibus soles. Odi genus id hominum, idque Tecum detestor, quod ob

ob ſtudium veritatis, in veritatis ſtudioſos; ſi forte ipſorum ingenio non congruant, acerbè invehitur: A fonte Veritatis id longe remotum eſt! De perſonato Blottefandæo, ac ſociis illius, (quamvis unus famoſi Libelli ſit Autor) non eſt quod Tibi, Vir Excellentiſs. multa commemorem: Autoritate publica infamis declaratur, ut ex adjectis cognoſces; ac vidiſti infamis Autoris imaginem, ipſius manu depictam, quam certe nec ipſe Apelles exprimeret accuratiore penicillo. Qui ejus Libellum famoſum volverunt Viri cordati, uno ore pronunciant, eſſe probum Nebulonem, qui vivat in mundo ſine Deo, ſine conſcientia. Reſponſum is quidem nequaquam mereretur, niſi res ſacras profanaret, atque impii oris fœdiſſimis ſordibus ipſimet veritati officere nebulam pro virili allaboraret. Eatenus retundendus eſt: quod larva ipſi utcunque detractâ præſentibus hiſce, quæ offero, agreſſus ſum. Parata jam pridem ſunt reliqua omnia, prelumque expectant. Dabis veniam, Vir ſumme, quod tardius reſpondeam. Senſiſti procul dubio multoties meum animum T. Exc. præſentem: Sed manum cohibuit occaſionum defectus. Speraveram primum Nobiliſſ. & Ampliſſ. Dn. illum, qui Tuas attulerat, ex An-
glia

glia hac ad vos rediturum; Sed frustra speravi: Post inscio me planè D. D. Romelingius discessit. Interim animum Tibi, Excellentissime Vir ac colendissime Amice, in amicitiam inviolabilem sacratissimum gessi: quam velut à Tua admisi dextera; sic mentis indice hac dexterâ sincerâ Tibi vicissim obstringo. Vale, inclytum decus Reipublicæ literariæ, Candidissime Fautor, & Amice suspiciende; ac, quod agis, porrò favere perge tuo

Excellentiæ Tuæ

omni fide, observantiâ, studio ac candore devinctissimo

Gröning. Cal. Jun. 1662.

A. Deusingio.

EPISTOLA X.

Responsio consolatoria.

ANTONIO DEUSINGIO Gröningam.

NImio officio me dignaris & honore, ut nesciam quibus verbis id rependam. Amicè me in Dissertatione eruditissima de Hepatis officio in arenam provocasti; amicè ego, sicut par erat, provocatus respondi,

& si maledicta rependissem pro amica Tua voluntate & sincero affectu, qui ubique eluxit, maledictis omnibus dignus essem. Non ea est, fuitue mea indoles, ut amicos ulla injuria afficerem, aut dato studio inimicos venarer. Sponte sua inimici luxuriant, sicut in hortis urticæ, curiosisque artibus advocandi non sunt, sed depellendi. Verum enim est Italorum proverbium: un inimico è troppo, ma cento amici non bastano. Magnos thesauros colligunt quibus plures amicitiæ, eæque haud fucatæ. Tu vero, Magne Deusingi, magno beneficio me beasti, quia amicum Tibi esse voluisti, & majori, quod candidum esse credidisti, nec falsas suspiciones admisisti illorum, qui de mea integritate fortasse sinistrius judicarunt. Cruce infelici digni sunt, qui amantes non redamant, vel qui sub amicitiæ specie odia fovent. Bonum igitur factum, quod amicitiam mutuam sinceritate stabiliamus, valeantque qui inter nos diffidia volunt, nulli profutura. Nam si rectè calculum ponimus, pretioso tempori tempora nostra debemus, neutiquam altercationibus sed rebus seriis impendenda. Nollem Te, mi Deusingi, nimium defatigari prolixioribus Apologiis. Majoribus es natus, & utilioribus præclara Tua penna inserviat. Impera Tibi ipsi constantiam, & animum
fir-

firmum. Quod tantò majore fiducia Tibi suadeo, quanto innocentiorem credo amicum illum meum, quem sub anagrammate suspectum habes, singulari eruditione & modestia mihi perspectum. De reliquis securum Te esse jubeo, constantem me futurum in amicitia & candore, nec unquam commissurum, ut cum opinionum diversitate dissentiant quoque officia: quanquam nec in opinionibus ullus futurus sit dissensus, si quicquam ex eruditionis Tuæ penu depromseris, quod Hepati inserviat. Nunquam tanti mihi erunt Hepatis partes, ut vel veritati obstrepem, vel Te amicum omni officio demerendum offendam, si quidem offendere sit dissentire. Plura adderem, sed excludor angustia paginæ, pluribusque & gratias agerem pro eruditi Oeconomi erudita Apologia, & pro dextra in fidem perennaturæ amicitiæ mihi tradita, sincera mente mihi semper exosculanda, sed quod chartæ deest, supplebit animus Tibi Tuisque virtutibus addictissimus.

Hafn. 15. Jul. 1662.

Tui
Th. Bartholini.

Impress. Groningæ 1662.

EPISTOLA XI.

Anatome rustici ex pugno pectori inflicto mortui.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

EX Hauboldi subolfeci literis, quare ad meas non dederis responsum, ne forsan nuncium triste diceres, quo tamen ab Hauboldo non sum perturbatus. Refert meam chartaceam supellectilem belli tempore Helsingoræ à Magni nominis Sueco Ministro direptam. Si factum est, fateor jure factum esse. Justum, ut pœnæ partem exsolvam, quod apud vos peccavi. Leve est, quod Deus misericors mea tantum censuit levissime, nec me ipsum corripuit. Si indicas istius Suecici ministri nomen, non deerit in talem in commoda materia animus vindex. Transmisi tibi Decadem observationum Chirurgo-medico-anatomicarum, indigent luce, retine inter lares privatos. Communicavi Doctis Viris casum alium nostri Magistratus jussu, sed qui respondeat, nemo domi est. Habes exemplar. D. Segerus hac de causa cum hic degeret, convenit meos Collegas, opusculum hac de causa conficio. Discessum luxisti mei Fuirenii publicè, istum lessum & Disputationes me absente à Te editas adde

Hau-

Hauboldo cum inaugurali D. Oſtenfeldii Diſputatione, libentiſſimè exemplar etiam ad has oras debet transmittere. Segerus à me habet monſtrum depictum pro Te; aliud addidiſſem, ſed properabat. Legi tuam Epiſtolam contra *Zaſium* Bilſii mangonem. Ego propediem ſub ſalis hepatici nomine hanc rem tractabo, & ſulphuream cordis αἱματοποίησιν defendam. Mumias etiam ſervandas indicabo. Polypus cordis iſte optimam præbet occaſionem, in utroque ventriculo viſus. Habemus in Bongarſii Bibliotheca mumiam Frabritii Hildani, quæ venas arterias cum valvulis, & nervos totius corporis non in tabula monſtrat, ſed libere cum cerebro, corde, hepate &c. modum neſcio, eum tamen inquiro, & ſi inveniam in ſcrinio ejus, propalabo ipſum. Extant Opera Ruffi Epheſii Græcè MSS. quadratis literis in dicta Bibliotheca Bongarſii. Si habes ea impreſſa, indica ubi & quando. Vidi Turnebi apud Stephanum Pariſiis, ſed non habeo. Paro ex tua Reformata Anatomia quid anonymi in anatomicis, & alia plura, ſed praxis iſta impedit, quod reſcies ex D. Segero. Affligit nos Petechialis epidemica, peſtem veremur, ſi Ephemerides, quas paro, bene calculum ponunt. Salomon Rex te ſalutat. Nemo veſtrum reſpondet, nec D. Heſſius

nec Meibomius. Vale cum tua nobilissima familia prosperrimè in Deo, & fave etiam meæ ad rigidas Alpes, quæ te salutat & Deum orat, ut te orbi literario servet sospitem diutissimè. Bernæ 10. Junii 1661.

T. T.
M. Bogdanus.

Casus.

ANni 1662. Martii 26. ante meridiem hora nona *Peter zum Kreutz* rusticus ebrius, ætatis consistentis, ex pugno pectori inflicto, supinus sternitur. Extemplo conqueritur de frigore, dolore lumborum, ita ut ægre deambularet, attamen ejus diei vespera extra urbem ad suam familiam se confert, quæ sesquihora distat. Decubuit, sanguinem spuit, punctionibus gravissimis in utroque latere excruciatus, sitis ingens, & tandem mentis vacillatio adfuit, quam excepit convulsio, & mors 30. Martii hora ipsa meridiana.

Visitatio.

Jussu nostri Illustriss: Magistratus Bernensis cadaver inspeximus, & quid exterius, quid interius apparuit hoc modo notavimus.

Dor-

Dorſum à ſcapulis ad lumbos lividis longiusculisque maculis, quaſi vibices verberum eſſent, notamus, quæ novacula inciſæ, nulla veſtigia ſuffuſi ſanguinis, & ideo coagulati præbebant. Pudenda livida etiam gangrænam quandam innuebant. In ſiniſtro cubito circa Olecrani protuberantiam ex ecchymomate ſanguinis, quod ex baculo ferebatur adeſſe, livor, ſine tamen oſſis fractura, luxatione articuli, & carnis diffiſſione. Fœtor tantus, qui nec ſuffitu odorifero, nec igne inflammante poterat emendari.

Aperto abdomine, hepar, lien, ſtomachus, renes & inteſtina omnia ſalva luſtravimus, in figura, colore & ſitu, niſi quod inteſtina flatibus turgebant.

In thorace externe ſub mammilla dextra uncialis nummi macula livida, ex memorato pugno aderat, ſine effuſione ſanguinis itidem, vulnere, fractura, ſine luxatione coſtæ, ſine totius compagis, quæ ſternum dicitur, læſione: Dum intimum thoracis clauſtrum inſpicimus, omnia contenta, quaſi fumo fuſca forent, viſa ſunt, & utriusque lateris pleuræ pulmonis lobi firmiſſime hærebant. Pulmo ſiccus, & lividis notis interſtructus in ſuperficie. Intus putidus, & quaſi pus ſiccatum apparebat.

Cor vitæ princeps & moderator, illæso pericardio & ejus aqua, omnino flaccidum. Cum dextrum ventriculum ferimus, apparet materia ſubalbicans, pancreati omnino ſimilis, dum iſtam trahimus, ſemiulnam vel quinque digitorum latitudinem æquat & duos transverſos latitudine. Sanguini coagulato, qui ex vena pertuſa in ſanis & pelvi exceptus concreſcit, ſimilis. Cum tamen ſimile quid veræ pinguedinis interſperſum eſſet, cum tenacitate, quod nec unguibus cedebat, diverſum quid judicavimus. Ventriculus iſte præterea ſanguine putrido, id eſt ſine fibris, ſcatebat. Dum ſiniſtram cordis foveam ſcrutamur, ſiquidem dextro thalamo ipſa nobilior audit, etiam parem in ea materiam & longitudine, & viſciditate reperimus. Ex his cordis polypum dicimus, & uterque ponderabat ad minimum uncias quatuor. Caput etiam apertum, ſed nulla offenſionis nota, vel in cute vel pericranio, vel ipſo cranio & meningibus comparuit.

Quæſtio.

An jam iſte *Peter zum Kreutz* propter verbera, vel ex eorum caſu, vel morbum ſecutum mortuus ſit?

Reſpon-

Responsio.

Si ætas, temperamentum siccum, vita laboribus rusticis assueta & dedita, calidior veris præsentis constitutio, & in hoc casu ebrietas & dispositio nobiliorum viscerum expenduntur, sine ullo vulneris lethalis indicio, & circumstantiis incognitis, incusare morbum malignum pectoris possumus, qui pleuropneumonia dici potest ob συνδρομὴν symptomatum. Etsi supinus ex percussione cecidit, & extemplo dolorem utroque in latere pungentem cum lassitudine spontanea percepit, cum tamen nec consilio, nec auxilio Medici usus sit, sed frigoris molestiam symptomata narrata cumularunt in ebrio irato, indignabundo, vindictæ cupido, difficulter proxima mortis causa à nobis potest definiri, vel ex his certa nota, quæ vel reum vel mortuum ipsum inculparet. Viscera pectoris omnimode læsa, etiam à majori tempore causam indicant. Sit causa concomitans lapsus, ebrietas, iracundia, vindictæ cupido, quæ omnia facile abditas & latentes causas irritarunt & explicarunt: attamen intolerabilem fœtorem, vibices in dorso sine sanguinus coagulati præsentia, & pudenda livore circumfusa, neutiquam nudius tertius potuerunt causari. Equi-

 dem

dem olecrani regio suffusa quidem sanguine erat, & ictum majorem quam ullibi monstrabat, est tamen sine luxatione fractura, & vulnere, nec cum his, tanti habenda esset, præsentibus. Quot hujusmodi plagas non sufferunt, sine discrimine vitæ? Itaque dictus putor ex maligna putredine pullulavit, ejusque characteres maculæ, lividæ; quæ, etsi in nullo ægrotantium adhuc à nobis observatæ sunt, forsitan summo cum infortunio se primum in hoc mortuo explicarunt. Hujusmodi pleuropneumonia Medicis maxime cognita est, quæ neutiquam præsupponit ejusmodi procatarcticas causas; sed contagium, aut victum, aut coelum hac hyeme huic regioni diversum; & pro synectica habet peculiarem malignitatem, & sanguinis corruptionem. Optime hic memorandum, quod Valerius Maximus lib. IX. c. XII. reliquit: *Fine namque vitæ nostræ variis & occultis caussis exposito inprimis quædam immerentia supremi fati titulum occupant, cum magis in tempus mortis incidant, quam ipsam mortem accersant.* Itaque putamus, quod verbera & lapsus dici possunt mortis caussa, sed remota: ast primaria & proxima neutiquam. Nulla observata est fractura, contusio, vulnus, nec sanguinis aliqua profusio

ſio in cavitate Thoracis. Materia (ſeu purulentam ſeu polypodeam vocamus) in Corde à nobis animadverſa, alicujus venæ diairesin teſtari poſſet, ſed omnes venas cordis ſalvas vidimus, tum etiam eas, quæ in modum coronæ cor ambiunt. Itaque coagulatio iſta à caloris p. n. vehementia provenit, ſeu ut clarius ex neotericis dicamus, abſumpto ſulphure ob tantum febris æſtum, non tantum fœtor & putredo excitata, verum etiam ſal coagulandi virtutem exercuit. Hac de cauſa ſanguis reliquus ſine fibris lychnum vitæ alere non potuit, quod, cum ſal omnis ad cor confluxerit, quo reliquæ partes deſtitutæ, hujusmodi fœtorem conceperunt, & exhalarunt. Pulmonum lobi, utrique lateri affixi non per fibras, ſed per gluten, intus purulenti, exſuccique eandem pleuropneumoniam confirmant, & ex eadem deliria ſeu paraphrenitin, convulſionem & ſuffocationem. Hoc modo juſſi caſum ex noſtræ medicinæ fundamentis exponimus, &, ſi opus duxerit Illuſtr. Magiſtratus, etiam ſcholiaſtæ aderimus. Neutiquam, quo leges hujus reipubl. præoccupemus, vel ſapientiſſimorum Patrum hujus urbis prudentiam & quantum mores valeant præponderemus: Sed quo cujusvis conſcientiam firmemus; præſertim

tim noſtram. Quam etiam Doctiorum cenſuræ, & veſtræ Illuſtr. Patres ante omnes cum hoc ſcripto ſubdimus. Bernæ Helvetiorum 4. Aprilis 1662.

Joh. Chriſt. Wilhelmi. M. D.

Mart. Bogdanus M. D.

Abraham Andres Chirurgus.

EPISTOLA XII.

De editione Ruffi Epheſii. Et alia.

MARTINO BOGDANO Bernam.

AMo Te, quod aurem ad ſcribendum vellices. Segnior ſubinde eſt calamus, non animus, Tibi ſemper addictiſſimus. Chartaceam tuam ſupellectilem Helſingoræ nonnihil imminutam, mihi conquerebatur Bramii in thalamo ſucceſſor, à neſcio quo Sueco in comitatu Illuſtriſſimi Senatoris *Roſenhani.* Transmiſſæ obſervationes Chirurgo-Anatomicæ gratiſſimæ venerunt, commodeque inter Centurias meas locum invenient, quia limatæ & eruditæ, h. e. *Bogdano* meo dignæ. Caſus à Te & Cl. *Wilhelmo* ſignatus accuratè, pro vero ſe facile commendat.

Sæpe enim externa accidentia internas caufas fufcitant, quod prioribus annis hic vidimus in fabro *Gyldenlovii*, cujus mentionem feci in *Cifta Medica*. Monftrum depictum procurante *D. Segero* noftro, qui Lunæburgi adhuc commoratur, rectè cum tabellario accepi. Quæ de cordis αἱματοποιήσει meditaris, digna erunt publica luce, rogoque ne diu inftitutum hoc differas. Nuper in Zelandia monftrum natum fine corde & cerebro, unde aliquid pro hepate ibidem meditatur *D. Everardus*, eo quod ad hepar ejusdem, duobus ventriculis inftructum, venæ omnes commeent. Sed non credo exinde quicquam poffe effici, fiquidem monftrum eft, & hepar monftrofum cavitates à corde videtur mutuatum. Quæ de novis ductibus falivalibus & narium commentatus eft *Stenonius* nofter, fine dubio vidifti. Bononiæ *Malpighius* in Obfervationibus novis, pulmonum fubftantiam infinitis veficulis conftare docet. Quartùm jam Anatomiæ Reformandæ accingor, expectantque Bibliopolæ Belgæ magno defiderio correctum à me exemplar & novis noftris obfervationibus accommodatum. Ex *Ruffo Ephefio* quædam habeo MSta, ex Bibliotheca Medicæorum Florentina, ubi nonnulla funt quæ differunt ab illis, quæ edidit *Tur-*

Turnebus, nonnulla prorſus ſunt inedita. Ex editis nihil penes me eſt, præter illa, quæ operi Medicorum Principum Pariſiis apud *Stephanum* annectuntur. Turnebi editione adhuc careo, quæ prodiit Pariſiis 1554. in 8. Ejusdem de Appellationibus Partium Corporis librum à *Junio Craſſo* latinitate donatum Venetiis 1552. in 4. editum Bibliothecæ publicæ legavit beatus noſter *Fuirenius*, cum reliqua ſupellectile libraria, cujus catalogum beneficio *Th. Fuirenii*, cum aliis per Hauboldum mitto. Nos quod concernit, benè adhuc valemus cum familia tribus filiis aucta, totidemque filiabus. Ad plures verò abierunt *Bangius*, *Spormannus*, *Pfeiffius*. Te valere & ſedem Bernæ elegiſſe omnes lætamur amici, qui Te cum familia & amico veteri *Salomone Rege*, ut & Cl. *D. Wilhelmo* officiosè ſalutamus. Frater *D. Erasmius* hiſce diebus filium ſuſcepit, ideò reſpondere non poteſt. Dn. *Meibomius* Bibliothecæ Regiæ præeſt, nuper auctæ libris Gerſtorphianis. Urgebo tamen reſponſum, quamprimum licuerit. Hiſce vale, amiciſſime Bogdane, & me prorſus tuum amare perge. Hafn. 22. Aug. 1662.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XIII.

De Liene magno Comitissæ.

Thomæ Bartholino Hafniam.

SIngularis humanitas Exc. T. qua olim Patavii prolixe fruebar, & quam nuper Scaphusii apud me communis noster Amicus Exc. D. D. Segerus abunde deprædicavit, tantum mihi nunc animi addunt, ut Exc. T. tanta locorum intercapedine disjunctam & gravissimis negotiis occupatam incomptis literis compellare ausim. Idque majori fiducia facio, quod mihi Exc. T. pietas perspecta sit, quæ ægris, cæteris hominibus miserioribus, & succurrere novit & re ipsa prompta dexteritate facilem manum præbet. Illustrissima Domina Comitissa Francisca Elisabetha à Furstenberg, Illustrissimi Domini Ferdinandi Friderici Conjux, circa 30. ætatis annum Anno 1655. Mens. Sept. Viennæ post largiorem melonum esum, insuper epoto vino glaciato, cui tamen assueverat, incidit in febrim intermittentem nullos certos typos observantem, nunc enim simplicis tertianæ modo, nunc duplicis, nonnunquam quotidie bis paroxysmus invadebat. Post aliquot septimanarum decursum febris evanuit: at remansit Tumor in hypochon-

pochondrio ſiniſtro indolens locoque mobilis. Judicabatur ejus generis tumor, qualis poſt febres, inprimis anomalas, in hypochondrio dextro ab epota largius frigida deprehenditur, quem quibusdam in locis Epatis placentam vocant, atque hoc nomine tumor iſte non magni fiebat neque ab Illuſtriſſima Domina neque à Medicis; imo penitus, quod equidem ſciam, negligebatur. Biennio à febre depulſa elapſo denuo concepit, nam aliquot prolium mater eſt; Circa medium geſtationis tempus diu maximo labore, ſingulis mane pituitoſa copioſe evomuit; quin etiam tum temporis menſes impetuoſe ſatis eruperunt, ut omni ingenio ſupprimendi fœtusque conſervandus fuerit. Dum fœtus in utero crevit, tumor ſurſum coſtas verſus adauctus fuit, non ſine dolore, qui ſæpe tantus erat, ut lectum petere cogeretur: quamprimum recubuit, dolor protinus evanuit. Stato partus tempore promptius ac unquam puellam enixa eſt, quæ adhuc ſana & vegeta vivit. Excluſo fœtu & ſecundinis, tumor iſte cum impetu quodam deorſum pubem verſus ruebat, ut Illuſtriſſima Domina vel uterum prolapſum, vel peritonæi proceſſibus laxatis herniam inteſtinalem ſibi obtigiſſe vereretur: Verum illa in lectum collocata nihil tale nec
tunc

tunc nec hactenus animadversum fuit. Lochia rite fluxerunt. Post puerperium aliquandiu menses inordinate & cum fœtore emanarunt. Anno 1660. post dies caniculares Thermas Helveticas adiit: earum usu finito mensium fluxus debitus rediit ac paulo post iterum concepit. Verum nondum finito quarto mense, ob casum, abortum passa est. Ab illo tempore sentiit tumorem crescere citra notabilem actionum læsionem aut manifestum aliquod deterioris valetudinis indicium. Anno 1661. æstate acidulas Riplisavienses bibit, cum ex Celsi sententia ferrata lienem imminuant; Earum potum commode pertulit, indeque spem integræ valetudinis concipiebat: Verum nondum finito potandi tempore, eum gelidam fontanam æstuante corpore avidius bibisset, in Colicam incidit, quæ tamen congruis adhibitis, utcunque sævissima fuerit, brevi sublata fuit. Ab illo tempore ad hunc usque diem sat bene se habuit; nullum vitium in actionibus notatu dignum observatur: habitus corporis est obesus: facies rosea, cætera cutis candida: statura mediocris. Pridem crebro sanguinem tenuem ex utraque nare & fere quotidie exstillavit. Post usum spleneticorum hæmorrhagia rarior & parcior est. Urinam copiosius & potum quantitate su-

perantem, sed pallidiorem, nunc emingit. Tumor quoque horum usu aliquantulum decrescit. Ejus facies, dum hæc scribo, talis est: Sub costis nothis in sinistro latere incipit, desinit prope os pubis: Si supina jaceat, lineam albam; non transcendit, sed tamen fere proxime attingit, vacuum spatium inter costas & spinam Ilii implet: si dextrorsum corpus volutet, illuc prolabitur, imo manu facili labore eousque adigi potest, ejus terminos circa lineam albam, similes linguæ bubulæ, non semel tactu explorare potui. Ego tumorem hunc semper Lienem magnum credidi, ejus sc. affectum à scirrho prorsus diversum: ut mecum quoque Dodon. in Prax. Medic. sentit: tumor enim attactui mollis & quasi fungosus tangenti manui occurrit. Eoque lubentius id existimo, quia ante aliquot annos quendam magno Liene defunctum aperui, in quo, dum vivebat, eadem tumoris ratio erat: post mortem v. exsectus Lien plane mollis erat instar spongiæ madidæ; ingrediebatur illum insignis magnitudinis arteria splenica, egrediebatur major vena: tunica admodum densa cooperiebatur; parenchyma absolvebant fibræ mire inter se contextæ, & sanguis valde serosus cavernulas, ex mira fibrarum contextura enatas, adimplens. Sanguinem hunc
peni-

penitus non solum in hoc, sed hactenus in pluribus lienibus, non magno labore, detracta tunica, elui posse didici. Fibrarum iste contextus expressa aqua admodum contrahitur & e. g. respectu splenis bubuli, minima ejus portio adparet: aquæ verò immersa protinùs mire secundum omnes dimensiones dilatatur, instar spongiæ aqua prægnantis. Similem fibrarum contextum in Epate uterino humano, in uteri substantia partui vicinarum, & in reti mirabili bovino video. An sanguinem qualitate aliqua imbuat? an vero solum cursum ejus remoretur, vel aliud beneficium conferat? non definio. In Illustrissima igitur domina spleneticas fibrarum cavernas admodum seroso sanguine impletas existimo, fibras v. arbitror tonum suum & robur ob annuam p. n. expansionem tantum non perdidisse, atque ob hanc causam tanto tempore molem Lienis eandem permanere. Exc. T. summopere rogatum Illustrissimæ Dominæ nomine velim, quid de affectu hoc sentiat. Certus sum magnos lienes Exc. T. notissimos, cum in oris illis vivat, ubi frequentiores sunt quam in his regionibus. Humorem melancholicum multi accusant: at penes Illustrissimam Dominam nulli hujus humoris effectus apparent, si molem splenis excipiam; quæ

tamen æque ab aqua, forte Hippocr. & Ariſtot. faventibus, accidere poteſt. Deinde ex Exc. T. quæro, quid de diureticis in hoc morbo ſentiat? Antiſcorbutica laudantur, quæ pleraque talia. Scultetus in Armament. Chirurg. ad σαρκοκήλην conſumendam commendat rad. Ononidis pulverem: Illuſtriſſimæ Dominæ pulverem, non neglectis univerſalibus, dedi, inde tumor imminui videtur: certè hæmorrhagia narium ceſſavit: An pergendum? Quid de topicis Exc. T. ſentiat e. gr. de Empl. Cicutae Hild. ſcire averem? Et hæc ſunt, quæ ad Exc. T. perſcribere auſus ſum, conſcius incomparabilis humanitatis ejus, ac quam primum licuerit reſponſum exſpecto. His Exc. T. Reip. Medicæ bono ad Neſtoreos annos vivat, valeatque feliciter & faveat

Scribebam feſtino calamo ad Fontem Danubii d. 15. Jun. 1662. in Arce Doneſcingen.

Exc. T. Devotiſſimo Cultori
Joh. Jacobo Wepfero Med. D.

EPISTOLA XIV.

De lienis magni curatione. Velthusius refellitur.

Joh. Jac. Wepfero Schaphusium.

QUam grata mihi fuit veteris amicitiæ redintegratio, tam ingrata accidit tabellarii mora. Enim verò metus est, ne mihi neglecti officii culpa imputetur, quia ad casum propositum illustrissimæ comitissimæ statim non respondi, & pronum Tuum affectum, quem tot annis sartum mihi conservasti, pari promptitudine non excepi. Crede tamen tam mihi charum esse amico Tibi gratificari, quam tibi, me amare. Vitium illustrissimæ Dominæ quod signasti, aliud esse non credo, quam lienis magnitudinem excedentem, sive nativam sive adscititiam. Nativam quum dico, nolo ea magnitudine natum lienem, quia Historiæ Tuæ id repugnat, sed quod justo laxius ejus parenchyma fuerit prima origine, adeoque aptius ad imbibendas humiditates, quas vel morbus præcedens per μετάςασιν deposuit, vel sanguis arteriosus, quo lien abundat, plus æquo fludior, vel denique lymphatica vasa subministrare potuerunt. His modis magni lienes fiunt, & sine magno incommodo à plurimis

 gerun-

geruntur. *Marcellus Donatus* l. 6. Hiſt. Med. mir. c. 3. quandam mulierem ſcribit lienem adeo ingentem habuiſſe, ut univerſum abdominis ſpatium occuparet, quo tamen non obſtante, plures filios peperiſſe, optimè formatos. Vidi ego non pauca exempla. Uxor mea ſuaviſſima poſt quartanam aliquot abhinc annis, magnum lienem recepit, qui etiam tactu deprehenſus eſt ſiniſtram abdominis partem univerſam occupare. Angebar animo, &, ſuperveniente ictero, omnia conclamata credidi. Sed præter ſpem, largis evacuationibus bilioſi ſeri per vomitum, alvum & urinam ſuccedentibus, brevi convaluit, ut nec vola nec veſtigium lienis exinde ſuperfuerit, & plurimorum liberorum elegantiſſimorum mater ſit. Fratri quoque meo chariſſimo non ſemel lien intumuit, ſed per vomitum largiſſimum cruenti ſeri detumuit. Quod ſi vero nimiâ morâ fibræ lienis laxentur, ut collectum in ſpongioſo parenchymate ſerum exprimi non poſſit, ſcirrhus incurabilis oritur, tunicâ externa etiam ita condenſata, ut corium bubulum craſſitie æquet, quod in ſplenetico hic à me ſecto obſervavi. In alio Romæ vidi à compreſſione tumidi lienis conſtrictis inteſtinis deglutiendi ſublatam facultatem. Ita obſtructum lienem in vetulâ exemit *Fioravantius*, poſ-

ſeque

eque lienem innoxiè exſcindi in homine vulnerato narrat *Ballonius* lib. 2. Ephem. & nos hic in canibus experti ſumus. Humidi copioſi proventum hic rectè cum *Hippocrate* incuſas, qui in hujusmodi hominibus ſputo ſe prodit, & hæmorrhagiâ, ut mirer Lamb. *Velthuſium* in nupero opuſculo de Liene c. 3. negare liquidiorem ſanguinem vel chylum ad lienem ferri. Rationes, quibus movere nos conatur, tanti non ſunt, ut à recepta ſententia dimoveamur. Non enim ad temperiem ſiccam potius quam humidam labitur, niſi phlegmone urgeatur, qualis erat lien quartanarii apud *Carolum Piſonem* in Præf. de ſer. colluv. Revera verò ſerum ibidem p. n. cumulari, in ſuſpenſo deprehendit *Volcherus Coiter* obſ. Anat. Chir. Miſc. Veſica enim duorum pugnorum magnitudine aqua plena lieni adhærebat. Quod deinde lienoſi nonnunquam ſicco ſint ore, nec ſuperfluo humore multum turgeant, hæc ratio eſt, quia ſerum à liene intercipitur & cumulatur, unde nec ad ductus ſalivales confluere poteſt, nec ad reliquas corporis partes, quanquam frequentius eveniat, ut & ſputatores inſignes ſint ſcorbutici, & reliquo corpore ſudore diffluant, ſecus ac *Velthuſio* viſum. Illuſtrisſimæ Dominæ veſtræ lienem ſimili ſero di-

ſtendi, indubiè credo, & quia ab utero compreſſus ſurſum adſcenderat, deſcenderatque tumor ejus, ſpero prolapſum non eſſe, aut utero annatum, quod in Comitiſſa de Boizeon obſervavit *Riolanus* lib. 2. Anthropog. cap. 23. De diureticis porrò & emplaſtris quod meum aſſenſum expetas, modeſtiæ Tuæ adſcribo. Non poſſum non in illorum delectu Tuum judicium laudare, & Illuſtriſſimæ Dominæ de tali Medico gratulari. Per lotium hujusmodi ſerum in liene congeſtum commodè poſſe evacuari, natura monſtrante viam didicimus. Notus ſine dubio Tibi eruditiſſimo eſt religioſus ille lienis tumore, & gravitate hypochondrii à *Valetio* exerc. 40. ad *Holler* de Morb. Inter. notatus, qui urinis nigricantibus atramento ſimillimis, per 5. vel 6. dies erumpentibus, priſtinam incolumitatem adeptus eſt. Medicus Naturæ eſt imitator & tuto illam ſequitur, ſi aſſequi poſſit. Laboramus enim defectu diureticorum ſine nauſea promptè & certò operantium. Variis ſalibus, lixiviis, decoctis, aquis, pulveribus, hydropicorum aquas per vias urinæ aliquoties tentavi educere, ſed non niſi ſemel in juvencula ſucceſſit. Non ſemel verò per ſudorem ſive laconico ſive Unicornu noſtro provocatum feliciter ægros reſtitui, in

quem proniores quoque ſunt ſcorbutici noſtri, & anti-ſcorbutica non infeliciter eo collineant. Sed hic & ubique Naturæ via pertentanda, ut illâ inſiſtamus, quam elegerit, quod fruſtra Tibi exercitatiſſimo occino. Ad Scorbutum nos ſingularem trifolii aquatici virtutem probavimus, præter morum Norwagicam, cochleariam, naſturtium, &c. Pulverem rad. Ononidis ante *Scultetum Matthiolus* commendavit, quo & ego in Sarcocele Advocati uſus ſum, ſed ſine magno ſucceſſu. Emplaſtrum ex Cicuta *Hildani* magni facio, & ejus continuatum uſum diſſuadere non poſſum. Hoc conſilio in Emplaſtro noſtro ſplenetico *Diſpenſatorii Hafnienſis* reliquis cicutam adjeci, nicotianam & ebulum. Sed quo prolabor? Dum officioſus eſſe volo, moleſtus ſum, Tibique forſan longo reſponſo oneroſus, qui & ægris tuæ curæ concreditis, & libris vacas. Obſervationes Tuæ de Apoplexia oppido placuerunt, & optarem plures à tua penna exarari ſimiles, quibus Reipublicæ Medicæ ingens & ſolidum accederet incrementum. Eleganti Tua de liene obſervatione *Diatriben* meam exornavi, quam de *pulmonum ſubſtantia* nuperrimè conſcripſi. Non committam, ut præclara Tua virtus & medica eruditio, pro veteris amicitiæ neceſſitu-

dine, data occasione in monumentis nostris silentio transmittatur. Et si quid ultra possum, id totum Tibi offero, cum voto omnis felicitatis perennaturæ, quam Tibi tuisque ex animo precor. Vale, mi Wepfere, & publico bono diu vive, meque amare perge. Raptim Hafniæ 7. Mart. 1663.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPISTOLA XV.

De Collegio Naturæ Curiosorum in Germania.

Thomæ Bartholino Hafniam.

ILlustrissimi Tui Nominis Fama instar splendididissimi solis totum Eruditum illustrans orbem & certis includi terminis nescia jam dudum è septentrione mare prætergressa Occidentem adimplevit, Orientem usque penetravit. Gratulatur sibi non immeritò Dogmatica Medicina de Magnif. Exc. T. quasi Jove suo Statore & Sospitatore, utpote quæ variis Empiricorum astutiis & artibus pressa Te Promacho quasi vitam & sanguinem recipit. Gratulatur

latur ſibi Anatomia de tanta felicitate, quod non ſolum Mag. Exc. T. illius theatra frequenti & curioſa ſectione illuſtraverit, ſed & inventione vaſorum Lymphaticorum miris modis auctiorem reddiderit, adeoque quas olim Magno Tuo Parenti ob indefeſſos Sectionum labores egit gratias, Tibi certè, Vir Magnifice, Magni Patris magno Filio immortales & æternas jure meritò offert, debetque. Quid referam de curioſis ſparſim editis Philologico-Medicis ſcriptis, quæ undique quidem anxiè conquiruntur, vix tamen ac ne vix quidem, Bibliopolarum incuria, impetrari poſſunt.

Illuſtriſſimi ergo Nominis Tui ſplendor hactenus perſtrinxit animi mei aciem, ut in plenâ luce cæcutire, nec tantum ſolem (Phaëtonteum aut Icarium metuens caſum) adire auſus fuerim. Sed præter ſpem felicior lux meis arriſit votis. Poſtquam etenim præteritâ hyeme Dn. Schœbelio Vratislav. conterraneo, conſanguineo, Juris Studioſo Hafniæ moranti litteris mandaſſem, ut Magn Exc T. curioſa ſcripta (quibus adhuc Bibliotheca mea cum damno caruerat) conquireret, mihique Hamburgo Vratislaviam transmitteret; is M. Exc. T. inviſens felici ſorte non ſolum aliquot Scriptorum Exemplaria

(quæ

(quæ eo cariora & rariora quod ab ipſo Authore donata) ſed & facilem aditum colloquii litterarii impetratum eſſe ſignificavit. Quam felicitatem ambabus amplexus manibus, Epiſtolæ partum maturavi, eo quod M. Exc. T. curioſitatem meam ingenuam non diſplicuiſſe ex adhortatione per Schœbelium factam ſenſerim. Calcar addidit Curioſitas, quæ me ut naturâ, ſic nunc voto & lege obſtrictum tenet. Pauci abhinc præterierunt anni, ex quo Medici quidam, laudabili Curioſitate ducti locupletandi Medicas ex Naturæ penetralibus Gazas, Collegium aliquod more Academiarum in Italia ſolemnium inſtituerunt, ut admiſſi Collegæ in excutiendis ſingularibus Naturæ ex Regno Minerali, Animali, Vegetabili occupati, Reip. Medicæ commodum pro virili curarent. Animum ſugit, an hujus pronaſcentis Collegii Curioſi Nomen & Incunabula M.Exc. T. innnotuerint; ea propter ipſius Curioſitati non ingratum fore duxi, ſi inſtituti Collegii rationem & leges typis divulgatas offerrem, atque hoc leviuſculo munere eo liberiorem aditum impetrarem. Addidiſſem his pagellis comitem Ampelographiam ſeu Curioſam vitis Viniferæ ejusque partium conſiderationem Phyſico-Philologico-Hiſtorico-Medico-Chymicam, quam

ad

ad normam Collegii Curiosi (cujus membrum ut me nominare possim Dn. Collegarum effecit Humanitas) præterito anno typis divulgatam Eruditorum judicio submisi & exposui. Sed cum occasio transmittendi nunc temporis mihi præcisa sit, insimul hæream an forte, fortunâ magis quam merito, opusculum hoc M. Exc. T. limen antea intraverit, transmissionem hac vice differo. Certò tamen sibi persuadeat, si vitis hæc chartacea M. Exc. T. Bibliotheca adhuc exulet, me in posterum proximâ occasione ad nutum M. Exc. T. transmissurum. Utinam M. Exc. T. arrideat Collegii Curiosi Institutum, quod plurimis celeberrimisque Medicis non displicuisse ex adjunctis intelliget schedis. Speramus indies fertiliorem fertilissimorum ingeniorum messem & majorem numerum qui nobiscum decurrant hoc stadium. Confecta viticulturâ Astacus & Gammarus, ut curioso secetur oculo, mente, manuque, meam jubente & annuente Collegio expostulavit operam. Nullus dubito quin M. Exc. T. in locis maritimis degens (mare enim septentrionale ut olim Africa semper aliquid novi exhibet) de hoc animalculo singularia enarrare posset, quæ Curiositati ex asse satisfacerent. Rogatum itaque impetratumque desidero, ut

ut Curiosa de Cancris (qualia quædam Cent. 6. obs. 57. exhibet) transmittere, adeoque labores meos radiis suis illustrare dignetur; sentiet profecto, non in ingratum collocata fuisse beneficia.

Responsoriis si Tenuitatem meam dignari lubido fuerit, Hamburgum Mercatori has Hafniam deferenti, transmittat illas, sic absque naufragio salvæ & incolumes me Vratislaviæ Silesiorum metropoli morantem invisent, & placidissimâ fronte à me suscipientur. Vale interim, Vir Magnif. ad Reip. Medicæ incrementum nate, quam longissimè, quam felicissimè, & fave T. Eruditionis & virtutis Admiratori & cultori indefesso, qui summi honoris agnoscet loco, si infimo Tuorum Clientum subsellio collocetur. Vale.

Magn. Ex. T.

Cultor Devotissimus

Vratislav. Siles. è Museo 25. Jun. St. N. 1662.

Philipp. Jacobus Sachs à Lewenheimb Ph. & Med. D. Academicus Curiosus.

EPI-

EPISTOLA XVI.

De Collegiis rectè instituendis. De Gammaro multa. De cancellis in conchis. Ex cancris non nasci Scorpiones.

PHILIP. JACOBO SACHS Vratislaviam.

OBlatam amicitiam & amplissima officia, gratâ mente amplector, daboque operam ne tuo favore indignus censear. Perplacet studium Naturæ Curiosorum, quod ex transmissa Epigraphe mihi innotuit, & bene cœptis perpetuitatem voveo. Magni *Verulamii* hoc olim fuit institutum, & nuper in Anglia Clarissimorum Virorum *Digbæi*, *Boylei*, *Villisii*, *Glissonii*, *Charletoni* curæ & labores eodem tendunt, quorum ductu Collegium instruitur, publicis sumptibus perficiendum. Hisce experimentis rectius ad Naturæ penetralia pervenitur, & multa in apertam lucem protrahuntur, quæ vel occulta hactenus vel falso credita. Si hac via ad veritatis semitam grassamini, immortalem laudem merebimini. Experimentis hic opus est pluribus, haud fallacibus, quibus Naturam quasi blandâ arte solicitamus. Opus est Magnatum favore & impensis, ut felicius cuncta succedant. Tardius enim, nec tutò satis privata industria quicquam perficiet.

In

In Ampelographia verò tua, quam in Bibliopolio noſtro vidi, omne punctum tuliſti, hocque culta

—— largo pubeſcit vinea fœtu.

Lecto eleganti & muſteo libro, gratior mihi viſus eſt flos ille nectareus, quem tuis manibus dedit uva preſſa, quam hactenus omnia vineta, etiam cultiſſima, tulerunt, ut rectius Tu, quam vina, coronam merueris. Auges publicum beneficium novo de Aſtaco & Gammaro argumento, quod meditaris, recteque Ampelographiæ Tuæ ſubjungis, quia difficilior aſtacorum caro & ventriculo moleſtior ſine vino. Rectè enim *Platina* l. X. Tuend. Val. cancros difficillime concoqui, coctos aſthmaticis & phthiſicis prodeſſe ſcribit. Non ab igne culinario tantum difficulter coquuntur, ſed & ab illo, cujus beneficio noſter ventriculus gaudet. Ita *Ægineta* l. 1. c. 91. gammari, paguri, cancri, locuſtæ, & ſquillæ concoctioni repugnant, ſed alimentum præbent, & ventrem comprimunt, ſi in aqua dulci ſæpius decoquantur. Cur tum ſint ἰφικτικά, ipſe divinabis, & oſtendit ante *Sethus* de Alim. quia ſal deperditur. At remedio erit tua Vitis, quæ tenori tenorem addit, ut loquitur *Aretæus* l. 1. Acut. c. 1. Alio quoque nomine rectè viti cancrum addis. Nam cancros fluviatiles in ſarmentis albæ

vitis

vitis cremari suadet *Dioscorides* l. 7. c. 3. ad canum morsus, quanquam in sola patella æris rubri *Galenus* l. 11. simpl. Med. Fac. præceptoris *Æschrionis* authoritate asserit. Quicquid sit, quia ad canum morsus cancrorum cinis confert, etiam recentiorum observatione, de qua videndus *Rhodius* noster in *Scribon.* Comp. 171. Tu certe, mi Sachsi, ab invidentium morsu securum Te præstabis non cineribus sed ipsis cancris erudita tua penna reviviscentibus. Et, quia id argumentum tractas, quæso pressius ad examen voca antipathiam, quæ est inter gammaros & sues. Nostrorum enim experientia observati sunt mortui, quandocunque sues currum, quo gammari vehuntur, pertransierint. Cætera quæ de genere hoc dici possunt, non tangam, partim quod à Te accurato labore hæc aliaque expectemus, partim quod à *Gesnero*, *Aldrovando*, *Nierenbergio*, *Rondeletio*, *Jonstono*, *Schonfeldio*, *Wormio* nostro petantur rectius. Unum alterumque adjungo, ne tuæ petitioni amicissimæ videar deesse. Ex intima tunica chelarum gammari, cosmeticum insigne digitis contrita confici, nuper me monuit D. *Moinichenius* noster, ex Italia redux. Cur verò pleraque hæc cancrorum genera, quæ nigricant externâ crustâ, quando coquuntur, evadant

rubicunda, difficile dictu est. Tibi forsan, Naturæ amico, causa innotescet. Nonnulli gammari tandem quoque ruborem omnem deponentes, albicantes fiunt. Monstrosas chelas habeo duas. Altera major Astaci obtusa est, lato fine pilisque obsito, cujus pars media rubet, media nigricat. Gammari altera pars prorsus jam candicat, cujus una chelis particula bifurcata cernitur. Rubent verò crustæ magis, si in salsa aqua coquantur, vel in cerevisia, unde in salsæ aquæ defectu, aniculæ feruntur squillas in lotio coquere, ut rubicundiores videantur & elegantiores. An ad illustrem colorem sal aliquid conferat, Naturæ curiosus curiosè inquiret. Nec indignum erit tuo ingenio perspicaci, si nos docueris, an cancelli illi, qui in conchis reperiuntur, ibi reapse generentur tanquam in proprio domicilio, an nudi nascantur, purpurasque & Turbines è suis conchis pellant, ut eas inhabitent. Plerique credunt alienas casas inhabitare. Quod & subtilissimus *Cardanus* admisit l. 7. de Rer. Var. c. 38. deceptus authoritate *Rondeletii*, ante quem *Plinius* l. 9. c. 31. de Pinnothere refert, solertiam illi esse inanium ostrearum testis se condere, & , cum accreverit, migrare in capaciores. Vix ego inducor, ut id credam. Singulare

re enim est gammari genus, ab aliis diversum, quæ conchis carent, cauda enim mollis est, & certum indicium præbet in conchis suis esse genitum. Nec visi hi cancelli sine conchis suis. Neque injuriam hanc in illis admiserit *Plinius*, ut aliarum concharum incolas devorent, quippe ob exilitatem opportunus injuriæ est ipse Pinnotheres. Imo nunquam, quod ego viderim, in majoribus observati conchis. Varia insecta in conchis nascuntur, ut mirum non sit his sui generis innasci cancellos. Duorum generum conchas habeo, in quibus cancelli sui quoque generis latent. Una turbinata, ex qua eminent cancelli pedes quatuor exiles, cum duabus chelis, sed parvis. Altera elegans varioque colore nitens ex genere umbilicatarum cochlearum, cujus ingressum una sola cancelli chela obstruit, adeò lata ut superare videatur universam corpusculi molem, quæ tamen sublatâ reliqui pedunculi intus conditi comparent. De aliâ quoque fabula judicium Tuum acclamo. *Plinio* enim l. 9. c. 31. narrante, cancrorum corpus, cum exanimati sunt, transfigurari in Scorpiones narrabatur in sicco, quod *Ovidius* l. 15. Met. fab. 30. ita describit:

Concava littoreo si demas brachia cancro;
Cætera supponas terræ; de parte sepulta
Scorpius exibit: caudaque minabitur unca.

Hanc metamorphosin sine examine, quasi veram, admisit quoque *Mouffetus* l. 2. Insect. c. 10. rationemque superaddit *Licetus* l. 3. spont. Viv. Ort. c. 55. Sed pro fabula reputo, & *Plinii* candorem laudo, quod ex narratis retulerit ut rem incertam. Cancrorum apud nos ingens copia. Putrescunt nonnunquam & in sterquiliniis abjiciuntur. Nunquam tamen exinde visi scorpiones enasci, quos etiam prorsus ignorat regio nostra septentrionalis. Rarò res putrefacta in similem speciem commutatur. Nunquam ex humano cadavere putrido, statim homo emergit, sed ignobiliora insecta prodeunt. Apes ex vitulis, ex equis crabrones, ex mulo locustæ, scarabæi ex asino, ex medulla humana angues. Paguri autem species est utraque, de qua loquimur. Nisi hic eam metempsychosin esse existimemus, de qua *Borellus* Cent. 4. Obs. 34. qua ex cineribus suis cancer resurgit, salis beneficio, quo vegetabilia iterum repræsentari possunt. Valdè tamen dubito successurum istud de cancris experimentum, nisi modus operandi nobis apertius indicaretur.

Vi-

Vitium enim eſt plerorumque Scriptorum, arcana revelantium, ut ampliſſimis promiſſis mancas deſcriptiones ornent, ſicque lectores vanâ ſpe lactent. Nolim hæc de *Borello* ſuſpicari, quem ſatis apertum deprehendi, ſed ea fide hanc transmutationem retulit, qua accepit. Tantum autem abeſt, in noxium ſcorpii animalculum putridus cancer convertatur, ut non ſolum in ventriculo concoctione velut putrefactus, ſalutare nutrimentum corpori noſtro ſuggerat, ſed Iſicia ſua palato grata inde plaſſet & formet gulæ Magiſter *Apicius* l. 2. de Re Culin. c. 1. Singulare eſt, quod de Paguris fluviatilibus narrat *Simeon Sethi* lit. π. 8. ulceribus pulmonum prodeſſe, veſicæ verò obeſſe. Pro pulmonibus facilis ratio occurrit, qua gammari aſthmati & phthiſi medentur. At quid de veſica dicendum? Forſan caro craſſior ſegnius lotium inficit, viasque urinæ obſtruit. Alioquin oculi gammarini, particulæ illæ cancrorum optimæ, calculum potenter movent, urinæque ductus aperiunt. Ut hoc addam, illi iidem oculi, aceto impoſiti, eodem modo, ſicut lapis ſtellaris, circumrotantur. Tu rerum harum abditas ſcrutare cauſas, publicum doce, & me, quem Tibi amicum optaſti, amare perge.

 Vale,

Vale, Vir eruditissime, & publico diu vive, Hafn. 16. Aug. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

Impress. Vratisl. 1665.

EPISTOLA XVII.

De Deusingio nonnulla. De Frundekii oleo & sale ex igne extrahendo. De Burrhi liquore oculari. De mercurio nonnulla. Canis Anatome. Item Cadaveris humani sectio, & quæ ibi observata. De Calculi exsectione, deque Lithotomis. Vitulus monstrosus.

THOMÆ BARTHOLINO, Hafniam.

SUavissimis literis Tuis, & eruditionis, amorisque in me sinceri plenissimis supra modum recreatus, responsorias hasce adeo differre non potui, ut etiam ante plenam scribendi materiem inventam è manibus meis evolarint. Quod Dn. Matthias Jacobæus etiam domi amicitiæ nostræ memoriam conservet, agnosco candorem amicissimi pectoris, & ad paria officia arctius obstringor. Deusingius Blottesandæo suo adhuc imminet; emisso etiam secundo contra

tra illum Alvares scripto, eoque, uti genius est Viri, mordacissimo; in quo, à nescio quibus calumniatoribus instigatus, me quoque ceu Authorem præfationis obliquè ferit; respondi per epistolam suspicacissimo homini, & culpæ suspicionem amolitus sum; nec tamen illos ipsos Authores, Cartesii, Voetiique discipulos nominare placuit, quòd falci meæ nihil cum alienâ segete. Vindicent sese, quos urit Deusingianum virus, &, si sit fides relationi nuperæ, vindicabunt. Superiori mense contra Digbæum se armavit Deusingius, ejusque pulverem sympatheticum novo volumine infestavit, in quo etiam in fronte operis, Cacodæmonis operâ absolvi illas medicationes contendit, quas Digbæus Naturæ assignaverat. Tale sc. est ingenium viri, cujus scripta pæne apud omnes in contemptum sensim deveniunt, ut felle oppidò tumida, experientiæ præsidiis admodum vacua. Bartholinum tamen vellicare hactenus non sustinet, veritus Riolani fata & reliquorum hostium suorum memor; hinc in ultimo illo scripto suo Epistolam quoque Tuam publicavit, in candorem, ingenuitatemque Bartholini effusè liberalis, utinam ex animo. Quid contra vindicias Tuas moliatur, nondum liquet; illæ ipsæ vindiciæ simul cum cistâ Medica (pro

utroque liberali dono officiosè gratias ago, habeoque) cupidissimè hic à doctis leguntur non sine acclamatione veteri: bellè, pulchrè, sapienter! Dn. D. Payngkii laboribus Chemicis ex animo gratulor; unum addo, vivere Amstelredami Dn. Frundekium clari nominis Chemicum, mihi familiarem, qui in Collegio, quod his mensibus aperuit, publico programmate discipulos invitat, inter alia, ad præparationem olei & salis ex igne extrahendi inspiciendam. Legi id ipsum programma, atque rem illam ultro citroque cum Frundekio discussi, tandemque post velitationem cognovi bonum Frundekium illud igni attribuere, quod cespitibus, carbonibusque debebatur, nihilque esse aliud illud oleum & salem, quam germanum fratrem fuliginis, unde & oleum & sal facile exprimuntur; tale quiddam D. Payngkio accidere nolim tamen suspicari. Id planum, omnes in errorem labi, qui vitrum carere poris existimant; proinde si quid in Retortâ deprehenderint, non ante immissum, illud pro igneâ agnoscunt substantiâ, cum tamen sali volatili cespitum bituminosorum non sit arduum, per poros vitri quasdam sui particulas tenuiores ingerere, id quod non mihi tantum, sed & Dn. Sylvio deprehensum, qui ingesta in Retortam ponde-

rans,

rans, & egesta iterum ad libram vocans observavit egesta pondere supperare. Sed hæc aliàs. De liquore oculari Dn. Burrhi omnia certissima sunt, & pluribus jam confirmata experimentis, nondum tamen factum in homine periculum. Liquor ipse subalbicat, diaphanus tamen, nec inducor, ut credam metallici generis esse; concrescit autem in triplicem substantiam (idque iteratâ etiam sectione) plane referentem tres illos ordinarios oculi liquores, tum figurâ, tum consistentiâ. Res mira videtur, quia hactenus ab aliis non attentata; forsan admirationem exueremus, si veteres quicquam de eo tradidissent. Quid si exprimat ex oculis mactatorum animalium liquores omnes, &, sive singulari coquendi ratione, sive benigno quodam menstruo adhibito, ex omnibus unum liquorem diaphanum præparat, qui post in oculos aliorum animalium infusus iterum concrescat in pristinas figuras? quid si, cicatrice beneficio hujus liquoris solidatâ, ex arteriis sensim aliquid depluat in vacuum oculi, & naturâ operatrice concrescat in similes deperditis substantias? Quicquid sit, spero curiosum aliquem & curis vacuum inquisitorem tentando eò non difficulter perventurum, ut dexteritatem illam imitaretur. Succum ulmi aliquid

posse, exemplum ab Henr. ab Heer allatum satis ostendit, ita tamen ut huic moli non sufficiat. Schowii oculum laborasse ab aliquot annis mihi satis exploratum, convaluisse sponte natura & miror, & gaudeo hodieque monstra fieri in morbis. Censuram Facult. Medicæ D. Swabium inter & M. Jonam cupidè legi, observavique magno judicio monitum esse, tam Mercuriali aquâ, quam Mercurio præcipitato circumspectè utendum esse, veluti enim Mercurius provide præparatus divinæ manus instar est, ita improvida præparatio via proxima solet esse ad superos. Fœmina hic in Belgio ob febris curam nobilis multos sanavit Mercurio præcipitato etiam ad scrup. j. & ultra quavis vice propinato, idque sæpe feliciter, temeritate rationis vicem supplente, tandem cognita medicamenti basi, deserta est, & ad colum iterum ablegata. Mihi nihil certius, quam Mercurium, quovis modo vulgari præparatum, levi negotio ad ingenium redire, præsertim nisi vasa eum continentia firmissime occludantur. Redegi ego nuper Mercurium sublimatum, Mercurium vivum, & stannum Anglicanum simul mista in oleum, oleo olivarum quà colorem, quà consistentiam simillimum, cujus usus in externis creditur nobils, ego tamen vel
eodem

eodem cautè utendum existimaverim. Dn. Wormium, Paullinumque ad cathedram Acad. vocatos esse gaudeo; nec, si tandem aliquando locus Stenonio nostro posset aperiri, futurum id esset, ut spero, cum detrimento Divæ Anatomes, cui alacriter mecum insudat. Nuper in cane valido celeri manu enecto observavimus, inflatâ arteria cœliacâ (ligaturâ tamen prius injecta, quà cor spectat) primò intumescere lienem, inque eo & venas & arterias, hinc hepar unà cum tum portæ, tum Cavæ ramis, imò & trunco cavæ universo; demum lymphatica ex hepate egrediuntia, tandem reliqua lymphatica ad receptaculum chyli tendentia, denique ipsum ductum thoracicum manifeste flatu distendi, id quod forsan non ita hactenus observatum. Quam autem lucem illa synanastomosis venarum in hepate cum lymphaticis afferat, malo à Tua Clar. audire, quam ipse persequi multis. Inprimis jucundum visu fuit, eodem flatu arterias, venasque cordis coronarias admodum tensas fuisse, & venas coronarias multiplicibus osculis in se hiare, adeoque potuisse ex unâ venâ in aliam mutuo pressu transire sanguinem, & rursus in suum canaliculum retrudi, ut videantur illæ coronariæ venæ forsan prorsus carere valvulis. In renibus etiam flatus per

per arterias intrusus regrediebatur manifestè per venas, sed tamen non nisi post moram aliquam in inflatione consumptam. Deprehensæ nobis itidem sunt 4. glandulæ subcæruleæ (nescio an descriptæ hactenus) succo pæne nigro refertæ, quæ jam in multis subjectis conspectæ sunt incumbere pulmonibus; duæ quidem majores asperæ arteriæ adjacent, qua parte in pulmones incipit divaricari, duæ minores vicinis adhærent bronchiis. Cum inflantur, aut premuntur venæ mesaraicæ (quod in alio subjecto nobis observatum) sanguis promiscue ab unâ labitur in aliam, inflataque venâ ibi unâ, simul inflantur omnes, & inflando quasi rosæ figuram jucunde exprimunt. In Harlemensi viro post mortem nuper secto deprehensum, renem sinistrum totum in putrilaginem abiisse & per vesicam fuisse excretum, dextrum ureterem calculo fuisse obstructum, hinc misero primum obortam urinæ suppressionem, inde hydropem, urinâ (cum in vesicam via negaretur) in abdomen se effundente. In sinistro cordis sinu deprehensus polypus variis radicibus vasis adhærens, chirurgi vermem vivum fuisse prædicabant, sed ego in corpore isto glutinoso nec verè caput, nec vitæ indicia observare potui. Dn. Lytzovius noster

 litho-

lithotomo cuidam Harlemenſi ſecandum obtulit corpus, ut calculum eximeret, ſed nullo hactenus ſucceſſu, quod lithotomi digiti calculum rite prehendere nequeant, & Lytzovius apparatum canaliculati catheteris abhorreat; ego Amſtelredamenſem præfero Lithotomum Rochum van Diik, cujus expeditas in ſectionibus manus ſæpe obſervavi, & nuper admodum in XXX. annorum Eunucho (cui jam ab infantiâ nullum teſticulorum usquam indicium, nec vel in mento, vel pube pili) cui per immiſſum catheterem ſtriatum, illique inflictum ſcalpelli ictum more Paræano ſubuenit, & calculum ovi gallinacei magnitudine extraxit. Eunuchum tamen illum paulo poſt ſuperveniens febricula ſuſtulit è numero vivorum, nullo Rochi dedecore, ſed ex reliquis, quos ſecuit, pauciſſimi alioquin ſolent perire. Circumferuntur hic jam multa de quodam Caſtrenſi in Galliis Chirurgo, ac ſi ſupra os pubis facta inciſione calculum dexterrimè eximat, ſed fateor, me nondum capere quî id fieri commodè poſſit, tot obſtantibus ubique vaſis; ut taceam veſicæ vulnera ab Antiquis incurabilia cenſeri. De Burrho omnia ſolita: affuit ipſi & Guldenlovius noſter, & Dn. Hannibal Seheſtedius, officiosè uterque exceptus; quid ſi contingat ali-

aliquando Daniæ nostræ vultum ejus coram videre, quo plura vota tendunt. In nundinis nostris nil pæne in naturalibus rarum occurrit, præter vituli bicipitis ex utero secti exuvias, quas mecum Dn. Ressrd. Charisius inspexit. Excreverat in utero vitulus iste in justam magnitudinem, amphisbænæ similis, quippe alterum illi caput ordinariâ sede, alterum loco caudæ, utrumque crassum & validum; sex illi pedes eo ordine dispositi, ut primus capiti supponeretur primo, duo sequentes vicino trunco; duo in latere caudæ eminebant, truncus totus aptissimè sibi invicem connexus, ut unum animal omnes crederent, duo tamen ei corda fuisse & reliqua interiora duplicata, imo in altero maris, in altero fœmellæ dilituisse patrimonium constantissime asseveravit redemptor, qui nobis ostendebat. Spem præter prolixè me diffudi; contraho vela, & Te Virorum opt. maxime cum nobili familiâ, Collegis suavissimis, Dn. Jacobæo, &c. Deo immortali commendo, me autem sueto tuo favori & candori. Vale Lugd. Bat. Anno 1662. 25. Jun.

Excell. Tuæ Studiosiss.

Olaus Borrichius mm.

EPI-

EPISTOLA XVIII.

De Paralysi scorbutica, Ischuria. De glandulis pulmonariis.

Olao Borrichio Leidam.

ITerum ad vos venturum *Jacobæum* nostrum, tuo favori solito & amicitiæ commendo. Prorsus tuus est, & magni tuam familiaritatem æstimat, nec inter amicos tuos poteras magis sincerum & constantem adoptare. Rerum nostrarum statum ille rectius narrabit, quam à me scribi possit. Nuper duos Collegas amisimus, *Brochmannum* & *Pfeiffium*, utrumque eloquentissimum, hunc in sacris, illum in profanis, hunc in suggestu Ecclesiæ, illum in Cathedra Academica. Utrumque similia symptomata quædam jugularunt, sed a diversis caussis. Brochmannum Scorbuticum post vehementes animi motus paralysis inferioris corporis à diaphragmate ad extremos pedes comprehendit, cum omnimoda sensus & motus ablatione in partibus dictis tam internis quam externis. Unde ablatæ functiones omnes earundem partium, &, quod mirum, suppressio urinæ & alvi sequuta, quum in aliis resolutionibus harum partium, laxato sphinctere involuntariæ soleant esse excretiones lotii &

fæcum.

fæcum. Suſpicor autem & hæmorrhagiâ largâ, quæ proxime præceſſerat, & translatione materiæ ſcorbuticæ ad nervos dorſi & oſſis ſacri, interceptam fuiſſe & lotii & alvi materiam vellicantem, ſerique blioſi defectum obſtructiones procuraſſe. Inunctionibus dorſi, fomentis, aliisque internis, quibus antiſcorbutica miſcuimus, nihil profecimus, nec alvus laxari potuit clyſteribus, ſtatim refluentibus, nec urina fortioribus diureticis elici, quin ſenſim abdomine in tumorem aucto, opprimente cor, paralyſique ſenſim ad ſuperiores partes ſerpente, ante vivendi finem faceret, quam octo ſoles numeraſſemus. Non profuit ultimo illi exhibitus cum magnis promiſſis, quanquam non malo animo, à Viro alio Clariſſimo Lapis Lyncis cum pulvere Bezoartico, quem in tanta viſcerum obſtructione fruſtra offerri prædiximus. *Pfeifſius* verò calculos in renibus aluit, ureteres obſtruentes, ut iſchuria moleſta magis quam dolorifica ſucceſſerit ad 14. diem usque, quo convulſiones ſupervenientes à ſeri in corpore cerebroque coacervatione, mortem accelerarunt. Quod tot diebus vita potuerit illi eſſe ſuperſtes, ſeri viis prorſus obſtructis, in cauſa fuit alvus præter ſolitum laxa & lubrica, quæ naturæ benificio & enematis ſolicitata, cottidie copioſiſſimè

ſerum

ſerum expurgabat. Aliàs iſchuriæ rarò ſeptimum diem ſuperant, ſi nempe reliquæ viæ ſint obſtructæ, quibus interea vel per ſudores vel per alvum vel vomitum humiditates evacuentur. In ſalutem amici ægri nihil non tentavimus, etiam illa quæ rarò fallere ſolent, ſed incaſſum omnia. A diuretico potentiſſimo, aliquoties quidem unum alterumque cochlear lotii elicuimus, ſed morbo interim vires ſumente, nulla remedii fuit utilitas. Cæteri urbis incolæ ſani degunt, niſi quod unus vel alter febre petechiali occubuerit cum fluxu cruento. Securitatem hoc autumno nobis auſim polliceri. Quæ de ſynanaſtomoſi vaſorum cum lymphaticis flatu obſervaſti, lymphæ ex arterioſo ſanguine originem egregiè illuſtrant, quo etiam collineat ductus thoracicus eodem ſpiritu ex arteriis inflatus, quippe lymphæ recipiendæ quoque deſtinatus. Sed non capio, quomodo eodem flatu arteriæ cordis coronariæ potuerint extendi, quum fatearis ligaturam Te arteriæ cœliacæ injeciſſe quà cor ſpectat, niſi venas coronarias penetraverit ſpiritus, quod circulationi adverſatur. Glandulæ illæ ſubcæruleæ in divaricatione tracheæ prope pulmones à vobis obſervatæ, hactenus ob exilitatem neglectæ videntur, niſi ex illo ordine ſint, cujus bre-

viter meminit *Whartonus* c. XIX. è gutture ad diaphragma usque secundùm vertetebras thoracis descendentis. Industriæ tamen vestræ debebitur porrò, si alium usum habeant, quam communem glandularum à *Vesalio* Magno l. 3. c. 4. designatum, quod tanto credo certius, quod nigrum pænè succum ibidem inveneris. An humectationi soli inserviant, non ausim divinare, quanquam sicca pulmonum substantia indigeat humectatione. Auget suspicionem, quod nuper observatum sit Bononiæ à *Malpighio*, pulmonum substantiam præter innumeras vesiculas membranosas esse nihil. Contuli istas observationes cum pulmonibus domesticorum animalium. In agnino pulmone tuberculis obsito per siphonem immisso spiritu vidi vesiculas exterius elevatas, quæ humore crasso scatebant in morbidis, an verò glandulas vestras hæ imitentur, accuratius explicabis. Castrensis ille Lithotomus supra os pubis incisionem nullam facit, quanquam ea sectio probetur *Rousseto*, & nonnunquam *Hildano*, ubi nempe grandior est calculus; sed in perinæo sine apparatu magno, solis digitis post sectionem adhibitis. Plura addere pagina vetat. Igitur vale, mi Borrichi, & hanc cum salute effigiem

à

à D. Simone Paulli accipe. Hafniæ 8. Sept. 1662.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPISTOLA XIX.

In nova calculi sectione Lithotomi Castrensis, non sufficere solas manus.

Christiano & Francisco Mulleris Lutetiam.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ vestræ politissimæ, duplici nomine, & quod sincerum vestrum affectum mihi confirmarint, & rem in Medicina raram mihi communicarint. Pro utroque gratias vobis ago amplissimas, quovis officio tanta officia demereri allaboraturus. Quod spectat relationem Medici Castrensis, de qua judicium meum per vos exquirit Cl. *Justellus*, quanquam difficile sit de non visis sententiam scribere, quantum tamen ex missa mihi schedula potui assequi, solâ manuum promptitudine artificiosus ille lithotomus se commendat. Utinam manus sufficeret in hujusmodi operationibus; nec opus esset aliorum instrumentorum ope & auxilio. Cæterum, cur in

ſecurâ calculi exſectione manus ſolæ pares eſſe nequeant, hanc credo eſſe rationem: quod ita accuratè comprehendi & conſtringi vix queat calculus, ut ſtabilem ſecurumque locum incidendum cultro offerat. Præterea negotium manibus ſolis committere, in calculi expreſſione per exile vulnus, neſcio an tutum ſatis ſit futurum, quia primò calculus ſubinde adeò eſt grandis, ut, niſi inſtrumentis in veſica comminuatur, exire nequeat ſine magna partium ſenſibilium dilaceratione & ſymptomatum graviorum metu. Viam autem calculo per vim expreſſi calculi facere, periculoſum, facilè enim non ſolum vicinæ partes, ſed ipſa quoque veſica disrumpitur. In noſtra manu ſitum eſt vulnus novaculâ inflictum, at exprimenti calculo vulneris magnitudinem committere, periculoſæ aleæ plenum opus. Nec capere poſſum, quo modo hujusmodi vulnera citius curentur, quam illa, quæ cultro infliguntur. Non una enim experientia repugnat. Nec denique aſſequor, qua dexteritate inflictum in perinæo vulnus procuretur, ut dictum factum conſuetas mejendi vias par urethram lotium repetat. Sectionem hanc Caſtrenſis Lithotomi, minoris apparatus, ſeu ſine inſtrumentis, *Celſo* & *Guidoni* laudatam ſcimus, ſed in duo-

bus

bus differt à Raousiana, primò, quod in solis pueris proposita fuerit, deinde quod in majori calculo uncus adhibeatur. Quodsi in adultioribus hominibus, in calculis grandioribus, frequentiori experientia hanc sectionem comprobaverit Dn. Raous, magni Magistri titulum merebitur, de mortalium salute optimè meritus. *Celso* enim hactenus credidimus, ex lib. 7. c. 26. sectionem hujusmodi 1. in pueris tantum commendari. 2. festinanter in hac re agendum non esse, sed ita, ut quam maximè tutò fiat. 3. Pro calculi figurâ variâ variè esse digitis calculum compellendum. 4. Plagam paulò majorem, quam sit calculus, esse debere. 5. Perniciosius esse si calculus, præsertim asper, cum vi premitur, iter sibi faciat, ex quo & sanguinis profusio, & distentio nervorum. 6. Patentiorem fore fistulam ruptâ cervice, quam incisâ. 7. Si major calculus, injiciendum ei esse uncum. Certè nec uncus satis, nec tenacula ab *Hildano* descripta nonnunquam sufficiunt, sive pro calculo grandiori comminuendo, sive pro eodem eximendo, ut mirer quomodo digiti soli utroque munere defungi queant. Glandibus haud libenter vescimur, inventis frugibus. Magnam interim promptitudinem laudati Medici deprædico, crebis exercitiis

 acqui-

acquiſitam, & mortalium uſibus addictam, quam in majus extollerem, ſi Medici cujusdam exercitati teſtimonio ea confirmarentur, quæ Tholoſani Parlamenti Conſiliarius Illuſtris de amico teſtatus eſt. Fama ad nos pertulit, laudatum Medicum Caſtrenſem, ſectionem calculi non in perinæo, ſed in regione pubis adminiſtrare, quod tamen ex Relatione mihi miſſa non liquet. Quidquid ſit, ſi ea felicitate ſine itinerario, ſine retinaculis, aliisque inſtrumentorum apparatibus calculus eximi poteſt, carnifex ille corporis noſtri, omnium calculos niveos author obtinuit. Vos interim, amiciſſimi Affines, Clariſſimo *Juſtello* plurimam ſalutem meo nomine dicite cum prompta officiorum oblatione. Valete & me veſtrum amare pergite. Raptim Hafniæ 16. Julii. 1662.

V. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XX.

De agyrta Aubrio, & Cyſtotomis Pariſienſibus, variisque libris novis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

APprime gaudeo ſerioque lætor, Vir Cl. quod mei memineris: feceriſque ut de valetudine tua gratum nuntium acceperim per eam, quam ad me ſcripſiſti ante 4. menſes, ab 8. tamen duntaxat diebus acceptam per quendam Germanum, qui eam Bruxellis à nobili Dano mihi reddendam acceperat, neque enim usque in hanc urbem pervenit Vir tuus doctiſſimus, *Caſp. Kölichen:* Sed ejus cauſam planè neſcio: doleo tamen, quod eum non viderim, utpote qui de Te plura me docuiſſet. Vales igitur, & utinam diu vivas, & valeas, quod hactenus feciſti in publicum bonum cum tota tua familia. Pro Panegyrico tuo gratias ago quam poſſum maximas. Ciſtam tuam Medicam, & Epiſtolarum Centurias utinam videam, inter quas utinam legatur nomen meum, ut inde poſteri intelligant, me Tibi amicum vixiſſe: & par pari poſtea reddam. De Aubrio agyrta Monſpelienſi pauca dicam, ſed vera, & Sibyllæ foliis certiora. Olim fuit ille, adhuc juvenis, barbitonſor in urbe pa-

tria; ex necato quodam homine in caupona, fugit in Italiam, ut laqueum effugeret: ibi se Monachum fecit: post triennium abjecta cuculla, militem egit: confecto bello Monachus iterum fuit: postea sacerdotem se finxit, ac pro adulterina moneta fuit in carcerem conjectus: unde liber factus venit Parisios, ubi quàm multis, novæ cujusdam reformatæ & mysticæ medicinæ prætextu, fucum fecit speciosis pollicitationibus suis, præsertim vulgo imperito, tunicatoque popello: Sed tandem, fraude detecta, extinctaque ejus medicinæ fama, ne fame mala miserè periret, lenonias artes amplexus est, & in extremo Divi Germani suburbio, prope Mendoricum, cum quæstuariis mulieribus & diobolaribus scortis aliquo temporè vixit: hodie verò ubinam sit, vix quisquam novit. Habes historiam & summam vitæ maximi nebulonis, nequissimi bipedum, & impudentissimi Circulatoris: quam pene totam habeo à D. *Franc. du Bosquet*, Episcopo Monspeliensi: scias verò velim, miserum istum agyrtam nihil plus videre aut scire in medicina, quam ego in pictura: est enim omnium bonarum artium planè rudis & ignarus, & merè asinus ad lyram. Cystotomi nostri ad extractionem calculi vesicam non secant ad pu-

bem,

bem, ſed in parte ſiniſtra perinæi: à quibusdam tentatum fuit ad pubem, verum non ſucceſſit, nec reſpondit eventus: ideoque abjecta fuit illa cogitatio, etiam à quibusdam Medicis, qui eam propoſuerant. *Bilſium* illum, alterum ardelionem, ac inſignem novatorem, ne dicam nugatorem, parvi facio, imò nihil æſtimo. Quatuor è noſtris nuper obierunt, inter quos eminebat *Jo. Gorræus*, ſed valdè ſenex, anno nempe ætatis 86. Faxit Deus, ut in tot annos ſuperſtes vivas, ſanus & incolumis. Dnos Fratres tuos ſaluto. Vale, Vir Cl. & me ama. Pariſiis 24. Aug. 1662.

Tuus ex animo

Guido Patin, Doct. Med. & Prof. R.

DE ſecanda ad pubem veſica, Theſin compoſuit in ſcholis noſtris olim agitatatam, Vir maximus ac inſignis doctrinæ, Mag. *Nicolaus Pietreus*, quam veluti vitioſam & multis nævis ac erroribus Anatomicis refertam graviter improbabat *Jo. Riolanus*, Pietrei ex ſorore nepos. Si velis eam videre, facilè mittam. Vidiſtine librum nuper editum de Cereviſia, mihi dicatum à *Mart. Schookio*, Phil. Prof. in Acad. Groningana? Intra menſem alterum ejus librum expecto de

 Fer-

Fermentatione. Lugduni Gallorum brevi prodibunt omnia Opera *Cardani*, XI. Tomis in folio. Lugd. Batav. adornatur nova editio *Hipp.* Græco-Latina, cum Notis *Jo. Ant. van der Linden.* Londini, *Sam. Bochartus* de Animantibus ſacræ ſcripturæ: & *Diogenes Laërtius*, Græco-Latinus, cum Notis *Aldobrandini*, *Caſauboni*, *Menagii*, & aliorum eruditorum. Francofurti, *Petronius Lotichii* in fol. Genevæ Oeconomia *Hipp. Foëſii.* Antverpiæ, Hiſtoria ſcriptorum Soc. Jeſu. fol. Roterodami, Opera omnia *Deſ. Erasmi*, ſumptibus civitatis Roterodamenſis, 7. Tomis in folio. Lugduni, Annales Eccleſiaſtici Card. *Baronii.* Romæ, *Ciacconius* de Vitis Pontificum Roman. & Cardinalium, tribus tomis in folio. Pariſiis *Procopii* Opera omnia Græco Latina cum verſione & Notis Patris *Maltrait*, Jeſuitæ Tholoſani. Alter Lugdunenſis, dictus *Theophilus Raynaudus*, multorum librorum Author, ſcripſit quendam librum valdè ſatyricum, tacito nomine proprio, adverſus Cyriacos: quo nomine Dominicanos intelligit, inquiſitionis Romanæ magiſtros, ac ejus potentia nimis abutentes, magno Jeſuitarum dolore. Ad cujus refutationem ac reſponſionem ſeſe accingunt Dominicanini, & ex iis Pater *Combefis*, vir eruditionis

tionis non vulgaris: Tandem videbimus bellum Monaſticum. Vale, Vir Cl. meque, quod hactenus feciſti, amare perge.

Pariſiis 26. Aug. 1662.

G. P.

EPISTOLA XXI.

De Sectione Franconiana. Urinæ ſuppreſſio ad XIV. dies.

Guidoni Patino Lutetiam.

AUbrium graphicè deſcripſiſti, aliis coloribus inter noſtros depictum. Miracula enim præſtare poſſe, ex Germania nobis narratur. Nec deſunt, qui ad quamvis agyrtæ famam aures arrigant. Calculi ex inguine ſectionem veſtris Lithotomis non probari video, quam tamen tantopere laudat *Rouſſetus*, ex *Franco* quodam, à quo ſectio illa Franconiana illi dicitur, in pueris præſertim. Nec *Hildano* diſplicet in grandioribus calculis, qui ad perinæum perduci non poſſunt, minori enim cum dolore ac periculo hæmorrhagiæ ibi extrahi. Veſicæ conſolidatio illum non terret, quia fibras carnoſas habet, quarum beneficio calor ejus innatus fove-

fovetur, & vulnera curantur. Certè vulneratam vesicam sæpe contra *Hippocratis* prognosticum feliciter curatam memini, & passim exempla in observationibus signata testantur. Et quum ipse ventriculus, uterusque sine damno & vulnerentur & sanentur, quid in hac vesicæ sectione periculi subesse possit, non video, si exercitata manus accesserit. Non scio quid me absterrere debeat, nisi qnod vestris Cystotomis non successerit ista operatio, quorum aliàs in operationibus hisce dexteritas nota est. Doleo magnum vestrum *Gorræum* excessisse, ingens medicinæ columen. Sic pereunt magna nomina. Ut nobiscum quoque doleas, periit & nuperrimè Collega quidam noster, cujus fatum Tibi perscribam, ne nihil scribere videar. Vir Reverendus M. *Daniel Pfeiffius*, Collega noster eruditus, sanguineus & boni habitus, sed nephriticis doloribus non rarò vexatus, ætatis anno XLIV. in ischuriam repente incidit ipso Augusti mense, cum dolore obtuso sinistri lateris, ubi calculus hærere putabatur, nam ex dextri lateris uretere nullum existimavit sibi subsidium ad lotium reddendum; hinc suppressio urinæ totalis, nisi quod guttula una vel altera materiæ albæ, non fœtentis, excerneretur, alioqui nihil prorsus minxit. Alvus

tamen

tamen fluxit & clysteribus irritata & sponte sua, multisque liquidis ejectis, nonnihil alterius viæ urinariæ defectum solabamur. Vomitus semper urgebat, hærentis calculi in renibus signum. Evomebat verò bilem porraceam. Nullis remediis seu externis seu internis, etiam validissimis ex arte & amicorum consilio præscriptis potuit calculus loco suo depelli, vel lotium promoveri, nisi sola cantharidum infusione à me descripta, quâ ter cochleare unum vel alterum lotii emisit. Sed suppressa mansit urina, quia causa obstruens amoveri non potuit, nec calculus prope ureteris exitum impactus sinistro reni stationem deserere voluit. Toto autem suppressionis tempore nullum dolorem acutum sensit, fortasse quia calculus pituitâ obductus non vellicabat, quod etiam in D. Nivelle Castrensi annotavit *Borellus* Cent. 2. Obs. 63. & in matrona illustrissima *Willis* l. de Urin. Pubis regio prorsus flaccida, & vesicam vacuam syringa confirmavit. Protracta fuit lotii suppressio ad tertium & decimum diem, quo convulsiones leves apparuere cum larga narium hæmorrhagia, propter seri restagnantis copiam, qua & diaphragma pressum, unde dyspnœa, & sanguis attenuatus, & cerebrum tentatum; quanquam enim per alvum

alvum adundè ſerum eliminarit, manſit tamen plus juſto in venis, impedito per ureteres exitu naturali, quod etiam ſtupore ſe exſeruit digitorum extremorum ſtatim in medio morbi curſu. Pulſus, quod miratus ſum, ſemper ſibi conſtitit. Decimo quarto die, qui erat XVIII. Auguſti, convulſus obiit. Urinam per undecim dies ſuppreſſam pertulit Jo. Bapt. d'Ornano Mareſcallus Galliæ veſtræ, ſicut teſtatur *Scipio de Pleix* in Hiſt. Gall. In mercatore duodecim dies obſervavit *Jo. Petr. Lotichius* l. 4. Obſ. cap. 5. Obſ. 11. Iſchuriam intra diem ſeptimum occidere *Lommii* eſt prognoſticum l. 2. Obſ. Med. cujus exemplum habet *Beverovicius* de Calc. c. 9. quem tamen terminum non paucos transgreſſos eſſe, hiſtoriæ aliæ teſtantur. Ad quartum, quintum, decimum diem protractam annotavit *Foreſtus* l. 25. Obſ. 12. 17. 18. Octo dies & ſexdecim numeravit *Schenckius* in Obſ. Octo & decem *Tulpius* l. 2. Obſ c. 45. qui tamen poſt undecimum diem nullos vidit evaſiſſe. At *Carolus Piſo* Obſ. 125. decimo nono curatam ſudore obſervavit. Per ſex menſes ſuppreſſam urinam *Eonſeca* Tom. 2. Conſ. Med. 96. memorat, &, quod magis, annos duodecim addit *Ruffus Epheſius* de Veſ. Aff. c. 8. Noſter æger beatus

tot

tot dierum moras vivus pertulit beneficio alvi ſemper quaſi lubricæ, ſicut alii, quos ultra proceſſiſſe dixi, ſudore adjuti fuere. Incuſabat autem inter vitæ tædia Tincturam Solarem Amelungi, quæ nuper per ora hominum vulgari magnis encomiis ceperat, in pellendo calculo à nonnullis laudata, ab aliis rejecta. Nolui ego de remedii præſtantia ſiniſtrius judicare, quod ex methodo præſcriptum obeſſe non potuit. At æger noſter forſan impuro exiſtente corpore, guttas numero plures amicorum quorundam, quorum præceps ſolet eſſe in laudandis novis remediis officium, biberat, hincque præcipitata ex corpore calculoſa materia & ipſo calculo antea quieto ad ureterum orificia vehementius propulſo obſtructionis facillima occaſio emerſit. Peccant non rarò mortales præpoſtero rerum etiam utiliſſimarum uſu, authorque amicis meis eſſe ſoleo, ne in prandio illa vel edant vel bibant, quæ ad vias urinæ præcipitant chylum necdum ſatis coctum, unde graves calculoſis obſtructiones metuendæ. Calculoſis quippe tanto magis omnis obſervatio neceſſaria eſt, quanto magis obnoxia offenſis eſt infirmitas, quod ad ægros fuit conſilium *Celſi* l. 1. Semper ſanè de urinæ ſapore conquerebatur æger, quia ſcilicet ex ſale

Ar-

Armoniaco, Nitro & Antimonio ſecretam illam Tincturam Amelungi conſtare extra dubium credimus. Deus Te aliosque amicos ab hac ſimilique carnificina præſervet. Vale, Vir Summe, ut bene tecum amici valeamus. Hafniæ 25. Sept. 1662.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXII.

An Hernia inguinalis in adultis curabilis. De brevitate penis.

NICOLAO CORNELIO Panormum.

IPſo hoc momento lectis tuis literis perquam officioſis miratus ſum, quod tantum mihi præ reliquis terræ veſtræ Medicis tribuas, ut parem eſſe credas ſolvendis dubiis majoris momenti. Ne igitur ſpem tuam deſtituere videar, quanquam expectationi Tuæ forſan haud poſſim ſatisfacere, ad propoſita dubia reſpondebo. Herniam inguinalem in adultis pro incurabili non habeo, ſi vel recens ſit, non inveterata, vel imperfecta tantum ſit, tunica vaginali nonnihil dilatata. Utroque

que enim casu non difficulter primò reponendum est intestinum, deinde pars emplastro adstringente & vinculo munienda; in reliquis inveteratis & perfectis sectioni locus, quisquis eam voluerit experiri. Brevitatem τῦ αἰδοίου quod spectat, impedire illa potest conceptum, nisi vel ejaculatio fortior, vel calor uteri attrahentis, mulierisque vehementiori desiderio prolem exoptantis, sit robustior. Addunt aliqui, promoveri citius conceptum in tali casu virgæ brevioris, si concubitus more brutorum fiat. Hæc breviter, Tibi ut morem gererem, urgente abitum tabellario, ad dubia proposita reponere volui. Vale, & diu vive. Hafn. 5. August. 1662.

T. Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXIII.

De monstro Medioburgensi, & gemellis Danicis ex umbilico per partes prodeuntibus.

Antonio Deusingio Gröningam.

QUanquam nuperrimè literæ meæ ad Te commearint, nolui tamen scribendo defatigari, quia in amore & bene-

volo affectu Te video perennare. Nuper ſcilicet tuam Apologiam Antiblotteſandæam cum amicis literis accepi. Reſpondi ſtatim & meritas gratias egi. Rurſus hiſce diebus literæ cum Dn. *Paulli* ſcriptæ offeruntur. Quid plura? Officiis certas, quibus paria facere omni ſtudio allaborabo. Igitur cum urbem veſtram tranſiturus ſit Præſtantiſſimus L. *Foſſius*, Affinis meus & amicus dilectus, Magni quondam apud nos Medici filius haud degener, illo quoque interprete teſtari volui quanti Te Tuamque amicitiam faciam, & quam gratum mihi ſit à Te amari. Gaudeo quod paratam Reſponſionem habeas ad mea dubia, nec dubito quin talis ſit futura quæ & veritatem illuſtret, & amicitiam firmet. Neque enim alia mihi de Tuo calamo promittere auſim, quam docta, quam amica. Audio Medioburgi natum eſſe infantem monſtroſum ſine corde & cerebro, hepate amplis cavitatibus inſtructo, ex quo Cl. *Everardus* Tuus pro Hepate reducendo aliquid meditatur. Non ſpero tamen, monſtrum monſtroſumque hepar magnas mihi pariturum difficultates, præſertim quia cordis cavitates nactum fuit, ſine quibus cordis vicarias operas in ſanguine conficiendo exercere non potuit, de quibus plura ad Te perſcribam, ubi hiſtoriam preſſius
ad

ad examen vocavero. Multas enim vias eligit Natura p. n. quando impeditæ sunt ordinariæ. Ut interea subtile Tuum ingenium pascas, in rei fidem historiam signabo apud nos actam. Ingera Erasmi Jani uxor A. 1643. impraegnata gemellos gestare visa est. Instante partu post duorum dierum labores, nihil comparuit, sedatisque doloribus, iterum post sex hebdomadas, motum embryonum persensit, qui deinde quinque annorum spatio perduravit, ita tamen ut sensim observaverit constringi eos & imminui. Posteaquam mortuos illos esse erat suspicio, intumuit umbilicus, disruptusque fuit, & primis diebus aqua limpida, mox sanguis & pus effluxit cum ossiculis nonnullis. Per idem umbilici foramen, spatio 7. vel 8. annorum patulum, quamplura ossicula sensim prodierunt. Hujus loco successit aliud foramen infra umbilicum, ex quo alia ossicula infantis magno cum dolore adhuc quotidie exprimuntur à Natura. Ipsa hæc ossicula numero plura in Musæo servo. Quid Tibi perspicacissimo de insolita hac Naturæ via videatur, data opportunitate significabis, & me amare perges ex asse Tuum. Vale, mi Deusingi, & magnos Collegas Tuos *Maresium*, *Eyssonium*, *Schoockium*, ex me

 salu-

ſaluta. Raptim Haf. 15. Aug. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXIV.

Mirum in ſanguine phænomenon.

ECCARDO LEICHNERO Erfortum.

DIlatæ hucusque ſcriptionis culpam Bibliopolæ Hamburgenſi imputabis, qui promiſſa à Te folia necdum, quanquam interpellatus, miſit, ut ea propter de laudabili tuo inſtituto adhuc certus non ſim factus. Non tamen dubito, quin ea in publicum meditatus ſis, quæ demorſos ungues ſapiant. Neſcius interim ſum & dubius, cui ea commendare debeas, adeò ubique ferè gentium Muſæ pretium ſui amiſerunt. Prudentiæ Tuæ relinquo ad quos miſeris. De noſtris Mecænatibus multum Tibi aliisque ſponderem, ſi in alia tempora incidiſſent. Magnificus Cancellarius *Lente* ad Thermas Spadanas abiit. Reverſo literæ Nobiliſſimi Hartmanni, tuo nomine, tradentur. *Chriſtophorum Friſe*, quando advenerit, Tui cauſa amabo,

bo, & pro viribus annitar, si qua in re officia mea ipsi prodesse queant. De *Comenio* idem hactenus suspicati sumus, quod Tu times. Inter diffidentes tamen, literariæ amicitiæ exercentur. De sanguine olim inter nos actum memini. Nunc mirum ejus phænomenon accipe. In sanguine puellæ hoc ipso anno mense Junio, visa est à Chirurgo quodam, urbis hujus, species hominis capillati & fœminæ coronatæ sibi obversa, quæ tertiâ hora evanuit. Suspicor verò à sanguine vario efformatas fibras variam speciem oculis exhibuisse. Varius autem hujusmodi sanguis plerumque in scorbuticis nostris observatur, quorum ingens apud nos numerus. Hisce vale, Vir celeberrime, & de publico porrò mereri benè perge, meque ama tui amantissimum. Hafn. 15. August. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXV.

Sylvæ Epithalamicæ laus.

CAROLO DATI Florentiam.

GRatissimas Tuas literas X. Aprilis scriptas rectè accepi. Pro affectu, quem

ex illis perſpicio, ampliſſimas gratias ago & oblata officia gratâ mente manuque amplector. Spero jam traditum vobis eſſe meum librum, Magno Duci ſubmiſsè dedicatum, & per mercatores Hamburgenſes miſſum. Placuit multis argumentum, mihi verò tum denique placebit, ubi Magno Duci placuiſſe verbulo reſcripſeris. Silvam Tuam Epithalamicam, cujus exemplar communicavit *Scavenius* noſter, tanta aviditate perlegi, ut univerſam devoraſſe viderer. Tanta majeſtate verba copulaſti & acutos ſenſus, ut cunctos in admirationem conjeceris, etiam illos, qui præclariſſimæ linguæ veſtræ obſequio pollent. Nec credo noſtro ſeculo futurum, qui pari tecum in hoc genere ſit facturus. Nihil do auribus, ideircò nec plura addam. Optimè vale, Vir illuſtriſſime, & orbis literati bono diu vive, meque amare perge ſemper Tuum. Hafn. 30. Aug. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XXVI.

Obſervationes Anatomicæ in avibus & cuniculis.

Thomæ Bartholino Hafniam.

CUm pauculas meas luci publicæ exponerem obſervationes, decreveram, repoſitô in commodiora tempora cultro Anatomico, Geometricum radium tantum non abjectum reſumere; ne omne oleum & operam perdidiſſe viderer, ſi omnino desererem ſtudium, cui non paucas olim impendi horas, quodque non ut primarium ſed ut unicum tractaſſem niſi anguſta domi res utilia jucundis præferenda non tam ſuaſiſſet, quam imperaſſet. Sed vix purgati ſanguine digiti jucundiſſimo illo pulvere leviter erant perſperſi, cum Virorum Clariſſimorum partim minæ ſatis acerbæ, partim ſcripta parum amica, meamque ſententiam ſenſu non meo proponentia, deſideratam diu felicitatem mihi inviderent, & ut reſpondendi, ſic quoque ad ſanguinarium illud exercitium revertendi imponerent neceſſitatem. De Clariſſimo Blaſio noſtro nil dicam, qui cum ex illo tempore intra privatas ſe literas continuerit, nec ego publicè quicquam judicavi mo-

vendum: & ſpero eandem illam humanitatem tuam, quæ Te medium in illa cauſa promiſit, etiam id effecturam, ne & ille animo tantillum forte commoto habenas laxans ſibi ipſi obfutura ſit propoſiturus (id quod ab illo privatim jam tum factum demonſtrare poſſem, ſi ſcribendi deſiderio flagrarem) & ego rem totam candidi Lectoris oculis ſubjicere coactus bonas horas collocare tenerer in re famæ quidem innocentiam ſpectante, ad ſtudia verò vel publica vel privata ne tantillum conferente. Deuſingius vero noſter quô fervore Clariſſ. Dn. van Horne agreſſus ſit, quibus me titulis ornaverit, rem Tibi non ignotam exiſtimo. Quod ſi ut in invehendo in alios facundiâ nemini cedit, ſic in demonſtrando de veritate cum Mathematicis certaret, omnibus eadem cum illo non ſequentibus caſtra eſſet terrori: ſed jam de telis ejus dicere licet, quod olim de Jovis fulmine apud Lucianum Timon: οὕτω ἄλλόν τινα ἐπανατείνασθαι δοκεῖς αὐτοῖς, ὡς πῦρ μὲν, ἢ καπνὸν ἀπ' αὐτοῦ μὴ δεδιέναι, μόνον δὲ τοῦτο οἴεσθαι ἀπολαύσειν τοῦ τραύματος, ὅτι ἀναπλησθήσονται τῆς ἀσβόλου. Sanè niſi id agendum eſſet, ne aliorum ſilentium ſuam interpretaretur victoriam, paterer ipſum impune convitiari. Ut myſteriis pleniſſimus tandem impleretur numerus, acceſſit

acceſſit etiam Antonius Everhardi Medicus Medioburgenſis Clariſſimus. Hic modeſtia reliquos ſuperans, ut à convitiis abhorret, ſic & abſtinet à rationibus, non tamen ab experientia. Edidit paucos ante dies tractatum, cui hic eſt titulus: Lux è tenebris affulſa, ex viſcerum monſtroſi partus enucleatione; in quo, poſt deſcriptionem monſtri capite & pectore carentis, primo hepar velut inutile pondus à quibusdam fruſtra proſcribi conqueritur, cum ejus eadem quæ cordis ſit neceſſitas: (viderat quippe in hoc monſtro duo corcula hepati tanquam appendices ad utrumque latus adjuncta:) hinc me in ſcenam producit & dari vaſa lactea ſuccum lacteum in partium ſpermaticarum vulgo dictarum nutrimentum ablegantia, id quod ego tum rationibus tum experimentis impugnaveram, ſuorum ſe oculis demonſtraſſe credit. Sed aut me oculi fallunt, aut Zelandicis cuniculis dedit natura, quod Hollandicis denegavit. Aperui ſeniorum cuniculorum abdomina, juniorum exta inſpexi, fœtarum & ubera examinavi & uterum, ſed necdum licuit mihi eſſe tam oculato, ut alias, præter meſentericas & thoracicam, quæque ex mammarum glandulis ortæ ad papillam lac deferunt, obſervarem lacteas: ſed nec in iisdem fru-

 ſtra

ſtra unquam vel in hepate, vel in collo vel infra capſulam, vel in inguinibus lympham quæſivi, teſtibus Viris Clariſſimis Sylvio & Borrichio, qui ſuâ ſectiones meas præſentiâ fere ſemper ornarunt. Non ita pridem, quæ infra receptaculum decurrunt, vaſa omnia uno vinculo conſtrinxi, ratus fore, ut, ſi ulla vaſa lactea ibi eſſent, ſuo ſe proderent indicio; ſed à ligatura illico, quicquid vinculum inter & capſulam erat, evanuit, cum ultra vinculum magnus vaſorum numerus in majorem molem magis magiſque ſenſim attolleretur, præter limpidiſſimam lympham, nihil omnino continentium. Sed de re à prima lymphaticorum inventione Tibi notiſſima plura ſi adderem, inepti nomen nulla ratione poſſem evitare. Cum itaque hôc, ut vides Excellentiſſime Vir, modo Clariſſimorum Virorum partim privatæ literæ, partim publica ſcripta ad Anatomica me exercitia iterum retraxiſſent, ne frequens ejuſdem rei indagatio faſtidium pareret, in varietate delectationem judicavi quærendam: quo fine cum varia ad partes vocarem animalia, in corvo aquatico *Kolſer* vocant Belgæ, quædam vidi in aliis animalibus mihi necdum obſervata. Præ cæteris mirabar elegantes admodum vaſorum bilariorum pancreaticorumque in

inte-

inteſtina inſertiones: namque & bilis per duos diſtinctos ductus, quorum alter à veſicula, ab hepate alter oriundus, in inteſtina ſe effundebat, & pancreaticus ſuccus per totidem canales medio inter prædictos ductus loco egrediebatur, ita ut pancreatici ductus à ſe mutuò digitum diſtarent, & ab illis utrinque bilarii ad ſesquidigiti diſtantiam eſſent remoti: omnia vero quatuor oſtia pylorum reſpiciebant, quem inter & proximum ſellis canalem interſeptum ſpatium ſpithamam excedebat. Gratum hoc ſpectaculum ad aliarum avium viſcera examinanda me invitavit: & ecce caſu ſe mihi offerentem anatem, cujus inteſtina totidem quidem tum bilarios tum pancreaticos excipiunt ductus, orificiis tamen minime & ut in priori diſtinctos: omnibus quippe quatuor ductibus unus idemque in inteſtina eſt ingreſſus, & ut per pancreaticos inſerti ſtili pylorum reſpiciunt, ſic per bilarios demiſſi contrarium obtinent ſitum, ut adeoque in ipſo exitu ſe interſecantes ſetæ crucis formam imitentur. In canibus vidi ex eodem pancreate duos ad inteſtina ferri ductus, nondum tamen, niſi unicâ viâ bilem eo deferri obſervare licuit. Piæ memoriæ Parens Clariſſimi Viri meminit in Anatomicis inſtitutionibus, communem ductum aliquando

do bifidum repertum, ubi tamen, diversane fuerit utriusque origo an eadem, non additur. Sed ut ad corvum nostrum redeamus: vesicula fellis non accumbebat hepati, sed per mediam pinguedinem ad trium fere digitorum latitudinem extensa venæ portæ truncum & situ, & obiter inspecta etiam colore referebat, amplitudine verò major utpote auriculari meo crassitie non cedens. Quà hepati jungebatur, tres ejus observabantur ramuli, unus, qui in hepar ascendens infinitos emittebat surculos; alter minor & transversim versus hepaticum tendens; tertius, ante nominatus intestina versus descendens. Inflatâ vesiculâ in intestinalem ductum vento via patuit, alia non licuit in hoc subjecto penetrare, an quod nullis in hepar vel hepaticum pateret ingressus valvulis viam præcludentibus, an quod bilis crassior, meatus obstruxisset? Hæc aliaque examinantes ad elegantius spectaculum languescens cordis motus invitavit. Erat enim huic pullo cor adeo vegetum, ut micationes ejus ad secundam usque ab apertione horam ne tantillum quidem vel à celeritate suâ, vel à robore remitterent, ut adeoque, ne otiosi essemus spectatores, non modo prædicta bilis vascula interea observaverimus, sed & varia alia, ut membranas diaphra-

phragmatis munere ex Harvæi ſententia fungentes, renes cum ſuis ureteribus, ureterumque egreſſu, ventriculi figuram, ſitum, tubulos circa ſiniſtrum orificium plurimos, jucundiſſimam ventriculi ſuperficiei interiori adhærentem viriditatem, & quæ alia in abdomine contenta nec temporis nec chartæ anguſta ſpatia modo recenſere patiuntur, quæque præterea in aliis Tibi ſubjectis ſæpius viſa. Corde itaque jam tandem deficiente, ut eo oculos mentemque verteremus author erat Clariſſimus Sylvius (acceſſerat ille cum celeberrimo Piſone, & Medico Gedanenſi Clariſſimo Dn. Gottwaldo, licet Dominum Piſonem urgentia quædam negotia Amſtelodamum revocantia non diu mihi ſummi viri præſentiam indulſerint) qui ſæpius à ſe in canibus obſervatum dixit, non cor ſed proximam cordi cavæ partem ultimo mori: cujus obſervationis veritatem etiam noſtra hæc avis confirmavit. Corde namque rarius micante, & auriculæ patuit motus, & cavæ à motu cordis manifeſtiſſimè diſtinctus: qui, corde jam omnino emortuo, ad duodecimam uſque meridianam (hora enim nona matutina aperiebatur pectus) continuavit in ramo cavæ deſcendente, qua cordi jungitur, & auriculæ parte, quæ cavæ proxima: ſed & auriculâ munus ſuum tandem

dem intermittente, sola cava etiam post secundam pomeridianam visa est moveri, & resectô dextro cordis ventriculo, omnique, qui hepar inter & cor in cava erat, sanguine exhaustô, videbatur nihilominus in concidentibus in se cavæ tunicis fibrarum transversarum unius alteram excipientis intumescentia superiora versus ascendens. (Dissectô hinc corde in dextro ventriculo præfixam auriculæ valvulam vidi unicam tantum, eamque carnesam, qualem etiam in Gallina inde observavi.) Idem in aliis inde subjectis quæsitum, sed successu non eodem. Namque cavæ quidem motum omnium esse postremum, in quatuor, quos inde secui, cuniculis observavi, fibrarum autem cavæ motum in eorum nullo notare contigit. Sed & hoc cuniculis peculiare, quod ut aviculæ cava qua ramum descendentum pulsabat, sic in illis soli ascendentes rami se per intervalla constringerent. Ascendentium autem sinister in cuniculis à cava proxime supra auriculam exit & hinc transversim ad basin cordis sinistrorsum latus tandem rectà ascendit: atque ita ad auriculam dextram tres cavæ rami confluunt, descendens puta & ascendentium uterque, aut si secundum sanguinis motum describenda vasa, descendentium uterque cum ascendente, qui tantum unicus.

Primus

Primus eorum, in quibus primum movens quæſivi, hæc tantum exhibuit: deficiente cum corde auriculâ quinquiès, ſæpe ſexies pulſabat cavà, antequam vel ſemel auricula micaret; eductô ſanguine ceſſarunt omnia. Paucis inde diebus alter in ſcenam protractus cuniculus, in quo, remittente tantillum auriculæ dextræ reciprocatione, diſtinctius cavæ tum dextro tum ſiniſtro in ramo motus conſpiciebatur, qui tunicis licet ad tactum frigidis nihilominus continuavit, nec reſectô cordis mucrone ceſſavit, ſed novo ſanguine, poſt priorem exhauſtum, ex hepate propulſo de novo ſibi reſtitutus non minori ac ante vi tunicas per intervalla ſtringebat: etiam ad tertiam a ſectione incepta horam, cum poſt ligatum cavæ truncum aſcendentem, expreſſumque omnem ſanguinem latera vaſorum ſibi mutuo incumberent otioſa, reſecto iterum vinculo, iterum priſtinus rediit motus. Quæ in tertio cuniculo nobis viſa, diſtinctius obſervabantur: in auriculæ limbo motus notabantur contrarii, modo enim ab inferiori angulo ſuperiorem verſus movebatur, modo contrario ritu à ſuperiori verſus inferiórem quaſi repere quid conſpiciebatur: cumque limbus jam plane eſſet emortuus, videbatur nihilominus in medio quaſi plano fibra quædam ſua

con-

contractione vitæ indicia edere. Non hic apicem cordis, ut in priori refecui; fed per exiguum admodum foramen, vix aciculæ caput admittens, cum ramis cavæ tam afcendentibus quam defcendenti vincula injeciffem, fanguinem eduxi, & illico quievere omnia, fed cum illæfa cordis vafcula novum fuppeditarent, brevi rediit motus licet fatis exiguus, qui tamen, folutis omnibus vinculis, momento quafi invaluit. Circa vefpertinam fextam aperueram animal, & nihilominus poft horam mediatam nonam micabat cava, quæ interea temporis fæpius, ob repetitas ligaturas, non paucas micationes intermiferat; & jam ultimò vincula removeram, cum manifeftè admodum & diftinctè viderem in ipfo angulo, quo loco cum ramo cavæ inferiori fuperiores concurrunt, tunicam quafi momento in arctum contrahi, & poft fecundum quemlibet hujus anguli ictum ipfos ramos afcendentes moveri. In quarto nihil à reliquis diverfum notavi, quod cordis aut cavæ motum fpectaret. Et hæc funt, Clariffime Vir, quæ mihi de parte ultimo omnium moriente licuit obfervare: de caufa motuum horum modoque necdum vel cogitare aufus fum, cum, quod rei iftius difficultas exigit, tempus alia negotia mihi invideant, & rem viribus meis

meis majorem esse ingenii imbecillitas perpersuadeat. Quod si placeret humanitati tuæ summi & divini sui judicii sententia me informare, maximus pristinis Tuis in me beneficiis accederet cumulus. Prodiit hisce diebus Cartesii tractatus de homine una cum figuris à Florentio Schylio, inclytæ urbis Sylvæ Ducis Senatore & ibidem Philosophiæ Professore, editus, in quo figuræ conspiciuntur non inelegantes, quas ex ingenioso cerebro prodiisse certum est, an vero tales in ullo cerebro conspiciendæ, valde dubitarem. Sed nimis diu Clarissimum Virum detineo: cujus tempus gravioribus curis sacrum. Vale itaque Clarissime Vir & favere perge

Dabam Lugd. Batav. An. 1662. 26. Aug.

Tibi addicto discip.
Nicolao Stenonis.

EPISTOLA XXVII.

De pancreate & biliari ductu in corvis. Lymphæ stillicidium ex variis partibus.

NICOLAO STENONIS Leidam.

GEstit animus videre Lucem illam novam è tenebris Medioburgi affulgen-

tem, an levem flatum perferre queat. Quantum ex relatione intellexi, vel uno halitu spirituque extinguetur. Quid enim ex monstroso partu conficiet author? Certè præter monstrosas consequentias nihil. Et duo ventriculi cordis, monstroso hepati insculpti, satis evincunt, cordis hic negotium agi, non hepatis, quod hujusmodi cavitatibus solet carere. Lacteas quasdam ad mammillas recta sursum tendere vidit *Jo. Theod. Schenckius* l. 1. Exerc. Anat. 7. Sect. 2. c. 32. Sed talem surculum seu canaliculum lacteum ex thoracico ad musculos thoracis, & exinde ad ipsa ubera furtim serpere observavit *Pecquetus* Exper. IV. contra *Riolanum*. De ramulis quibusdam ad uterum quoque *Deusingius* in Inst. Anat. monet. Ut verum fatear, visus sum mihi videre non semel fibrillas candicantes hinc inde commeare, quas tamen non ausus sum pro lacteis salutare. Nolim tamen eapropter aliorum diligentiam damnare, si oculis magis lynceis viderunt, quæ nostros oculos subterfugerunt. Miror quod in cuniculis ea non observaveris, quæ *Everardus* tanta fiducia lectoribus commendat. Difficile tamen est iccircò hominem de ponte dejicere, quia non rarò levis circumstantia rem totam variat, sæpeque evenit, ut casu in rem aliquam incidamus,

nulla

nulla poſtea induſtria iterum inveniendam, id quod in chymicis operationibus perquam familiare. Magna autem nobis ſpes affulget, certam ex tuo cultro orituram experientiam, quem in perniciem animalium, ſed artis incrementum, ſæpe acuis. Corvus tuus multa aperuit, quæ curioſitate ſe commendant. Orificium ductus pancreatici ſurſum ſpectans, *Riolani* uſum confirmat, ut ſcilicet facili vomitu pancreas expurgetur, præſertim in febribus malignis & chronicis. Rarum eſt, quod veſicula fellis hepati non accubuerit. Sed non capio, cur ſtatim ſubjungas, tres obſervatos eſſe ejus ramulos qua hepati jungebatur. An diverſum credis jungi & accumbere? Cur non accumbere debeat hepati, hæc me judice ratio eſt, ne cordi ſit impedimento, nam ex obſervatione *M. A. Severini* part. 4. Zootom. p. 340. jecur corvi pauco aut ferè nullo intervallo diſtat à corde. Quod de bifido ramo annotaverat *Parens* in Inſtit. Anat. cum *Bauhino*, ad finem reſtringit *Veſlingius*, adeoque origine unum innuit. A vena cava motus initium eſſe, *Walæus* ante obſervaverat Epiſt. 1. etiam corde reſecto, ideoque circa cor carneas adeſſe fibras, alibi in cava haud conſpicuas. Nec mirum, hic motus initium & finem quærendum, ſiquidem univerſus

 cor-

corporis ſanguis hac via cor ingreditur ſalvo animali, vel ingredi conatur, etiam illo deficiente. Et ne hepati hinc criſtæ exſurgant, rectè *Walæus* in vivis canibus obſervavit à jugulo quoque eundem motum cavæ, quod in corvo tuo etiam deprehenſum ſcribis. Cæterum an veſiculæ bilariæ profundior ſitus corvum aquaticum ad crebras alvi excretiones ſolicitet, ut eapropter ingratiſſimæ naturæ dicatur *Olao Magno* L. XIX. c. XX. quia ſtercoribus egeſtis cortices ac arborum ramos, ubi habitat, imò gramina ſubjecta, inficit, ipſe accuratius expendes, antequam pro aſſiduo officio funus innumeris exequiis aliti celebres cum Populo Romano apud *Plinium* l. X. c. 43. tibique cum corvis ſua gratia referatur. *Blaſius* noſter longo jam tempore ſilet. Ex quo me litis arbitrum obtuli, nihil reſponſi tuli. Interim mallem inter vos concordiam, quam præteritarum injuriarum oblivione utrinque reducetis. Ductuum ſalivalium veſtigia cottidie latius ſerpunt. In ſtudioſo domeſtico, ſi linguam mane attollat, ductus ille ſublingualis apparet, lympham copioſam, rivuli inſtar, extra os profundens. Per alias quoque vias inſuetas lympham emanantem obſervavi. In duobus vidi pone aures aſſiduè ſtillantem, fontanellæ in morem. In alia fœmina

mina non ex aurium tantum regione, ſed infra mammas manat ſerum magno catarrhi moleſti emolumento, ſive quod lymphatici rami ad has corporis oras pertingant, ſive quod per vaſa ſanguinea exſtilſet lympha, per patulos poros expurganda. Penè memoriæ excidiſſent Obſervationes Malpighianæ, de quibus ſcripſi ad Cl. *van Horne* & *Borrichium*. Tu diligenter inquire, quid natura hac parte condat, & quid Tibi de his videatur. Vale, & me ama. Haſn. 7. Sept. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXVIII.

De ſtatu Jenenſi, & variis Eruditis.

THOMÆ BARTHOLINO Haſniam.

PUdet me in ſuperioribus ad vos meis mentionem feciſſe Exercitationum Anatomicarum, quas præter expectationem meam bibliopola domi reliquit. Ne videar autem promiſſis malè ſtetiſſe, ecce eas nunc offero, annexa prece, ut & mihi & mendis, quibus ſcatent, ignoſcatur. Cæterum bis mille civibus auctam Academiam

noſtram ſcias, & numerum ſtudioſorum artis brevi centenarium ſuppleturum; hicque is eſt fructus, qui profligatis iſtis peſſimis moribus, qui pennaliſtici audiunt, nobis arriſit. *Rolſinccius & Mœbius* Collegæ amiciſſimè vos ſalutant, quorum ſcripta propediem ad manus veſtras pertingent. Sub prelo eſt hiſtoria Humorum Generalis, item Exercitationes nonnullæ brevi luci dabuntur de Natura mineralium. Reliquas exercitationum mearum, quamprimum convaluero & valedixero muneri Magiſtratus publico, una cum prioribus correctis, ſum typis commendaturus. Hic nihil, niſi quæ veritati congrua tum utilia ſunt pertractantur. Tractatum iſtum veſtrum *De Luce Animalium* à nemine impetrare poſſum, cujus videndi copia mirificè teneor. *Sylvii* Leidenſis opiniones de ſede cauſisque morborum apud nos non merentur laudem, meræ hypotheſes ſunt. Approbatur judicium *Bartholinianum*, ſobrium placidumque. *Deuſingius* polemicus rectius faceret, ſi non omnibus tam acriter ſe opponeret, vir alioquin laude dignus. Interea ex tot Diſſentientium capitum arbitriis plurima bona arti Medicæ accedunt. Vos talentum veſtrum non ſepelitis. *Bilſius* inter barbaros refertur. Plura alio die. Deus ſanitati & felicitati veſtræ diu

diu multum præsit. Cursim Jenæ d. 3. Septemb. 1662.

Nobiliss. & Excell. nominis vestri
adorator devotus
J. Th. Schenck.

EPISTOLA XXIX.

De Mesenterii & ventriculi gangræna.

Joh. Theod. Schenckio Jenam.

PRolixitatem, qua in responsoriis meis anno superiori datis usus sum, brevitate jam compensabo, non quod in affectu Tibi Tuisque meritis debito quicquam exinde remiserim, sed ne multiloquio tua tempora publicis rebus destinata morer. Dubia Tua erudita expendi, quo successu, malo à Te rescire, quam divinare. Pro Exercitationibus Tuis ingenio & ampla eruditione expositis, gratias ago, quanquam eas antea à Bibliopola nostro pretio indicto emerim, nec enim carere possum his aliisque in arte nostra novis, quæ vel Tu, vel Collegæ Tui, vel alia seculi nostri decora in publicam lucem emittunt. Rogo ut cœptam telam per-

texas, addasque quæ adhuc desiderantur. Humorum Historiâ prolixè Tibi publicum obstringes, inprimis si *Helmontium* debellaris, juratum Scholarum hostem. Ex nostris officinis prodierunt Centuriæ duæ priores Epistolarum Medicinalium. De Pulmonum substantia & motu quoque aliquid commentatus sum. Substantiam mere vesicularem microscopio observavit *Malpighius* Bononiensis, quem pro virili auxi & illustravi. Motum consuetum contra *Helmontium* & *Cartesium* vindicavi. Hujus *de Homine* nuperum scriptum si vidisti, miraberis ingenium Viri ex cerebro suo cerebrum formantis. *Bilsius* adhuc tacet. *Deusingius* autem censorium calamum contra *Digbæum*, *Boylæum*, *Blottesandæum* exercet. Ad Hepar meum defunctum aliqua respondit, quæ anxiè expecto. Noster *Stenonius* Ductum salivalem contra *Blasium* Clarissimum, *Deusingium* exercitatissimum, & *Everardum* tuebitur parata responsione, quam brevi habebimus. Reliqua quæ in oculis brutorum observata vasa publicè non ita pridem descripsit, in homine manifestè quoque hac hyeme notavit, tum ex glandula oculi exteriori in tunicam palpebræ superioris interiorem pergentia, tum à punctis lachrymalibus patentia in nares, & alia curiosa pariter &

uti-

utilia. Noſter quoque in Theatro deſtinatus ſucceſſor *Jac. Henricus Paulli* Simon. filius, operam haud infelicem huic ſtudiorum generi navavit. Labyrinthum Bilſianum in collo animalium aliâ formâ invenit, quam nobis depinxit ille. De inſolitis partus humani viis nata mihi ſub manu Diſſertatio, data per gemellos occaſione, qui ex iliis & umbilico mulieris noſtratis per partes, multorum annorum decurſu, prodierunt, quæ forſan ad Nundinas Autumnales lucem videbit. Hinc ad novam Anatomes Reformatæ editionem ſerâ curâ accingar, quam ſeriò urgent Belgæ, qui promptius id petunt, quam ego perficio. Libri mei de Luce Animalium extincti prorſus videntur, quia nusquam proſtant, nec luci redonare eos poſſum, quia obruor aliorum multitudine. Plura alia ſuperſunt majoris momenti, quæ libentius perficerem antequam hinc migrarem. Interim hunc caſum mitto, ut ponderoſior ſit Epiſtola amica. Luſtrarunt 3. Febr. anni hujus novi Chirurgi noſtri urbani cadaver ſervi cujusdam Cæmentarii, violentâ morte pridie extincti, & ſequentia notarunt. Caput intumuerat & facies nigricabat, circaque collum papulæ fuſcæ. Scrotum cum reliquis partibus vicinis tumore inflatum, nigricans, gangræna obſitum. Crus

dextrum nigricans cum hydatidibus, sinistrum nonnihil sanioris erat coloris, sed hydatides ovi gallinacei magnitudinem superabant. Vulnus ex crure sinistro ad dorsi regionem penetrarat. Aperto abdomine visum est vulnus penetrasse intestinum rectum & mesenterium, cujus vasa læserat, unde ingens illa sanguinis profusio, & ex residuo cruore stagnante gangræna, quæ mesenterium occuparat, maximamque intestinorum partem dextri lateris, & dextrum ventriculi latus infecerat. Non igitur dextræ partes sinistris fortiores, sicut vulgo creditum, adeoque affectis partibus sinistris, dextri lateris quoque habenda est ratio. Tu verò, mi Schencki, carum nomen, feliciter vale cum Clarissimis tuis Collegis *Rolfinccio* & *Mœbio*, meque ama, quem Tuum esse crede constanti amore perennem. Vale. Hafniæ raptim IV. Mart. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XXX.

Resolutio Historiæ Partus infelicis gemellorum.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

AMicissimas denuo abs Te literas accepi, Excellent: Vir 15. Aug. Hafniæ datas, allatasque Groningam per Virum præstantiss. D. L. Fossium T. Excell. Affinem; at quem videre, ac coram salutare, ob præceps ejus iter, mihi hactenus non licuit: Ad scapham festinans, per internuncium sui præsentiam pollicitus est intra paucas septimanas, quam avide exspecto. Frequentia literarum me vinces fortasse, quod rarior mihi occasio suppetat; at certè nequaquam multitudine præsentiæ, quâ animus tecum est, dum sæpius Tua eruditissima volvit, nec affectu & candore, quantumvis hunc sane in nemine mortalium candidiorem suspiciam, quam in candidissimo Bartholino. Quod nondum, quæ pridem pollicitus sum, offeram, Typographi est culpa, qui lente procedit: Interim fidem Tibi facio, non alium animi proditura affectum, quam ipsemet geris, quàm ipse exspectas. Veritatis studium, (quantumvis cum multa cespitatione conjunctum) veritatis Amico, tam candido, tam ingenuo,

nuo, haudquaquam displicebit. De Monſtro humano (cujus injeci mentionem) ſine capite ac cerebro, ſine thorace, atque adeo ſine corde ac pulmonibus, Medioburgi genito, atque à Clariſſ. D. *Everhardi* deſcripto, tractatu quem *lucem è tenebris* vocat, actum à nobis in *fœtus Muſſipontani ſecundinis*, (ut voco) quæ itidem lentè ſub prelo procedunt. Nequaquam ex eo ſanguificationis perfectæ officium Hepati exiſtimem aſſeri, cum fabrica cordi analoga corpori hepatis adfuerit, ſine qua circulatio ſanguinis nulla potuiſſet adeſſe, nec adeo monſtroſus ille fœtus nutriri, atque nutrimento augeri; neque adeo vivere, ne quidem vitæ infimo illo gradu: veruntamen liquet ex illo animante, quod & folliculo fellis carebat, & canale bilario, referente D. D. *Everhardi*, nequaquam hunc eſſe Hepatis uſum primarium ac principalem, ut bilem ſecernat, (quâ hoc monſtrum carebat, ſat vaſtâ hepatis mole, pro corporis ratione inſtructum) ſed potius ut ſanguini conficiendo contribuat ſubſidiariam opem, eamque non contemnendam; vereque cordi ſanguinem præparet, actuandum ſpiritu vitali in corde, ac quoquoverſum vi cordis pulſifica propellendum. Sed hiſce nunc miſſis, conſideratione digniſſimus caſus, à T. Excell. commemoratus, qui ita habet.

Inge-

Ingera Erasmi Jani Uxor A. 1643. imprægnata gemellos geſtare viſa eſt, inſtante partu, poſt duorum dierum labores nihil comparuit, ſedatisque doloribus iterum poſt ſex hebdomadas motum Embryonum perſenſit, qui deinde quinque annorum ſpatio perduravit, ita tamen ut ſenſim obſervaverit conſtringi eos & imminui. Poſteaquam mortuos illos eſſe erat ſuſpicio, intumuit umbilicus, disruptusque fuit, & primis diebus aqua limpida, mox ſanguis & pus effluxit, cum oſſiculis nonnullis. Per idem umbilici foramen, ſpatio 7. vel 8. annorum patulum, quamplura oſſicula ſenſim prodierunt. Hujus loco ſucceſſit aliud foramen infra umbilicum, ex quo alia oſſicula infantis magno cum dolore adhuc quotidie exprimuntur à Natura.

Cum exigas à me Vir Excellentiſſ: judicium de hoc caſu, in Tui obſequium, quid ſentiam, depromam. Varia equidem hic poſſunt in conſiderationem venire. Nam 1. Dubium fortè poteſt videri, an ullo ſigno geſtatio gemellorum (quos eventus in hoc caſu arguere videtur) colligi queat? Utique ipſe abdominis tumor gemellos minimè comprobat, utpote qui nonnullis unum fœtum geſtantibus major eſſe poteſt, quàm aliis quidem geſtantibus gemellos : nec

nec certi quid arguit protuberantia in latera, qui quandoque ex æquo ab uno itidem fœtu contingit utrinque, ac, ubi gemelli gestantur, fieri potest, ut protuberantia in alterutro latere major sit. *Hippocratis* quidem effatum novimus aph. 48. sect. 5. *Fœtus mares dextra luteri parte, fœminas sinistrâ magis gestari:* quæ pridem quoque *Parmenidis* & *Empedoclis* opinio fuit: at quam nec rationi nec experientiæ congruere, ab *Aristotele* ostensum 4. *de gen. anim.* cap. 1. Et experientiæ quidem id ipsum sæpius contrarium esse confirmat *Harvæus de gen. anim. Exerc.* 69. comprobaturque idem à T. Clar. *Cent.* 5. *obs.* 88. Quin & ipse *Hipp.* in lib. *de superfœtation.* Si semen viri sit bene concoctum, calidum & robustum, & illud in duos sinus uteri distribuatur, in duobus illis sinubus mares duos gemellos concipi ait. Certe multa hæc opinio supponit vel falsa, vel saltem incerta. De seminis virilis quoad corpulentiam in uteri cavum ingressu refutato ab *Harvæo* (de quo & à Nobis in *Microcosmi Genesi*, eidemque adjectis *Curis secundis*) impræsentiarum nihil dicam: Saltem perperam & contra αὐτοψίας certitudinem uteri humani cavo duo sinus tribuuntur, cum sola lineola cavitatis unius ejusdemque regionem utcunque distinguat; ac fœtus

fœtus contentus totum uteri cavum ex æquo undiquaque adimplere deprehendatur. Loquor de utero humano: Nam alia eſt ratio uteri Brutorum viviparorum, quæ pleraque uterum in cornua utrinque habent diductum fitque horum conceptus non in uteri propylæo, ſeu potius non fit in cavitate communi, ſed in cornibus uteri, & quidem ſæpius mares in ſiniſtris, fœminæ in dextris (vel ſaltem promiſcuè) ex *Harvæi* obſervatione. A ratione id quoque alienum cenſemus, eſſe dextras partes ſiniſtris calidiores; atque à dextra parte calidius utero ſemen obtingere. Nec quicquam huc facit, quod vena ſpermatica dextra à cava, ſiniſtra ab emulgente originem ducat; hæc enim perſuaſio ex ignoratione circulationis ſanguinis eſt genita, quâ conſtat non per venas, ſed per arterias, (quæ utraque ab aorta procedit) ſanguinem ſpirituoſum ad teſtes deferri: ut adeo & illa *Heurnii* correctio ſit vana & inutilis, qua in *comm. ad aph. alleg.* quibus dextrum vas ſpermaticum à renali, inquit, & ſiniſtrum à vena cava deſcendit, iis ſiniſtrâ mares, dextra vero uteri parte potius fœminæ geſtantur. Sed circa ipſam quoque ſeminis materiam fortaſſe non omne dubium expeditum eſt. Fallacia mammarum indicia nunc mitto.

2. Hoc

2. Hoc dubium in caſu præſenti nobis occurrit, an *labores* primi, *duorum dierum*, legitimo partus tempore obtigerint; vel annon potius poſt ſeptimum menſem geſtationis præmaturi labores geſtanti fuerint oborti, iterumque dolores illi ſedati ad decimum usque menſem, nempe ad tempus legitimum. Non congeram hic multa de ſeptimeſtri partu, frequentiore quam octimeſtri, ejusdemque cauſis: de quibus *Hippocrates*, & alii paſſim. Saltem dubium eſſe poteſt, an poſt irritos labores, legitimo quidem ac naturali partus tempore obortos, ſupervivere fœtus in utero potuerit ad ſex ſeptimanas, tumque demum ad novum exurgere motum. Haud equidem ignoro, homini præ aliis animalibus incertum pariendi eſſe tempus, quod ipſum quoque ab *Ariſt*. 4. *de gener. animal*. cap. 4. & 7. *Hiſt. anim*. cap. 4. itemque *Plin. libr*. 7. H. N. c. 5. aliisque inculcatur: Sed illud incertum tempus potius intra decimum menſem, ceu terminum ordinarium, reſtringi exiſtimem, quam ulterius excurrat. Referuntur quidem tum à veteribus tum à Recentioribus varia exempla fœtuum *undecimo*, *duodecimo*, *decimo tertio*, *decimo quarto*, *decimo quinto* menſe geſtationis natorum, quorum nonnulla ex aliis commemorat *Spigel*. de *incert*.

incert. temp. part. Ac *Harv. Exerc. de partu* exemplum refert fœtus ultra ſedecim menſes in utero geſtati; quinimò viginti tres menſes, item duos atque etiam quatuor annos geſtatorum mentionem facit *Hieron. Mercurial.* in Conſil. Sed circa tales, ſi quidem vivi naſcantur in lucem, plerumque id putem locum habere, quod ſtatuit *Hipp. lib. de Natura pueri: Nim.* Si quæ ultra decem menſes utero geſtare ſibi viſæ ſunt, eas hoc modo fallere: Cum uteri, inquit, à ventre flatum ſuppeditante ſpiritu diſtenduntur, & intumeſcunt, tunc mulieres ſe concepiſſe exiſtimant: Et ſi menſes minime prodeuntes longiorem moram fecerint, &c. tunc in tumorem ſublatis uteris mulieres utero ſibi geſtare videntur: &c. At ubi poſt conceperint, harum rationum ac rerum ignaræ, eo tempore ſe concepiſſe reputant, quo menſes ſuppreſſi erant, & uteri intumuerant. Eadem mens eſt *Ariſt.* qui ideo 7. *Hiſt. anim. cap.* 4. circa eos, qui undecim menſibus diuturniores ſunt, mulierem ſui conceptus initium latuiſſe contendit: Latet enim mulieres, inquit, conceptus initium, ſi, cum ante inflatus fuerit uterus, ut ſæpe accidit, poſt coierint, & conceperint. Hoc enim principium eſſe ſui conceptus exiſtimant, quod ſimile indicium attulit.

Quamvis igitur ante decimum mensem (quod ordinarium tempus est) vitales partus fiunt aliquando septimo, octavo, nono mense, ut inculcat *Arist. loc. cit.* quinimo & quandoque quinto vel sexto mense, si vera sunt exempla quæ refert *Harvæus* de *partu*, ex *Vales. Spigelio*, *Avicenna* (de qua re pluribus in *Microcosmi Genes. part.* 3. S. 2. §. 83. & *seq.* disserui) an tamen æque post ordinarium tempus, quod decem mensium definit *Hipp.* partus in longius tempus dilati vitales exiltant, id majorem forte difficultatem involvit: Equidem censui ego *alleg. loc.* §. 94. ordinario quidem tempore illo Naturam crisin, quæ ad partum tendat, moliri solere, sive ea perfecta, sive imperfecta succedat, sive ad salutem, sive ad mortem; fieri autem posse quandoque, ut, post tentatam crisin non succedente fœtus exclusione, mater & fœtus in vivis supersint; at hæreat etiamnum ad tempus in utero fœtus, donec novam excretionem Natura moliatur, fœtusque cum Natura conamen intendat: Sed addidi, id eo duntaxat casu evenire posse, (meo quidem judicio,) cum etiamnum copiosi humores intra Amnion circumfluunt fœtum; ipsamque liberiorem respirationem arcent, quam exurgentem, absumpto intra Amnion liquore, impo-
nere

nere sensim necessitatem partui, exposui *ibid.* §. 71. & seq. Utique patet ex iis, quæ illic declaravi, non posse fœtum respiratione carere, simul atque cœpit respirando aërem in pulmones adducere; ac rarescentibus pulmonibus necessario liberiorem respirationem affectare, vel in utero emori. An autem possit post decimum mensem (cum copiosiore fœtus alimento jam indiget,) per multas hebdomadas tantum in Amnio humorum superesse, quod omnem plane respirationem impediat, id jure merito tale crediderim, de quo possit dubitari: Nec sine ratione mihi quidem videtur, post varia diducta, definitum à *Paul. Zacchia Quæst. Medico-Leg.* lib. 1. tit. 2. quæst. 6. supra decem dies ultra decimum mensem vix unquam portari posse fœtum vitalem.

Sed 3. Posito, quod forte in casu præsenti vixerint fœtus ad sex septimanas, post tempus partus legitimum & ordinarium, ut adeo iterum post sex hebdomadas à prioribus laboribus, (seu duodecimo mense gestationis) sub secundo conamine, motus novus infantum in utero contigerit; qui potuit ille quinque annorum spatio perdurasse? qui potuit fœtus præpeditus in exitu tam diu in corpore materno vixisse? Plures equidem historias fœtuum,

qui biennio, triennio, quadriennio in utero materno fuerint gestati, commemorat *Zachias loc. alleg.* §. 2. à *Schenck* lib. 4. *Observ.* tit. *de partu* allegatas; sed eas fabulis & portentis annumerat, ac pari illas loco constituit cum fabula illa apud *Trigant.* lib. 1. *de Christ. exped. apud sim.* cap. 10. quâ fabulantur Chinenses, quendam eorum Philosophum nomine Lauzu, octoginta annis in parentis alvo fuisse gestatum. Crediderim ego illum motum partim ex fermentatione quadam vitiosorum humorum, partimque ex flatibus excitatis fuisse obortum. Ita refert *Harvæus* Exerc. de Partu, se novisse matronam nobilem, quæ plus decies enixa fuerat, quamque menstruorum suppressio citra prægnationem nunquam fefellerat; postea autem alteri denuptam, præter alia signa solita, ex motu quoque (quem ipsa sororque ejus juxta cubans sæpe noctu sentiebant,) sese gravidam judicâsse, neque ab ea opinione ullis argumentis dimoveri potuisse, donec tandem spes omnis in flatus & pinguedinem facesseret. Simile exemplum refert ibidem juvenculæ, quæ symptomata omnia prægnantes comitari solita experiebatur, ipsumque in utero motum, atque jam indicia imminentis partus adesse rata, cubile, incunabula, cæteraque ad partum necessaria,

ria, in procinctu habuit: Sed frustra omnia; motus enim cessâsse, & ventrem detumuisse, absque ulla ægritudine. Similem juvenculam ante biennium hîc ipse sub cura mea habui, quæ omnia ad partum, jamjam imminentem, ut putabat ipsa, pararat, at cujus spes omnis in flatus evanuit.

4. Sed si ergo fœtus, in præsenti nostro casu, credendus videatur non amplius vixisse, dum motus ille quinquennalis perduraret, quid accidit circa fœtum, vel potius gemellos, quos utero gestasse prægnans videtur? Veri simile existimo, sub secundis laboribus, (qui tempore legitimo, ac Naturæ consueto, sc. sex septimanis post priores illos præmaturos sedatos, denuo fuerint exorti) cum iterum hîc irritus, ut ante, esset exclusionis conatus, suo motu infantes validiores tandem perrupisse ipsum uterum, atque in abdomen proruisse; ibidemque exstinctos (vel quod abruptus umbilicus cum sanguine vitam ipsam profuderit, vel quod requisitæ respirationi commodus locus deesset,) in putrilaginem temporis tractu abiisse. Sic in utero quoque fœtus extinctos in putrilaginem abire, exempla testantur. Perire intus conceptum, inquit *Harvæus Exerc. de Partu*, & in putrilaginem versum sensim

indies (tanquam fluores albos,) emanare, nonnunquam observavimus, tum in mulieribus, tum etiam in aliis animalibus. Erat non ita pridem Londini mulier, inquit, quæ post ejusmodi abortum concepit denuo, debitoque tempore infantem peperit; postea vero interpositis aliquot mensibus, dum consueta obit munia, sine dolore & ægritudine aliqua insigni, prioris abortus ossicula nigra frustulatim ejecit, &c. In *Harvæi* equidem isthoc exemplo dubitari potest, an mulier illa bipartitum fortè uterum habuerit; velut dubitat *Bauhinus* in *append.* ab *lib. Rousseti* de *part. Cæsar.* itemque *Theatr. Anat.* lib. 1. cap. 38. pag. 127. an mulieres, quæ superfœtare solent, aut plures fœtus quàm duos generant, bipartitum uterum habeant, ut canes, lepores & similia animalia, quæ multos generant fœtus? cujusmodi muliebrem uterum aliquando inventum commemorat ibid. In præsenti nostro casu putrilago effluere, ipsaque ossa prodire per muliebria nequivere, utpote in ipsa abdominis capacitate (dum uteri hiatus coalesceret denuò, quod facile fieri à *Rousseto* de partu Cæsario aliisque per exempla ostenditur,) undiquaque conclusa: quæ postmodùm facto ad umbilicum sponte naturæ foramine, pro exitu contentorum, per id ipsum emanarunt.

runt. Sic & materiæ purulentæ in pectoris cavitate longissimo tempore conclusæ exempla sunt obvia, nobisque non uno casu observata, ad quos aphor. 15. s. 5. non videbatur pertinere, non nisi ad illos qui ex pleuritide empyi fiunt referendus, quod etiam *Gal.* in *comm.* insinuat. Prout autem corpora infantum abdomine matris inclusorum, sensim in putrilaginem abierunt, ipsaque ossa eorundem sensim propius ad invicem collapsa sunt, quin & materiæ contentæ portio aliqua forsan calore dissipata est, vel intra vasa absorpta, ac sensim à natura, quibuscunque tandem viis, expulsa, ita sensim gestans observavit molem in abdomine contentam constringi & imminui. In difficili equidem partu disrumpi quandoque ipsam uteri substantiam, ac fœtum prolabi in abdominis cavitatem, nec alienum à ratione est, nec caret id ipsum evidenti experientia: Quod tamen in fœtu Mussipontano (cujus casum pronuper Celeberrimus D. *Straussius* exhibuit cum erudita Resolutione,) nequaquam potuisse locum habere, ostendi pluribus in tractatu, quem *Fœtus extra uterum in abdomine geniti secundinas* libuit inscribere, Sect. 20. nec non in Fœtus ejusdem *Vindiciis*, (adversus Tenebrionem, qui *Blottesandæi* nomine ficto varia nostra arrodere instituit,)

Sect. 3. Unde in consideratione Physico-Anat. Casus illius à D. *Straussio* exhibiti, ostendere conatus sum, fœtum illum extra uterum in abdomine genitum fuisse, nempe in uteri Tubis, quam item fuisse Tuæ Excell. sententiam, in judicio lato circa casum eundem, ex iis cognovi, quæ postmodum Celeberrimus D. *Straussius* collegit, ac denique Tua Excell. *Hist*. 92. *cent*. 6. Cæterum aliàs sæpius in partu difficili, vel & alio casu, fuisse uterum disruptum, ac fœtum prolapsum in abdominis cavum, ibidemque sensim in putrilaginem abiisse, sicque ipsam semiputridam, vel materiam purulentam, ipsaque ossa tandem affectatâ per abdomen via prodiisse, liquere potest exemplis allatis à D. *Bauhino* in *append*. ad *Roussetum de part. Cæsario*, Histor. 5. & 6. quorum prius item commemorat *Platerus* obs. lib. 1. Tit. *part. defect*. ut nunc prætermittam *Salmuth*. obs. med. *Cent*. 1. *obs*. 16. *Sennert. lib*. 4. *prax. part*. 1. *s*. 2. *cap*. 17. aliosque plures aliorum exempla referentes, itemque *Albucasin*, *Marcellum Donatum*, *Marsilium Cognatum*, *Jo. Langium*, à Te allegatos prædicta *Hist*. 92. *Cent*. 6. Nec mirum utique, Naturam hic fœtum putrescentem, vel ossa ejusdem, per abdomen excludere, quæ aliàs passim materiam quamvis irritantem sibique mole-

stiam

ſtiam creantem protrudit ac propellit, ac propellendo materiam eidem interim exitum parat. Sic oſſium fragmenta, utut ipſis vulneribus vel ulceribus occluſis, per carnes ſanas à natura protruduntur, atque ad exitum urgentur. Sic refert *Hildan. Cent.* 1. *obſ.* 54. & *Cent.* 5. *obſ.* 75. à *Laurentio Jouberto* oſtenſum fuiſſe cultellum obtuſum, qui panno obductus ab Opilione alteri cuidam vi in os ingeſtus & per gulam dimiſſus fuerit, totoque biennio in corpore deliteſcens, tandem abſceſſu in inguine facto, fuerit excretus, ipſeque æger curatus, qui per ſeptennium ſupervixerit. Hiſtoriam refert *Sennert. lib.* 5. *pract. part.* 4. cap. 5. Studioſi cujusdam, cui cùm vulnus cultro infligeretur ad naſi radicem, internumque oculi angulum, cultri vi fracti dimidia pars, digiti fere longitudine inibi infixa hæſerit, quæ poſt anni quadrantem juxta columellam in faucibus prodiit, ibidemque à Chirurgo exempta eſt. Simile exemplum hîc quoque Groningæ contigit ante aliquot annos, ut nempe homini, cui culter per os ſyncipitis fuerat adactus, longè poſt tandem à vulnere ſanato, diffracta cultri pars media circiter juxta columellam prodiret, ibidemque eximeretur. Aciculam aliquando, quam deglutiverat puer, per ſcrotum prodiiſſe, memorat *Heurnius*. Plura id genus

nus exempla prætereo. Certè fœtus illi in nostro Casu, extra uterum prolapsi in abdominis cavitatem, molestiam ibidem Naturæ creârunt, ipsaque ossa pungendo, ac moles premendo, dolores continuos in abdomine excitârunt, quæ adeo Natura, quà potuit commodè, propellere instituit, foramine facto in ipso umbilico priùs intumescente, pro exitu putrilaginis atque ossium fœtus unius forsan, alteroque vicino, pro exitu ossium fœtus alterius. Interea hi fœtus, disruptis membranis atque uteri substantiâ, in abdomen prolapsi, nullo illic involucro fuere investiti; alioqui nequaquam per partes prodiissent: at aliter ille Mussipontanus, intra uteri cornu perpetuò conclusus, cujus tunicam crassiorem pro involucro habebat: hi nullis ligamentis alligati ullis partibus vicinis; at Mussipontanus peritonæi productiones, ipsum uteri cornu huic inde nectentes, pro ligamentis quasi habere videbatur: Hi in locum alienum cum violentia prolapsi, subitoque extincti, non potuere non in putrilaginem abire; at ille, in loco sui conceptus remanens conclusus, cum vita sensim est exutus eâ corporis dispositione, quâ ad putredinem inclinaret sensimque lapidescens, sicque à putredine immunis redditus, eodem statu permansit, eodem loco naturæ minus incom-

incommodo detentus, quo nempe ab initio fuerat conceptus. Dehiſcente autem in præſente Caſu præ tumore umbilico, primum aliquot diebus, dum ſcilicet nondum èatenus pateret umbilici foramen, (quod moliebatur natura,) ut contenta in abdomine materia promanaret, aqua limpida prodiit, fortaſſe ex nonnullis lymphaticis Tuis, vel fortè roriferis Bilſii dimanans, vel ipſe ſeroſus ſanguinis humor, ſive ordinarius ſive ſuperfluus (nam & diuturno morbo cachecticam pridem evaſiſſe mulierem veriſimile videtur) facilius epidermide per umbilici tumorem ruptâ exſudans, ut ſolet paſſim poſt veſicationes aut excoriationes cutis accidere: At foramine magis patulo evadente, ipſaque carne dehiſcente, ex ruptis vaſculis ſanguis porro profluxit; donec tandem hiatus in abdomen pateret, ac contentæ materiæ ſanioſæ ac purulentæ exitum daret; poſtquam oſſicula præter naturam contenta, naturâ heterogeneam hanc molem reſpuente, longo tempore prodibant, ipſumque foramen apertum ſervabant; Quod cum poſt plurium annorum lapſum fuit tandem occluſum, nondum omni materia moleſtante excluſa, vel quod fœtus alterius oſſicula forſan aliorſum divergerent, pro ratione loci in quo computruerat, his aliud à

na-

natura foramen eſt factum, quo exitum invenirent. Sic equidem Natura ſibi eligit vias, pro expellendis præter naturam contentis, ad quas ipſa contenta, quæ urgent Naturam, inprimis inclinant. Hæc paucis volui ad caſum, à Tua Excell. memoratum, Tuo judicio ſubmittere: Nequaquam quod putem, me videre hic poſſe, quod ipſe non videas exactius & perſpicacius; ſed ut promptiſſimum ad obſequia Tui Tibi comprobem animum, moremque tuis deſideriis geram. Vale, amiciſſime Bartholine, ac, quod candide agis, deinceps porro amare perge

Tuum omni ſtudio ac cultu

Gröningæ 16. Sept.
Ann. 1662. A. Deuſingium.

EPISTOLA XXXI.

De iisdem gemellis dubia expenduntur.

ANTONIO DEUSINGIO Gröningam.

FElix eſt etiam inter maxima tormenta Ingera noſtra, mirabilis partus mater miſera, quod celeberrimo tuo calamo nobilitetur & illuſtretur, ſolatiumque ingens ſentit, ſi quidem bona ſua norit, quia curæ Tibi fuit infelicem illius hiſtoriam expen-

dere. Ego verò illuſtria amoris tui & affectus documenta exoſculor, quod eruditione varia & conſtanti benevolentia amici partibus tam ſtrenuè ſemper defungaris, ut mirari ſatis nequeam tam promptum Tibi eſſe ingenium ad dubia ventilanda, & tam pronum animum in officiis amicorum. Album calculum merentur omnia, quæ nervosè pariter & doctè de Ingera noſtra commentaris. Ægrè tamen non feres, ſi in nonnullis hæſitem, neutiquam ut diſſentiam, ſed ut veritatem abditam provocem. Nolim enim inter eos numerari, qui apud *Plinium* nunquam idem cenſent, ne videatur acceſſio alterius. Quid de iſtius fœminæ partu mirabili ſentiam, publica Diſſertatione prodidi. Jam ex lecta Tua Disquiſitione ſeu Reſponſione ad Epiſtolam meam prorſus docta & accurata, nonnulla ruminabo, quorum è ſucco, ut cum *Lucretio* loquar, mihi voluptas eſt in fine palati.

Principio quæris, an ullo ſigno geſtationem gemellorum colligere potuerit Ingera noſtra? Suſpicor ex eventu ita rem geri divinaſſe, quippe oſſium excretorum numerus, quorum apud me magna pars ſervatur, de duplici fœtu certiorem facere potuit. Contuli ego inter ſe oſſicula, quæ penes me ſunt, vidique nonnulla duplicia, inprimis cranii, quanquam plura adhuc apud

apud puerperam perierint, antequam à Pastore loci religioso & docto colligerentur mihi transmittenda. Alia signa gemellorum fallere solent, sicut rectè monuisti. Tumor enim sæpe major in simplici partu quam gemellis, quod sæpe observavi, sive quod copia humiditatum ibi major sit, sive quod fœtus simplex nonnunquam gemellos vel æquet vel superet. Duplicem in abdomine lineam aliqui pro indicio habent gemellos gestari utero, sed in uxore mea id non successisse animadverti. Motuum vel diversitas vel vehementia suspicionem firmiorem subministrat, exemplo Rebeccæ *Genes.* 25, 22. 23. 24. quæ tamen de suspicione dubitasset, nisi DEUS eam confirmasset. Sanè non paucas gravidas novi, quæ in hoc signo falsæ sunt, uniusque fœtus diversum validumque motum sentientes. Singulare experimentum affert *P. Packequus* obs. 45. ad *Riverium*, ultimis nempe mensibus tibias & pedes inflari. Quod verum deprehendimus in omni ferè gestatione, etiam simplicis fœtus. Fœmellæ id signum veteres crediderunt. Ita *Plinius* l. 7. c. 6. ingestabile onus, crurum & inguinum levis tumor. Magnus *Salmasius* suspicatur legendum, *inguinis lævi*, nulla, ut puto, necessitate, quippe utriusque inguinis in utroque sexu tumor obser-

observatur, niti turque illa emendatio Viri summi antiquæ Medicorum sententiæ, quæ, præeunte *Hippocrate*, existimavit fœminas sinistra magis gestari, quod experientiæ repugnat. Obstetrix nostra Hafniensis junior impraegnationis suæ certum indicium exinde desumit, quando pedes nigricant. Ad diem partus iste color permanet, postea sensim naturalis color & facies in pedibus redit. Causa sine dubio in venis isto tempore obstructis quærenda, quæ hujus loci non est.

Ad alteram difficultatem quod spectat, credo relationi fœminæ, legitimum maturi partus terminum fuisse quo dolores utero oborti. Frustrato vero partu, non credo ad duodecimum mensem requiescere potuisse fœtum in vivæ matris utero, sine aliquo vitæ indicio, quod nullum fuit, nisi flatus huc advocentur, quibus sæpe decipiuntur prægnantes, ut olim *Hippocrates* advertit loco in Dissertatione mea adducto, Tibi quoque notato. Illustrat sententiam meam *Horatius Augenius* l. 2. de Hom. Part. cap. 26. in Consulatione de Lucretia Amici Scalini Camertis nepte.

In tertio dubio amicus inter nos est consensus. Neque enim per quinque annos in utero superstes fœtus esse potuit vitalis,

quan-

quanquam id ſibi perſuaſerit Ingera, rerum Naturæ ignara. Igitur motus, quem interea in utero ſenſit prægnans, partim ex fermentatione quadam humorum excrementitiorum, partim ex flatibus excitatus fuit, ſicut præclarè ſuſpicaris: quanquam nobis videamur in *Diſſertatione* propius ſcopum ferire, quando ebullitionem à putredine carnoſarum partium hic deduximus, tamdiu obſervata donec ſola oſſa ſicca relinquerentur.

In quarto diſſentire nonnihil cogor, incolumi amicitiâ. Niſi enim fallit conjectura, in utero extincti gemelli manſerunt, donec apoſtemate ruptus uterus oſſicula reſidua per umbilicum & ilia expelleret, quod fuſius demonſtravi in *Diſſertatione* hujus argumenti: Non enim video neceſſarium ſignum vulnerati ſeu rupti uteri, nec cauſam vehementem quæ id efficeret in utero ſatis capaci. Symptomata læſæ ſeu percuſſæ vulvæ, à *Celſo* l. 5. c. 26. recenſita, in noſtra Ingera non fuerunt obſervata, quanquam dolores acerbiſſimos ſenſerit, quum per apoſtemata ſucceſſivè uterus & vicinæ partes exulcerarentur. Vulnus hoc uteri, quod ab interna cauſa fit, gravius eſt, quam ſi ab externa infligatur, graviuſque eſt, quia ſubito & magna vi, à cauſa magna, magnam vim

ſecum

ſecum trahens, quam ſi ſenſim ab ulcere aperiatur, quod hic factum ſuſpicatus ſum. Uterus quidem fœminæ Lipſienſis in difficili partu ruptus ad ilion dextrum prope cervicem ad dimidiæ ſpithamæ longitudinem narratur à *Salmutho* Cent. 1. Obſ. 16. & *Knoblochius* Epiſt. Horſt. Sect. 17. ſimilem rupturam infante extra uterum poſito obſervavit. Sed Mater ſuperſtes eſſe non potuit. De ulcere verò uteri loquuntur hiſtoriæ à *Platero* l. 1. Obſ. & *Bauhino* ad Roſſ. hiſt. 6. 7. adductæ, quo ulcere ſucceſſivè facto, ex utero effluxere oſſa perque muſculos abdominis exulceratos permearunt, quod etiam confirmant *Albucaſis*, *Benedictus*, *Cordæus*. An autem fœtus interea in abdominis cavo hæſerint, vel in utero remanſerint, non addunt, ut de poſteriori major ſit ſuſpicio, quia in ſimili caſu verè id contigiſſe vidit notavitque *Hor. Augenius* l. 2. de Part. c. 27. Juſta diligentia rem hanc univerſam perſequutus ſum in *Diſſertatione* de Inſolitis partus Viis, quam in publicum emiſi. Nolui tamen differre ad Te reſponſum, ne abuterer tua patientia, quanquam prima occaſione ipſum illum meum abortum ſis viſurus, vel expoſiturus, quia pro partu legitimo tolli non meretur. Quicquid ſit, etiam immaturi partus parentum miſeri-

cordiam commovent, & amicorum, inter quos Te principem colimus. Utinam ad annorum miriades tanto Viro fruamur, qui nos amat, & ſcriptis, etiam abortivis, favere ſolet. Quod ut facias, fac ut valeas. Hafniæ.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXXII.

Scirrhoſa durities pedum & ventris in hydrope.

Georgio Segero Lunæburgum.

MOleſto itinere Te expeditum eſſe gaudeo. Monſtrum ἀκέφαλον, & Elementa *Meyſſonierii* per tabellarium accepi, tibi pro navata opera gratias agens. Lautam cathedram tuæ virtuti debitam gratularer, ſi merita tua reſpexerit fortuna, quæ hoc ſeculo eruditos varia exercet. De patria tamen tandem erit cogitandum, cui omnes nati ſumus. Belli fortunam non eſt quod Medicus timeat. Sæpe enim Bellona arti noſtræ, quam Minerva, faventior. Sub prelo fervent Centuriæ Epiſtolarum ad nundinas Francofurtenſes prodituræ. Diatribe

tribe quoque de Pulmonibus celerrimo calamo conscripta idem fatigat. De vesiculis pulmonariis, quæ observavit *Malpighius*, non dubito quin similia innuerit *Hippocrates* l. de Carnibus, qui alterius parenchymatis carnei mentionem nullam fecit; nec hic nec alibi *Blottesandæus*, quem expetis, non prostat. Quisquis author sit, eruditus videtur, si mitius cum *Deusingio* egisset, qui acri Apologia se vindicavit. Amicas idem ad meum Hepar Defunctum Responsiones meditatur, quas brevi videbimus. Rectè verò facis, quod longo itinere defatigatum corpus aliqua quiete reficias. Quæ damna longæ difficilesque, per Alpes & alia loca frigida, peregrinationes inferant, nemini ignotum. Nuper curæ meæ subjectus mercator Hamburgensis commiserationem nostram meruit, in cujus, jam Hydropici, sanitate procuranda omnia incassum tentata. Ex fortissimis hydragogis nullum serume licere potuimus, sed solam pituitam crassam & lentam. Nec tamen venter detumuit, magno ægri nostroque tædio. Advocavimus validissima lixivia urinas ducentia, sed nec ipso cantharidum infuso quicquam, præter consuetam mensuram, eduximus, quanquam à medicamentis color urinæ mutatus, titillationesque in cole animadversæ. Neque balnea aut

laconica Aſcitidis augmentum inhibuerunt. Tranſlatâ demum ad ſcrotum materia, pedes detumuerunt, ſed qui antea copia ſeri molles fuerant, mox tantâ duritie nobis, nativi coloris defectu, offerebantur, ut lignum ſolidum tangere nos crederemus; ſcirrhoſa hæc durities ad ventrem quoque ſerpere viſa, quale exemplum apud *Schenckium* ſemel legimus, contractum à frigore & mala diæta, quam cauſam etiam in ægro noſtro agnovimus, in Suecia variis itineribus hybernis & victu pravo, qui felicem curationis ſucceſſum jam eluſit, debilitato. Tibi meliora opto, etiam publicæ Rei Medicæ gratia, quam diligentia tua ſemper auges & illuſtras. Vale igitur, mi Sogere, & feliciter diu vive. Raptim Hafn. 11. Oct. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXXIII.

De Dyſenteriæ effectu vario.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NUper ad Te ſcripſi, nempe 14. Sept. & tamen iterum ſcribo: rogoque ut per Te intelligam quid nobis ſperandum ſuper-

ſuperſit de *Corn. Celſo Jo. Rhodii*: Poſſumusne novam ejus editionem à vobis expectare? Supremamne manum tanto ſcriptori putas impoſitam à Viro optimo, qui peſſimo literarum fato nimis immaturè diem ſuum obiit? Quid novi moliantur veſtrates Typographi, ſcire velim: certè noſtri admodum frigent, tam ob bellum nuper pacatum, & ſubſequutam annonæ caritatem, quæ adhuc viget; quam ob immodicum chartæ pretium, ex quo Typographi egregiè fament, propter vectigalia chartæ impoſita. *D. Fleſcher*, popularis veſter, paulò melius habet; ejus dejectiones ſunt magis laudabiles, & ad naturæ legem facilius accedunt; minus ſunt cruentæ atque torminoſæ: Febris penè nulla: Somnus recurrit cum appetentia laudabili: omnium denique ſymptomatum inſignis remiſſio proximam ſalutem nobis pollicetur. Optimè noſti, Vir Cl. in hoc affectu familiare eſſe, ut deſinat vel in gangrænoſin inteſtinorum, vel in ἀτονίαν hepatis, quæ ſtatim degenerat in fluxum hepaticum, natura ſua planè & prorſus ἀνίατον, quippe qui pendeat à pura meraque privatione: hic utrumque metuebam, aut ſaltem unum ex duobus, neutrum tamen ſingulari Dei beneficio contigit, de quo valdè lætor. Epiſtolæ Tuæ Medicæ quandonam pro-

dibunt? Paralyticos tuos N. T. in fasciculo tuo non deprehendi, nec unde eos habere possim novi, eorum itaque memento sodes, quum aliqua mittes in posterum: ut & libelli *Cornari* Veneti, de Vita sobria: & tuorum Epigrammatum: ut & Disput. Medic. de Pleuritide, variolis, secundinis, &c. Indies belle procedit negotium *D. Flescheri:* alvus ejus feliciter depletur, & liberatur multis excrementis varii generis atque coloris: quorum proventu sensim facto penè obruebatur calor nativus, qui miserè gemebat sub pondere tam malignæ materiæ, & ad cujus coëffusionem, dum vires sinunt, interdum repurgatur ex med. cassiæ, paucis foliis & Syr. de cichorio comp. cum rheo. Eum tandem spero convaliturum. Vale & me ama. Parisiis 20. Sept. 1662.

Tuus ex animo
Guido Patin.

P. S. Svavissimam tuam accepi, Vir Cl. per D. *Wormium*, 29. Aug. datam priori meæ responsoriam: Sed à mense, & ab accepto tuo fasciculo, alias scripsi, tum ut Tibi gratias agerem, tum ut monerem Te de morbo acerrimo, nimirum affectu dysenterico D. Flescheri, cujus melior valetudo indies firmatur: Dysenteria

ria planè cessavit, adhuc tamen remanente Diarrhœa: quæ corpus tam multis ac variis excrementis refertum felicissimè deplet. Nosti axioma *Hipp.* A dysenteriâ Diarrhœa. Postquam fuerit tanta eluvie corpus repurgatum, spero futurum ut restituatur, ac in meliorem statum reducatur: tunc verò cogitare illi licebit de repetenda patria: cujus antea non est tuta cogitatio, quia nondum desiit morbus: quo finito vires erunt reparandæ; & incumbendum neoterismo, per usum lactis asinini, & aliorum analepticorum. Postremâ meâ rogabam Te, si quid mittas in Galliam, ne omittas Tractatus tuos. Tu verò pro tot beneficiis, indica mihi quid velis ut mittam. Vive, vale, & me ama, meoque nomine D. D. Fratres tuos, ut & D. *Scavenium*, J. C. mihi notum, saluta. Parisiis 29. Sept. 1662.

Tuus ex animo
Guido Patin.

EPISTOLA XXXIV.

De secanda vesica ad pubem. De excrementis dysentericis. De Rhodii Celso.

Guidoni Patino Lutetiam.

Officio & diligentia me superas, ruboremque suffundis, quod segnior non-

 num-

nunquam ſim in reſpondendo. Quatuor literas abs Te accepi per Clariſſimos *Wormios* noſtros miſſas, quibus una hac pagella reſpondeo, gratias agens pro affectu quem abunde experior, & quod libros à me miſſos hilari adeo fronte exceperis, ut de aliis remittendis ſeriò cogites. Quicquid verò ex veſtrorum Medicorum laboribus placuerit transmittere, pergratum erit, magna enim eſt eruditio Medicorum Pariſienſium, ut nihil prodeat ex officinis illorum, quod non demorſos ungues ſapiat. Nihil ex *Petiti* opuſculis adhuc vidi. *Aretæus* viri ingenium & doctrinam nobis propalabit, cujus in ſe curam ſuſcepit. *Hæſchelius* enim, poſt largam meſſem, ſpicilegium illi reliquit. *Gorræi* exceſſum iterum iterumque deploro, & ut tantorum Virorum fata retardentur, voveo. Theſin de ſecanda ad pubem veſica *Pietræi* impensè deſidero, ut videam quibus ibi modis anxiæ calculoſorum expectationi ſatisfiat. Plenis buccis, ſicut nuper ſcripſi & ipſemet noſti, eam ſectionem laudat *Rouſſetus* in Part. Cæſ. & *Hildanus* prorſus damnare auſus non fuit, eamque fuſius deſcribit, ductum ſequutus Chirurgi cujusdam, à quo Franconiana dicitur. In calculo prægrandi percommoda foret ſectio, ubi per collum veſicæ anguſtum difficilior periculoſior-

losiorque transitus. Sed quia vestris Cystotomis sectio illa familiaris non est, credo aliis difficultatibus premi. Sectio Cæsarea illis haud ignota, & memini meo tempore de cujusdam Chirurgi uxore narratum, sæpius nec alio modo partus suos enixam. Magna hic fama est Cystotomi cujusdam Castrensis, qui sine apparatu magno in perinæo secat, cujus nuper in calculo vesicæ permagno extrahendo dexteritatem Nobilissimus quidam Vir in patria nostra dicitur expertus, cujus felicem reditum indies expectamus. *Aubrii* vita à Te fideli narratione consignata perculit animum illorum, quos grandia illius promissa typis divulgata inescarant, adeò ampullatæ fuerunt paginæ ex Germania ad nos missæ, ut Æsculapium vel Hermetem redivivum sponderent. Ita sæpissimè fama mendax. An Oeconomiæ Hippocraticæ *Foësii* aliquid accesserit, non scribis. Si nulla parte auctior prodit, præferrem editionem Francofurtensem, qua hactenus usi sumus, quia erroribus scatent officinæ Genevenses, & chartâ thuri piperique digniore quam bonis authoribus. Jam in Epistolis Medicinalibus Typographus noster occupatur. Aliquot Centurias confectas habeo, quas amicissimis tuis & eruditione semper plenis illustrabis. Egregium specimen artis con-

summatæ edidisti in curatione dysenteriæ *Flescheri* nostri, de cujus inflammatoria mesenterii dispositione rectè judicas, mihique in memoriam revocant ea quæ in apertis dysentericorum cadaveribus observarunt *Marcellus Donatus* l. 4. Hist. Med. cap. 7. *Bontius* obs. 7. Med. Ind. & alii. Eadem prorsus excrementa æruginosa vidi in filiola mea, natu secunda 1652. quæ tamen evasit, natu majore filia extincta, cui sincera excrementa magis fluxerant. Credo cum sinceris nonnunquam Epidemium quid conjungi, & mortem accelerare, sicut in illa istius anni constitutione evenit. Hoc verò anno vidi in nonnullis dejectiones cruentas indemnes. Gaudeo verò quod extincta jam febre & fluxu materiæ malignæ convalescat æger vester, at noster popularis, quem reducem optat senex Pater morti vicinus. De Cornelio Celso *Rhodii* nostri quid sperandum sit, indicabo. Suppellex Viri beati transiit in possessionem *Thomæ Bangii*, Affinis illius, Academiæ nostræ Professoris meritissimi, qui mihi tradidit & concredidit quicquid inter reculas ejus eveniri potuit ad *Celsum* spectans. Habeo igitur *Rhodii* Varias Lectiones in Celsum, ejusdem Notulas, & Lexicon penè absolutum. Promisi me in ordinem cuncta reducturum, ubi per ocium licuerit, ne tanto thesauro

thesauro & indefesso labore privetur Respubl. Literaria. Sed magno mihi labore stabit, quum confusè pleraque sint scripta. Possideo & ejusdem *Rhodii* Varias Lectiones, Notas & Lexicon in *Vegetium* Mulomedicum. Forsan manum his admovebo. Sed vix tot oneribus sufficio. Pervenitne ad vos Homo Cartesianus? Mihi quidem Homo Platonicus videtur, & in Republica ejusdem quærendus. Paralyticos meos N. T. Basileæ recusos vidi. Primæ editionis exemplar mihi superest nullum. Nec spicilegium Primum habeo. *Cornari* Vita sobria in usus vulgares lingua vernacula prodiit hic mea operâ, quam Tibi mittere supervacuum credo. Disputationes de Pleuritide, Variolis, & secundinis viliores sunt, quam tuam Bibliothecam ingrediantur, rarioribus libris destinatam, quorum Tu ingens es helluo & possessor. Plura scribam alia occasione. Vale, Vir Magne, & me ama, ut soles. Salutant Te officiosè Fratres mei, ut & Cl. D. *Simon Paulli* noster, qui Te plurimum æstimat, *Riolani* tui prædecessoris discipulus dignissimus. Vale, Hafn. 18. Oct. 1662.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XXXV.

De Collegio Curioso.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

APpulerunt tandem faustis avibus quædam M. E. T. eruditissima scripta Hafniâ mihi Uratislaviam procurante Schœbelio nostro transmissa, quæ ut gratissima sic auro mihi chariora, quod M. E. T. gratiosâ manu subsignata, & hilari fronte oblata fuisse intellexerim, imò quod testes sint & obsides, quibus me M. E. T. jam ex asse obstrictum & devinctum sentiam. Ingressus nuper audaci consilio transmarinum iter & præterito mense Junio litteras ad M. E. T. directas Hamburgum indeque Hafniam transferendas Oceano commisi; procellas & turbulentos Austros metuerem, nisi M. E. T. suavem Faveni auram qua omnes Bonæ Mentis filios prosequitur mihi aspiraturam, certo certius persuasum haberem. Audax consilium nominare possem, quod ipse scribendi prurigine incitatus interstrepem anser Oloribus; nisi curiositas non tam innata quam ex voto Collegio Curioso obstricta stringentem & stridentem calamum excusaret. Pari itaque ardore Responsorias ad novissimas meas expeto, posco, efflagito, præsertim quid de instituto

Collegii

Collegii Curiosi pronascentis & Patronos ubique terrarum poscentis sentiant, imò an præmaturus meus partus vel abortus potius Ampelographia Curiosa M. E. T. limen intraverit, quod si adhuc exulet, ut nuperrimè quoque promisi, omnem moverem lapidem ut exemplar illius per mercatores Hafniam deferendum procurarem. Ex M. E. T. anxiè desidero (sed ob exemplarium penuriam ferè despero) scriptis tract. de Unicornu, de Monstris in Natura, de Angina puerorum, de Armillis veterum, & præprimis Orationem de Reip. Christianæ Morbis & placidis illorum remediis, quam posteriorem si vel calamo descriptam obtinere possem, lubentissimè sumtus refunderem, faceretque mihi rem gratissimam omnique officiorum genere demerendam. Vale interim Vir Magnif. & vive quam felicissimè, & me T. erudit. & virtutis cultorem & admiratorem fovere ne cessa.

M. Exc. T.

Uratislav. Siles. 1662. deditissimus
14. Octobr. Philippus Jacobus Sachs
à Lewenheimb.

EPI-

EPISTOLA XXXVI.

De Gammaro magno in concha. Pro Collegio votum.

PHILIP. JACOB. SACHS Uratiſlaviam.

QUanquam prolixis literis non ita pridem Tibi fuerim moleſtus, non peccabo tamen in cœptæ amicitiæ leges, ſi ſcribendi officium repetam. De præclaro inſtituto Tuo optimè Reip. Medicæ ominor. De gammaris noſtris pluſcula annotavi, Tuæque cenſuræ ſubjeci, quia id argumentum tractas. Exinde gammarus mihi ab amico oblatus in concha turbinata ſpithamam ferè longa, quem inter rariſſima repoſui, vel eo nomine, quod ejus magnitudinis plures non viderim, & meam conjecturam abundè ſtabiliat, quam ad Te perſcripſi. Ampelographia Tua ſitim meam excitavit & ſedavit, adeò omnia complectitur, quæ ſparſim alii tradiderunt. Perge, Vir Magne, orbem literatum erudire & exornare præclaris ſcriptis, quæ ſint ad nominis Tui celebritatem, & gloriam Collegii Naturæ Curioſi, cui major ſplendor accedet, ſi in Experimentis faciendis deſudaverit, quibus Natura, quaſi aſtu quodam, ex antro & ſpelunca elicitur. Sed me monitore non indiget illuſtre Collegium,

gium, cui tot immortales animæ nomina ſua dederunt. Ego precor, ut

——— Sit hujus
Precium curſus, aurea pellis.

Scripta noſtra quæ expetis tanti non ſunt, ut ad vos deferantur, & pleraque jam perierunt, neſcio an ſuo merito. Forſan plerisque carere poſſet Reſp. literaria, ſine ſui detrimento. De Morbis Reip. Chriſtianæ Diſſertationem Oratoriam mitto, ut deſiderium tuum expleam. Solum illud exemplar supereſt mihi, nec plura optarem. Aliud enim egi, quum id agerem. Vale, & me amare perge tuo nomini Cl. addictiſſimum. Raptim Hafniæ 4. Martij. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

Impreſſ. Uratiſl. & Lipſ. 1665.

EPISTOLA XXXVII.

De Torque Frothonis Regis. An Pygmæi fabuloſi?

Johanni Scheffero Upſaliam.

JUſtas & ego cauſas habeo, quas ſilentio diuturno prætendam. Cum temporum diffi-

difficultate luctati utrinque sumus, & cum Musis siluerunt etiam literarum commercia. Noli tamen credere memoriam Tui suavissimam interea apud me obriguisse. Inter tot temporum spiramenta occurrit animo meo non semel candor tuus, eruditio tua, ingenium tuum, fama magna, quæ interea in immensum crevit, nec destiti, data inter amicos occasione, justo præconio singula recolere. Quid præterea tot annorum lapsu egerim, si quæras, scias liberis operam me dedisse & libris, hoc est, æternitatem cogitasse. Tibi verò, quod blandior quoque fortuna in Borea arriserit, & publico & privato nomine gratulor, optoque meritis gaudiis perpetuitatem. *Pacatium* tuum eruditis notis illustratum vidi, Teque ibidem nominis nostri & amicitiæ memorem fuisse perspexi. Pro misso nitido libello *De Stylo* & styli exercitiis, gratias ago. Recte illum cum officiosa salute ad me detulit *Jacobus Warbergius*, sed sine sigillo. Ubi alter de *Torquibus* antiquorum hæreat, cogor ignorare. Duplici beneficio me obstringes, si aliud exemplar alia occasione miseris, propter argumenti enim affinitatem, in quo olim calamum trivi cum *de Armillis* scriberem, libenter legerem quid ex docta tua penna fluxerit. Dubio procul præter anti-

antiquorum Torques, etiam Boreales nostri inducuntur. Non dubito quin ad partes vocaveris *Saxonis* nostri locum L. V. Hist. Dan. in historia Frothonis Tertii, qui legatos suos ad ambiendam sponsam missos torque aurea donavit. Legationis id præmium vocat, quod apud Romanos fortitudinis erat, ex *Svetonio*, *Tacito*, *Vegetio*, & variis Inscriptionibus apud *Onuphrium Panuinum*, *Gruterum*, *Smetium*, quia etiam hi legati armis sponsam vicerunt. Nexilia bullarum cælamina in Torque Frothonis, quæ fuerint, forsan annotasti. *Isidorus* L. IX. Orig. c. 31. bullas à torquibus distinguit; utrumque tamen Viriis assignat. Torques illi sunt tortæ, bullæ verò quod sint similes rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur. Tales vidi in antiquis picturis, & nostro quoque seculo memini usitatas. Suspicor tamen ad pueritiam Frothonis hoc ornamentum spectasse. Bullam enim apud Romanos, qui imperante Frothone, sub Augusto Imperatore, rerum potiebantur, puerile gestamen fuisse, *Persius* docet Sat. V. & *Tullius* in Verrem. Hæc aliaque ex Te discere malo, quam fusius hic persequi. Tu enim in antiquorum voluminibus es versatissimus, ut non paucis lumen ipse attuleris. Testatur *Æliani* varia Historia, testantur alii qui ab in-

genio tuo inclarescunt. Cæterum cur *Ælianum* de Animalibus, opis indigum, relinquis intactum? Habeo excerpta quædam Græca Msta ex ejusdem libris de Animalibus, quæ hinc inde plura habent, quam editi hactenus codices. Possent ex usu esse illi, qui huic authori recensendo operam suam dicare vellet. Quid sentias de Pygmæorum Historia l. XV. c. 29. *Æliani* consignata, nisi grave sit, indicabis. Fabulisne annumeranda? Certè fabuloso ævo contigit, quia Dii Deæque fabulæ huic immiscentur. Confidenter tamen pro veris narrat *Aristoteles*. At ubi jam hærent, aut quo evaserunt? In spectra montana septentrionum mutatos, sunt qui prodant, de quibus homunculis multa vulgus nostrum vestrumque fabulatur. Atqui in confinio Troglodytarum & Æthiopum plerique veterum sedem Pygmæorum collocant. Rationem reddit Magni Patris Magnus filius *Isaacus Vossius*, amicus noster in Observationibus nuperis ad *Melam* l. 3. c. 8. quod ibidem essent multi κολοβοί. Quomodo autem his grues conveniant, non perspicio, nec scio qua veterum authoritate Reginam illam Geranam invexerit *Ælianus* tuus, quia Gerania urbs est *Plinio* & *Solino*, nec nomen hoc apud *Ovidium* l. 6. Met. accepit. In gratiam *Æliani*, rem

non-

nonnihil expende, ego enim aliàs id ſaxum volvam, jam aliis impeditus. Operæ noſtræ Typographicæ in Epiſtolis meis deſudant, & in Diatribe de Pulmonum ſubſtantia & Motu, calamo extemporaneo, qui meus eſt mos, nudius tertius conſcripta. Quid verò veſter *Rudbeckius* agat, te interprete ſcire aveo. Nomine meo ſalutabis Virum Clariſſimum, & author ſis ut porrò divam Anatomen, cui natus videtur, illuſtret. Si prælo nuper quidquam commiſit, una transmittes, placent enim adhuc Anatomicorum ſtudia, quanquam rude videar donatus. Ex nugis noſtris nonnulla adjunxiſſem, ſi Doctiſſimus Rupetius, utriusque amicus, urbem noſtram tranſiens, me ſalutaſſet. Igitur in aliam occaſionem differam. Tu interea, amiciſſime Scheffere, cum lectiſſima conjuge, liberiſque ſuaviſſimis, benè & feliciter vale, & me tuum ama. Hafniæ 20. Octobr. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XXXVIII.

De synanastomosi vasorum, glandulis novis pulmonum, Spadanis fontibus, fœminâ trium mammarum.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

DUplici nomine Dn. Jacobæi adventus mihi accidit gratissimus, & quòd se ipsum nobis reddiderit, & Tuas literas. Utrisque nihil mihi prius, quia nihil utrisque sincerius, candidiusque. Fata incusare non ausim, sed vereri non desinam, quæ Academiæ nostræ Pfeiffii, Brochmannique disertas linguas inviderunt. Itane vos minùs bellæ tenebræ omnia bella nostra devoratis! Suppressionem urinæ, aluique in corpore B. Brochmanni resoluto narras, ceu insolitam; insolitam fateor, quàm vellem causam! an forsan sphincter, licet laxatus plus satis, nihil profudit, quòd occlusis, infaustâ resolutione, renum porulis nil liquoris ad vesicam amplius amandaretur? an meatibus bilariis eadem resolutione in consensum raptis, stimulus excernendarum fæcum interquievit? De synanastomosi vasorum cum lymphaticis quæ superiori Epistola signavi, iterum, iterumque tentantibus successerunt, & quidem clarissimè; nunc, ex quo, post absolutum Spada-

Spadanum iter, rursus experimur artificium, bis decepti in lymphatica flatu nequimus penetrare; utrum effœti ultimi canes arctiora reddiderint ostiola, an non satis dextrè priora experimenta flatu repetierimus, an denique in omnibus canibus synanastomoses illæ non reperiantur, res est plurium experimentorum; in duobus visas, & luculentè visas liquidò testari possum. Ex cœliacâ arteriâ infra cor ligatâ permeabat flatus in lienem, ibique in venæ portæ ramulos sese ingerens pergebat ad hepar, quo insuctùm tumente, exonerabatur in cavam, atque inde cordi se infundens omnia tollebat in tumorem, ipsas quoque venas coronarias, (nam de arteriis coronariis scripsisse me non memini) quæ miris in se anastomosibus hiabant, quippe ab uno ramulo in alium facillimus erat cursus, recursusque ad primum prementis digiti attactum. Quin autem arteriæ quoque coronariæ spiritum illum admiserint, dubitare nefas, non id adeo quòd à venis coronariis transiisse tum in arteriolas existimem, sed quia per dextrum cordis ventriculum in pulmones delatus non potuit subsistere, antequam in sinistrum irrumpens thalamum inde in aortam omnia distenderet, ipsasque adeo arteriolas impleret. Nec ille flatuum progressus in ultimis canibus se nostro con-

ſpectui ſubduxit, ſed qui ante in lymphatica & thoracicum apparuit, ſpem ſemel atque iterum deſtituit, atque ne diu ulterius deſtituat, vovere moloſſorum eſt, ne largiori cruore redimatur experimenti conſtantia. Glandulæ liventes pulmonum, de quibus ante, non ſunt Whartonianæ cap. XIX. attactæ, quippe ſemper bronchiis pulmonum incumbunt, & non niſi quatuor obſervantur, & ſucco turgent ex cæruleo tendente ad nigrum. *Rudbeckius* per tranſennam aſpexiſſe videtur, libr. de vaſ. ſer. ſed fluctuat, & jam cordi, jam pulmonibus adſcribit, nec colorem, nec ſitum accuratè, nec contentum liquorem ad examen juſtum vocavit; ab iis deferri quiddam in vicinum ductum thoracicum, ſuadet ramulus quaſi lymphaticus intercurrens; utrum verò lympham, an ſuccum illum ſubatrum, quo turgent, thoracico ingerant, mei nolim hactenus eſſe arbitrii; minuta enim vaſa ſunt, minutæque glandulæ, in quibus oculorum judicia ſæpe hallucinantur. Quid ſi ſubatrum illum ſuccum, tanquam neceſſarium fermentum ſeparans, & ſeri à reliquo chyli corpore diviſionem promovens, infundat thoracico? quid multa? à tuo ſperabimus Oraculo, quod credere ſecurum erit. Ingenioſum *Malpighii* inventum Cedro dignum eſt, ſi quidem per omnia

omnia respondeat effatis; nobis proximè ea cura erit, ut solicitiùs in pulmonis sacra inquiramus. Erunt ergo illæ vesiculæ membranosæ veluti promptuaria aëris, cujus ego tantò majorem agnosco ad humanam vitam necessitatem, quò mihi certius est, non tam aërem ipsum, quàm alia aëri admista, multum facere ad conservationem nostram; enimvero cum aëre attrahimus & sulphur & salem in aëreo corpore semper natantem, quæ duo forsan intererat his cellulis membranosis tantillum claudi, ne exspiratione proximè succedente, sine fructu iterum subitò è corpore eliminarentur. Atque ne audaciùs ista, quàm certiùs adjecisse videar, experientiâ mihi cognitum est, in ipso anhelitu humano & salem & sulphur latere, idque non semel ipse extraxi, videoque quiddam de iis tetigisse *Bartolettum* de Respir: quamvis in pluribus deficiat, ut coram aliquando uberiùs. Ex ipso autem aëris corpore sine pulmonum interventu hauriri quoque potest sal & sulphur, id quod & sclopi pneumatici, si ingeniosè usurpentur, & machinæ aliæ non difficulter ostenderint. An tamen salina illa & sulphurea corpora in aëre nostro volitantia infernis exhalationibus debeant primordia, an ab Astrorum choro huc depluant, longioris erit

forſan ſubſellii, quam ut hac epiſtolâ ad unguem definiri queat. De Caſtrenſi lithotomo res jam explorata eſt; incidit nempe partem à perinæo ſiniſtram, verſus femur ſiniſtrum patientis plus vergendo, quam ſuetum ſectoribus aliis. Hiſtoriam integram artificii ejus mihi nuper perſcripſit Nob. D. Lytzowius, celeri ejus manu à moleſtiſſimo calculo duarum unciarum, ceu narrat, liberatus. Noſter quidam Medicus, an agyrtes, Leiderdorpius inclareſcere his menſibus cœpit, pharmaco antinephritico celebris; exigit calculos ſatis expeditè; parum tamen abeſt quin exiſtimem malum alio malo ſanari; nam, quod odor evidentiſſimè docet, allii decocto, aliisque acribus utitur, quibus ubi renes nonnihil expedierit, veſicæ & forſan pulmonibus diuturnos creabit dolores. De oblatâ D. D. Simonis Paulli effigie Tuoque, Vir Magne, digno Epigrammate gratias debeo plurimas; commodùm alia, & quidem vivacior (quanquam & miſſa vivax ſatis) Paulli effigies me ſalutàverat, hac mutâ adveniente; uterque glyptes in ſua arte Roſcius, felicior tamen qui animam ſuæ inſpiravit effigiei, quam qui ſuæ atramentum. De me, excurri ſuperiori Auguſto Spadam cum meo Gerſtorffio, calculo ipſius remedium quærens, nec plane ſuc-
ceſſu

cessu nullo, quando & arenulas excreverit plures, & ex eo recidivæ argumenta observaverim nulla. Pluvii dies fere continui acidularum vim, præsertim Pouhontii, obtuderunt, nam Savenirio profundiores venæ diutius conservarunt integritatem. Geronsterium pauci salutabant odore & sapore sulphureo gravem; frigidissima Tonneletio lympha, & quasi nitro leviter temperata. Hoc anno celebrari quoque cœpit Spadæ imminens fons Wattrou, cujus catharticam vim commendabat D. D. Michaël Ogerius, Leodiensium Medicus, mihi familiaris. Pouhontio tamen & Savenirio plures supplicant, & multi non infelici eventu, præsertim qui diu & patienter curæ insistunt. Ego animi gratiâ, ut meo Gerstorffio præirem viam, ad centum uncias Savenirii per dies aliquot hausi, nullâ molestiâ; ad centum autem & 20. uncias progressus fatigabar evidenter. Fuit, qui ad 250. uncias hauriret phreneticus, idque totis 40. diebus, tulitque præmium patientiæ, speratam sanitatem. Unum pæne admiratus sum, Dn. Ogerium (erant præter ipsum hoc anno Spadæ tres egregii Medici, Pesier, Gæne & Lasaulx) vix potuisse induci, ut crederet vasa lymphatica, & quæ alia enarrabam recentiorum inventa, in rerum

Naturâ existere, quippe Antiquis ignota, quorum sacra authoritas. Postquam autem in lauto convivio, (ad quod utrumque invitaverat illustriss. Prælatus Sibrichtanus Buch von Patern) ad experimentum è vestigio in cane capiendum provocarem, passus est frangi constantiam dictorum suorum, vir alioqui in praxi dexter, & eruditione solidus. Digressi Spadâ Aquisgranenses thermas invisimus, & illas hodie ægrorum concursu mirè frequentatas. Porcetanæ thermæ fervidissimæ, sed eædem in medicando ignaviores; Cæsareæ in urbe habentur celebriores ad balnea; Cornelianæ bibuntur, & ipsæ in fonte suo satis ferventes, sed antequam potentur, calor procursu temperatur. Dn. Opdamius me præsente ad 100. uncias quotidie bibit, podagræ remedium sperans. De iis quædam commentatus est D. D. Blondellus, amicus meus; à quo, cum solicitè id agerem, principes illas effervescentiæ thermarum materias obtinui, salem & sulphur; & sulphur quidem in flores veluti attenuatum, salem autem sui generis. D. Blondellus nitri genus judicat, haud scio an satis convenienter, quando & in quadras se fingunt ejus crystalli, & strepitum in igne nitro familiarem non ostendunt. Sulphur ille ad saxa ther-

thermarum Cæſarearum, ubi lapſu continuo parietibus agglutinatur, collegerat, ſalem deſtillando. Qui autem ex illis duobus poſſit tot ſeculorum continua ebullitio propagari, fateor necdum mihi ſuccurrere, equidem è ſulphure ſpiritus elicitur acidiſſimus, qui ſi cum ol. ſalis Tartari, aut alio lixivo humore miſceatur, fervorem excitat huic ſimilem; cæterùm nec hoc ſulphur in ſpiritum abierat, nec ſal erat de genere lixivo, nec tamen in thermis iſtis præter hæc duo reperias quicquam. Incidi nudius tertius in libellum quendam Frizimelicæ de Balneis artificio parandis, quæ thermis veris reſpondeant; liber prodiit non ita pridem ex poſthumis D. Rhodii membranis. Non pauca in eo laudanda, ſed quod intendit, vix aſſequitur; namque ſalem & ſulphur, & alia perfunctoriè admiſcere aquis, rem non confecerint, utcunque diu excoquantur; atque ut adſint cætera, ſalem tamen thermis convenientem ægrè inveniet niſi in thermis naturalibus; qui enim ſalis vulgati momentum ſubſtitui poſſe arbitrantur, næ illis effectus obluctabitur, id quod cùm pluribus in ſuâ, quam vocat Phyſicâ demonſtrativâ perſequatur *Henr. de Rochas*, ego hîc parcè attingo. Quod pæne exciderat, ſpectata mihi nuper Goudæ fœmina Lunæburger-

burgensis, cui tres mammæ, sinistra enim duplex, minor majori subjecta, in medio tamen intervallum aliquod, omnes lacte turgidæ & alendis infantibus assuetæ; bis pepererat, altero nixu gemellos, altero tres virgunculas, quarum uni, ut genitrici, tres quoque distinctæ mammæ apparuerunt. Puellam superiori hebdomade secuit Dn. van Horne, in nundinis nostris pro hermaphrodito publicè ostentatam; nil pæne in illâ insuetum, præterquam quòd vesicâ careret, ureteres enim ad locum in mediâ pube se exonerabant, quâ parte glandulosa quædam corpuscula exterius eminebant, urinâ in horas transsudante madida, quæ membri genitalis imaginem tantillum mentiebantur. De his pluribus ad Te ipse van Horne. Everhardi librum mitto, quem lucis in tenebris nomine insignivit. *Bilsius* nuper Hagæ in præsentiâ quorundam Magnatum sectionem instituit, quâ dexteritate, nondum liquet; audio Dn. Residentem *Charisium* sacris illis Cereris interfuisse; à quo certiora haud dubiè perscribentur. *Deusingius* resipiscere jam pridem incipit, & agnoscere missis ad me literis innocentiam meam; odoratus, opinor, cubilia Adversariorum suorum, à quibus forsan non ista tela fuere, aut futura sunt ultima. Ex quo *Digbæi* pulverem sympath;

ad

ad examen rigidius vocavit, *Boylæi* quoque de Aëris vi Elasticâ scriptum publicè confutare aggressus est, multa ubique in Stenonium tela ingerens, ut Sylvium, aliosque nunc omittam. Sed pæne Epistolæ leges supergressus videor, dum & amicissimi capitis desiderio indulgeo, & amplissimæ scientiæ Tuæ (unde meis dubiis certa Ariadne) amori. Salve Virorum maxime &, salutatis meo nomine Amplissimis Collegis, diu prosperrimeque vive.

Amplitud. Tuæ perpetuo devotus

Lugd. Batav. A. 1662. d. 22. Octobr.

Olaus Borrichius.

mm.

EPISTOLA XXXIX.

Suppressionis Urinæ Causæ. Glandularum pulmonis Usus. Allii usus salutaris in calculo. De Thermis artificialibus & pedibus inversis.

Olao Borrichio Leidam.

GRatias ago pro misso *Everhardi* libello, quem tamen videre non licuit. Naufragium enim passus circa scopu-

ſcopulos Norwegiæ Olaus Tierebyenſis, cui concredideras, hunc cum reliqua ſupellectile perdidit, vixque ipſe evaſit, ut adeò lux illa ſubmerſa ſit. Hiſce diebus ivimus exſequias beato Seni *M. Jacobo Vinckio*, Avunculo meo & Academiæ Seniori, ſicque ejus morte Tibi ſalarium in Academia adſcendenti cedit, quod bonis ominibus Tibi ut eveniat, votorum meorum eſt ſumma. Urinæ ſuppreſſionem in *Brochmanno* noſtro à renum reſolutione non malè repetis. Calculi enim nulla indicia erant, quæ aliàs vel renum canaliculos vel ureteres frequenter obſtruunt, & hic manifeſta aderat Paralyſis inferiorum partium omnium, à qua renum hæc laxitas. Suppreſſionem urinæ in Polemarcho d'Ornano ortam obſervavit Magnus *Riolanus* l. 2. Anthr. c. 26. ex atonia renum, quod ambo renes eſſent penitus effœti & exſoluti. Non abſimile videtur noſtri Brochmanni fatum. Quippe teſtatur de eodem Jo. Bapt. d'Ornano *Scipio de Pleix*, in Hiſt. Gallica, cum illi per XI. dies ſuppreſſa eſſet urina, in aperto cadavere inventum eſſe caput aqua plenum, cauſam vertiginis, renem verò unum macilentum, inter alterum & ureteres duritiem inventam, quæ aquæ fluxum impediverat. Quia conjecturis hic certandum,

dum, nervosique generis hic affectum ex cerebro esse scimus à liquore scorbutico provocatum, verosimile est gangrænam renes vicinasque partes occupasse, talem enim partium constitutionem in filio suo urinæ obstructione ex defluxione cerebri in ureteres denato invenit *Hildanus* c. 3. de Gangr. Illustrat nostrum casum *Hippocrates* in Coac. Prænot. §. 29. *quibus rigor adest, iis urina restitat.*

In *Pfeiffio* verò a calculo renum suppressam fuisse urinam, nulli dubitavimus. Id mirum mihi visum, quod simul utriusque renis actio cessarit, & lotii statim omnis interceptio sequuta. Neque enim credere possum *Riolano* perpetuum esse quod non semel monitus à *Foresto* observavit, uno Rene obstructo alterum inutilem & victum reddi, propriaque actione destitutum, urinæ fluxum intercipere. Alterum renem officio suo probe fungi, altero obstructo rectè arbitratur *B. Eustachius* de Ren. Adm. c. 45. Id quod duplici numero intendit Natura, & sæpe nobis visi calculi in uno rene, altero libero, adeoque lotium non impediente. Decepti sunt qui aliter crediderunt. Suppressio urinæ ictu oculi quidem facta nobis videtur, sicut & in *Pfeiffio* nostro beato, sed ante præcessit alterutrius renis obstructio, non

satis

ſatis accuratè animadverſa. Glandulæ tuæ ſubcæruleæ pulmonum bronchiis incumbentes, ſubatrum ſuum ſuccum, quantum ſuſpicor, chylifero ductui non inferunt, ſiquidem ramulus lymphaticus, per quem ſuccus ille ferri debet, lympha ſeu ſplendido liquore ſe prodit. Nec opus illa in thoracico ductu ſeri à chylo ſeparatione. Sero enim indiget chylus, ut facilius decurrat ad cor. Ad lympham igitur libentius condemnarem, ſi de re ea judicandum mihi eſſet, quam videor mihi quidem aliquando vidiſſe, ſed neglexiſſe, quippe hoc demum luſtro glandulæ corporis Proſectorum manus fatigare cœperunt, etiam minutæ, antea vel ſpretæ vel non obſervatæ, ut ex glandulis meris penè compacti videamur. Quæ tamen Anatomicorum diligentia improbanda non eſt, quippe etiam in his minimis maxima ſæpe eſt Natura. Agyrtæ veſtri Leiderdorpiani antinephriticum ex allio, ſpernendum non eſt, imò aliis multis pretioſioribus præferendum. Externe cataplaſmatis vice cum oleo ſcorpionum ad pellendum calculum lotiumque magno ſucceſſu ægris ſuaſi. Internè quoque ſunt apud nos qui cum Sp. Vini ſingulari emolumento ſumant. Ab alii eſu, orientalibus frequenti, nec veteres omnes abhorruerunt

runt

runt, quanquam externè cutem exulceret *Dioſcoridi* l. 1. c. 182. Nodum vero, tibi difficilem ſolvit *Galenus* l. 2. de Alim. Facult. c. ult. ſi cocta bis terve fuerint, acrimoniam quidem deponunt, tenuant tamen adhuc. Cæterum allium quidem mandunt, non ut obſonium, ſed ut ſalubre medicamentum, quod digerendi & obſtructiones aperiendi habet facultatem: quod ſi elixum parum fuerit, adeò ut acrimoniam depoſuerit, vires quidem habet imbecilliores, ſucci autem pravitatem non amplius retinet. Ex hoc edoctus videtur agyrta veſter, in decocto allio; & plerumque à Medicis remedia mutuatá pro ſuis ſecretis hoc genus hominum vendere ſolet. *Frizimelicæ* in balneis artificialibus conatum vidi & laudandum cenſui, quod defectum nativorum balneorum ſupplere voluerit. Nobis artificium illud inprimis exoptandum, quibus nativæ aquæ ſulphureæ denegatæ, quas tamen Islandia noſtra copioſas habet, a *Saxone* in Præf. deſcriptas, quia ſulphure terra æſtuat, imò & acidulas prope Stadarſtad inventas à Doctiſſimo *Brunolpho* Epiſcopo Islandiæ, ut ad Cl. *Stephanium* noſtrum ſcripſit. Noſtris verò ægris quin ex uſu eſſe poſſint thermæ artificio ex ſale communi & ſulphure factæ, nullus dubito, quanquam ad naturalium

thermarum præstantiam non assurgant; adeoque minoris sint efficaciæ. Præstat tamen remedium imbecillius, quam nullum. Acidulæ Spadanæ in obseratis lagenis ad nos afferuntur, sed à virtute nativa multum remiserunt. Gratæ tamen sunt ægris. Acidulas artificiales ex præscripto *D. Helvici Dieterici*, in Pharmacopolio suo Hafniæ habet venales Heerfordius, ad insigne Cygni. Pro trimammia illa fœmina, Tibi Goudæ visa, Hollerianæ simili, pauperculæ cujusdam mulieris extra portam veterem orientalem Hafniæ commorantis puerperium reddam. Natus illi hisce diebus infans cætera sanus & formosus, sed pedibus inversis, quos eapropter antrorsum movere non potest, sed retrorsum ad posteriora, patellæ quippe os in genu desideratur, situsque est immutatus. *Plinius* scribit l. 7. cap. 2. in monte Milo homines esse aversis plantis. In puerulo, de quo narrare cœpi, circa os sacrum quoque excrescentia carnea corporis elegantiam vitiat, mollis, rubra, ranam ferè referens, & sphincter ani excrementa sistere nescit, quin continuo fæcibus conspurcetur. Lactis tamen materni suctum promptè sine offensa repetit. Ad me ipsum ut redeam, diatriben meam de Pulmonibus à prelo vindicavi cum *Malpighii* Epistolis, sudantibus

tibus

tibus operis in Epiſtolarum Centuriis. Spero nos reducem primo vere viſuros *D. Wormium*, quem apud vos divertere intelligo. Saluta eum, & ſi ſemina quædam rariora ex horto veſtro ſecum attulerit, rem faciet pergratam. Paro opuſculum de Partus Viis inſuetis, data occaſione mulieris Lalandicæ, quæ oſſicula fœtus ſui per umbilicum, ilia & hypochondria hiſce annis excrevit. Plura aliàs. Vale, amiciſſime Borrichi. Hafniæ 17. Jan. 1663. anni novi, quem Tibi fauſtum precor.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XL.

Cæcitas ſurditati ſuccedens.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

RESponſorias meas, quas ad humaniſſimas Tuas manu meâ exaraveram, typis deſcribi tandem curavi, quod nulla mihi ſuppeteret occaſio illas commode transmittendi, materia verò ipſa congrueret ei, quam circa Fœtum Muſſipontanum ſub prelo habebam: Ac prelo tandem, poſt moram diutinam, ſeſe ſubduxit

Disquisitio ulterior de Chyli motu & officio Hepatis, Celeberrimo Tuo Nomini dicata; quam non alio affectu admissum iri à Tua Excell. quam quo à meo animo profecta, (nempe candido, amico, sincero, & undiquaque veritatis studioso,) neutiquam dubito. Quod si ullibi quid dictum quod Tibi displiceat, Vir Excellentiss. id profectò indictum ex animo velim. Veritatem solam unicè specto; cui mea asserta jubeo cedere. Cæterum Tui juris, Vir Excellentiss. in solidum facio, quæ hisce Tibi offero: Tu ipse pro Tuo arbitrio, ut lubet de illis dispone; ac pro Tua æquitate & humanitate, quam veneror, proque eo ingenii acumine, quo pridem per orbem inclaruisti, errores nostros humaniter corrige. Ne verò planè rebus vacuas à nobis litteras contuearis, meum animum addo, quem Tibi inscribo, sed Casum adjungam ex iis, quæ rariora in medica praxi quandoque notavimus. Viro Nobilissimo & Ampliss. D. Houwerdæ, sexagenario majori, ex defluxu catarrhi in nervos auditorios subitanea fuit oborta surditas, eaque tam gravis, ut nullum sermonem, licet ore admoto auribus ipsis, posset percipere; sed ex tabella voces signatas legere, atque oculis haurire effata aliorum haberet necesse: Quod verò mi-

ran-

randum, dum eo surditatis affectu laboraret, acutissimè cernebat, ac minutissimas scripturas accuratè legebat oculis nudis, nullo organo armatis; qui à multis annis conspicilia in usum & opem adhibere necessum habuerat: Hic nostrâ curâ ac Dei clementi auxilio sanatus à surditatis illo molestissimo incommodo, ad pristinam oculorum hebetudinem illico, cessante auditus illo vitio, reversus est. Genuina horum symptomatum causa, sibi invicem cedentium, explicatu forsan difficilior videtur; nisi placeat admittere, spirituum animalium influxu ad organum auditus præpedito, torrentem eorundem copiosiorem fuisse ad oculos conversum. Sed dubito an ea ratione acquiescant sagaciora ingenia, inter quæ jam pridem ipse excellis. Verùm plura non addo, præter votum candidissimum, quo Te, Vir Excellentiss. divinæ tutelæ resigno, meque tuo favori, qui ero perpetuùm

Excell. Tuæ

Gröningæ deditiss.

$\frac{8}{18}$ Nov. 1662.

Ant. Deusingius.

EPISTOLA XLI.

De Translatione materiæ morbificæ à venis ad nervos. Causa visus imbecillis in Senibus.

ANTONIO DEUSINGIO Groningam.

DIsquisitio Tua ulterior amicè mihi opposita hodie mihi tradita est. Relegere non vacavit, quia aliis negotiis implicitus animum rationibus Tuis, quas non dubito esse prægnantes, attentum commodare nequeo. Primam occasionem arripiam, ut rationum tuarum momenta expendam. Interim amo Te & æstimo, animumque sincerum, quem pleno affectu depromis & mihi expectoras, pro duraturæ amicitiæ documento interpretor. Nec pro erroribus dicta tua accipiam, sed pro amico dissensu apud me erunt. Casum propositum tanto libentius legi, quod similis materiæ μετάςασις hisce diebus mihi occurrerit, Materiam morbificam à nervis ad nervos transferri minus rarum, quam quod à venis vel venoso genere ad nervos protrudatur. Hujus verò exempla nupera referam, ut doctissimæ Tuæ historiæ vicem rependam. Studiosus quidam nostras ex bubonibus pestilentibus convaluit quidem, sed, quia malignum in corpore conceptum humorem non satis expurgaverat,

Epi-

Epileptici insultus successerunt, translatâ ad cerebrum materia venenata, à vasis inguinis ad nervos. Exinde idem Studiosus primo quovis triennio semel, deinde quovis anno semel convellitur, jam hoc anno labente quater repetunt convulsiones satis pro imperio. Fontanella nuchæ Medicorum nostrorum consilio inusta, an morbi reditum sit prohibitura, quod cum illis voveo, dies docebit. Sputantem fœminam grandævam nuper vidi, post levem à cœna deambulationem, translata pituita vel lympha ad nervorum principium, motuque ad illam partem concitata, in Apoplexiam incidisse. Ex uteri vasis impurum sanguinem nervos invadentem Epilepsiam excitare notum exercitatis. Paupercula mulier apud nos annis obsita & pannis convulsionibus epilepticis comitialem morbum prodidit, quo sacra non rarò turbavit. Retulit verò mihi vetus sibi id esse malum post puerperia difficilia ortum, nec scire se accuratè à qua parte corporis venientis accessionis sensus incipiat, credere se tamen, à ventre fieri initium: tres enim sibi filios ex abdomine exsectos, quorum unus castra sequeretur. Rogata, in rei fidem, mihi cicatrices ostendit, ætate jam imminutas. Ego verò neutiquam culpo sectionem Cæsaream, sed uteri vitium, quod

& illius & Epilepſiæ cauſa fuit. Notum enim ex *Hippocrate* in *Coacis* ex uteri ſtrangulatu convulſiones fieri. Colicam in Paralyſin terminari conſenſu Medicorum confirmatur. Venas meſeraicas hic ſuum nervis malum communicare non dubito. Colica bilioſa Nobilis quidam, qui ſalutem ſuam mihi concredidit, vehementer torquebatur. Nihil non tentavi, & omnes ſcientiæ loculos excuſſi, ut hominem ſervarem. Fruſtra verò fuere omnia præſidia, etiam ſaluberrima. Succeſſit enim paralyſis manuum pedumque, interiorum viſcerum, denique linguæ, denique convulſiones finem vivendi fecerunt. In alio hypochondriaco poſt aliquot annorum minas, unius lateris paralyſis ſequuta, & loquelæ interceptio, mentisque ſtupor. In his aliisque exemplis, quorum ingens proventus, ad nervos mali fit tranſitus. Facilius in tua hiſtoria oculorum hebetudo ſurditati ſucceſſit per μετάστασιν materiæ catarrhoſæ in nervos opticos ex nervis auditoriis vicinis, & vice verſa, quemadmodum dolores vehementes in inferioribus locis ſurditas ſolvit apud *Hippocratem* l. de Judicationibus. Ex hac cauſa ſequitur privatio ſeu interceptio animalium ſpirituum, quam verè affers. Benè autem cum ægro Tuo nobiliſſimo actum, quod tua prudenti opera materia catarrhoſa fuerit

rit expurgata, nervique auditorii onere molesto liberati, alioqui habitum impediveris. Si ætas permitteret, oculorum quoque hebetudini, qua polles mentis acie, consuleres. Sed senibus ista visus imbecillitas familiaris, sive catarrho obruente, sive longo usu absumptis spiritibus, sive denique quod nervi ficciores & nonnihil marcidi non admittant spiritum animalem in nonnullis senibus satis copiosum, quam etiam in junioribus cæcitatis fuisse causam observationes docent. *Cæsalpinus* id Pisis vidit alterum ex nervis visoriis attenuatum, qua parte imbecillis oculus fuerat ex vulnere capitis. In fœminâ quoque cæca utrumque nervum opticum extenuatum notat *Rolfinccius* Magnus lib. 4. Dissert. Anat. cap. 26. Sed in tuo judicio acquiescimus, claraque tua lumina in multos annos salva & sana Tibi precamur. Vale. Hafniæ 10. Dec. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XLII.

De cælaminibus bullarum in Torque Frothonis. Unde Pygmæorum fabula emerſerit.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

COmmendavi Tibi nuper quendam ex noſtratibus, qui nominatim hoc à me contenderat precibus. Si fuit non ingratum, benè eſt. Sin verò moleſtum tibi rebusque tuis genus hoc, non diſſimulare apud me debebis, ut quid faciendum mihi ſit in poſterum ne ignorem. Interea humaniſſimæ tuæ redduntur mihi, è quibus magno gaudio intelligo, non modo ſupereſſe apud animum tuum memoriam noſtri, ſed & amicitiam veterem pulcherrimè vigere. Qua de re quemadmodum ipſe mihi gratulor, ſic impendam omnem operam, ne de me aliter, quam viro bono ſimplicique, procul à ſeculi moribus remoto, judicare queas. Libellum meum de Torquibus amiſſum eſſe, licet exigua ejus ſit jactura, tamen doleo vel ideo, quod deſtitutus exemplaribus, non habeam, quo jacturam illam expleam. Videbo tamen utrum invenire poſſim apud amicos. Sin minus, meum exemplar mittam proxima occaſione. De Frothonis torque non egi aliter

quam

quam ut nominarem, locum auctoris adducerem, & ex eo torques usurpasse Reges vestros peculiari specie, illa videlicet quæ ibi sit descripta, ostenderem. Quod si locus ipse amplius examinandus, & de forma specieve illa differendum esset, dicerem *cælamina bullarum* significare bullas cælatas, non quidem, quales memorat *Isidorus*, nam illæ appendi torquibus solebant, sicut latè ostendo in dicto de torquibus opusculo, sed quæ ipsæ una cum imaginibus regum constituebant torquem. Bullæ omnes vulgo erant rotundæ, ab una parte planæ, ab altera protuberantes instar dimidiati globi. Hæ vel simplices erant, vel variis imaginibus cælatæ. Simplices illas ferè appendebant torquibus vulgaribus. At cælatæ in torques ipsas aptabantur à Danis. Illo nempe modo, sicut ex murenulis, amphorulis & id genus rebus aliis olim & nunc quoque ex rosis, cochleis, ignitabulis fieri consueverunt, ut ex torquibus Burgundicis Gallicisque constat. Pari ratione Reges Daniæ, vel saltem Frotho utebatur bullis in torque, quæ variis emblematibus, floribus, rosis, & similibus erant cælatæ. Quid mirum? quando hodieque bullis istiusmodi aureis pericteria sua & monilia fœminæ distinguunt, imò bullas (*Bollen*,) per Ger-

Germaniam appellant. Cæterum inter bullas eas inſerta diſtinctim erant Regum ſimulacra. Sic enim diſertè *Saxo* teſtatur. Quod ſic intelligo, ſimulacra illa habuiſſe quasdam velut anſulas, quibus utrinque ad bullas, interventu annulorum vel uncinorum quorundam firmabantur. Ita ut per vices jam ſimulacrum Regis, jam bulla aurea per orbem circumirent, totamqne torquem abſolverent. Et convenit, quod cælamina *nexilia* dixit, nempe quia eo modo, ſicuti oſtendi, nectebantur bullæ ac conſerebantur cum Regum imaginibus. Atque iſta quidem puto ſic ſatis eſſe manifeſta. Quod verò ſequitur, id Oedipo habet opus: *quæ ad interioris fili ductum nunc contrahi, nunc dirimi poſſent.* Nam primum illud *quæ* non ſatis liquet, num ad bullas ſolas, an verò ſimulacra, num ûtrumque potius ſimul referri debeat. Deinde quodnam eſt *filum* illud interius? quo reſpectu *interius* dicitur? neque quid cum illo *dirimi* Saxo innuat, explicatu pronum eſt. Nam *dirimi* vulgo quidem idem eſt, ac dividi, ſeparari. At hoc parum convenit præcedenti *contrahi*, cujus intuiti diduci, aut in longius protrahi ſignificare debet. Suſpicor tamen hoc velle, bullas illas ac imagines fuiſſe inter ſe conſertas filo, per medium à latere trajecto, ſicut corallia, uniones, & id genus hodie in filo conjunguntur. Et hoc

filum

filum interius esse censeo, quasi quod interius per ipsas illas bullas simulachraque transeat. In eo filo poterant conjungi, quod Saxo vocat *contrahi*, poterant & disjungi, quod ipse vocat *dirimi*, planè ad eundem modum, sicut fit in unionibus & similibus. Quod si verum est, *nexilia bullarum* non ob ansulas & annulos, seu uncinos, sed foramina potius per quæ filum trajici, ac ita necti inter se poterant intelligenda. Id quod vero propius videtur verbisque convenientius. Atque ista quidem de Frothonis torque, quæ à vulgaribus differebat in eo, non modò quod ex bullis esset, regumque imaginibus, cum reliquæ fierent ex annulis, sed &, quod illæ bullæ ac imagines connecterentur filo, cum cæteræ continuo inter se cohærerent. Venio ad locum *Æliani* de Pygmæis. De quo primum censeo desumptum esse totum ex *Bœo*, vetere scriptore, cujus pluscula fragmenta extant in Metam. Antonini. Legitur quippe inter ipsa etiam hæc sive historia sive fabella. Cæterum quis ille Bœus fuerit, quodque propositum habuerit in eo opere, unde ista sunt desumpta, ipseque ὀρνιτογονίας βίβλους appellavit, non aliunde melius cognoscimus, quam ex *Athenæi* lib. IX. c. II. quando ait hoc egisse, ut ostenderet πάντα τὰ ὄρνεα ἀνθρώπους πρότερον γεγονέναι.
Unde

Unde ſimul liquet, commentitium hoc eſſe atque falſum, præſertim quod de ira Minervæ, Dianæ, Veneris, & transfiguratione Geranæ adfertur. Quia tamen ſub hac ipſa falſitate veritas plerunque latet aliqua, quemadmodum ex veteribus *Palæphatus*, ex recentioribus *Voſſius* eruditè oſtenderunt, non temere dixerim, omnia hujus fabulæ eſſe contemnenda Docet ſanè Bœus dicto loco, eam quam appellat *Ælianus* Geranam, priuſquam mutaretur in gruem, quæ eſt gerana Græcis, dictam eſſe Oenoën. Præterea maritum habuiſſe Nicodamantis nomine, ac filium Mopſum. Nicodamantis, ut Oenoës mariti meminit & *Athenæus* ſupra indicato loco. Quanquam cum Oenoën illam dicit reginam fuiſſe Pygmæorum, de Pygmæis eo certi aliquid vix probet. Sive namque in ſeptentrione, ſive in confinio Trogloditarum ac Æthiopum ponantur, nomina illa Oenoës, & Nicodamantus, & Mopſi non conveniunt, quippe quæ ſunt Græca. Oenoë namque aliqua, ut omittam ejus nominis Icariæ urbem apud *Stephanum*, & aliam in Poloponneſo apud *Strabonem*, invenitur Epochi ſoror, unde una ex tribubus Atticis accepit nomen, *Pauſania* auctore. Mopſi quoque apud Græcos leguntur, unus Ampycis, alius Rhacis filius.

filius. Quomodo autem Græca nomina credamus data Æthiopibus aut Troglodites, aut eorum vicinis? Itaque Pygmæos putem fabulæ causa adscitos, transsumptosque ex *Homero*. Proposuerat nimirum *Bœus* demonstrare, unde grues haberent originem. Legerat apud *Homerum*, bella cum eis gerere Pygmæos. Ergo Oenoën reginam facit Pygmæorum, cæteraque quæ de ejus transmutatione habet, comminiscitur. Quid per Pygmæorum fabulam intenderit *Homerus* ex *Strabone* l. 1. discimus, & iis, quæ à *Casaubono* ibi adnotantur. Neque tamen displicet, quod ait *Vossius*, occasionem talia fingendi datam à κολαβοῖς illarum regionum. Grues eis hactenus videntur convenire, quatenus venando forsan eas persequi solerent. Est enim belli & venationis ratio reciproca apud veteres scriptores, ut novisti. Quanquam ignorem, utrum non hoc genus totum occasione simiarum, & similium animantium fuerit excogitatum. Pertinere huc videntur crines promissi barbæque quibus velare sese, ceu vestimentis Pygmæos prodit *Ctesias*: item simi nares, totiusque faciei deformitas. Inprimis autem τὸ αἰδοῖον, de quo ait, quod μέγα ἔχουσιν ὥστε ψαύειν τῶν σφυρῶν αὐτῶν, καὶ παχύ.

Hoc

Hoc enim vix in aliud quadrat animal, quam ſimias. Vidiſti enim Bavianos vulgo dictos, ut opinor. Innuere quoque *Euſtatius* videtur, quando lib. IV. Iliad. poſt multa de Pygmæis tandem: αἱ μὲν τοι πεθηκῦσαι νῆσοι ὐ τοιῦτυσ τέ τινας ἔχυσιν, ἀλλ' ἑτεροῖαι περιφέρονται. Quid enim opus alias fuiſſet hac adjectione? Et aperte ait, alias fuiſſe, quæ ibi reperirentur, unde ſimias ab eo habitas neceſſe eſt. Neque obſtat pugna cum gruibus, cum hoc genus ſit infeſtum avibus cunctis. Quod autem *Ariſtoteles* his tribuiſſe fidem putatur, ejus rei credo eſſe cauſam non ſimplicitatem viri, vel credulitatem, ſed auctoritatem eorum, qui tum talia pro veris venditabant. Quibus refragari parum civile tutumve arbitrabatur. Fuerunt nempe hi Megaſthenes, Oneſicritus, Nearchus, Daimachus, magni Duces ſub rege Alexandro. A quibus accepiſſe talia non eſt dubium, quando ipſe ait: ὐ γάρ ἐςι τῦτο μῦθος, ἀλλ' ἐςι κατὰ ἀλήθειαν, γένος μικρὸν μεν, ὥσπερ λέγεται, &c. Non dicit, ſe compertum hoc habere, aut vidiſſe, verum ὥσπερ λέγεται, quo rumorem & famam publicam ſignificet, & illud ἐςι κατὰ ἀλήθειαν velut limitatione quadam circumſcribit, quaſi diceret, *res ita revera ſeſe habet, ſicut*

ſicut quidem ajunt, h. e. ſi fide eorum ſtandum eſt, qui hoc pro certo referunt. Qui hic non intelliguntur illi, qui deſumſerunt à Homero. Ejus enim reſpectu dicit, ὡς γὰρ ἔστι μῦθος, ſc. ut ad illa uſque tempora vulgo habebatur, verum recentes aliqui, illi videlicet Alexandri Duces, qui reduces ex India totam ſpargebant. Id quod *Strabo* quoque docet, lib. II. quando de iisdem: ἐνεκαίνισαν δὲ καὶ τὸν ὁμηρικὸν τῶν πυγμαίων γερανομαχίαν, τρισπιθάμους εἰπόντες. Dicit veterem illam de Pygmæis fabulam, quam vulgo habuere pro commento Homeri, renovaſſe, ac pro vera venditaſſe, ſicut ferè ſolent, qui ex remotiſſimis terrarum oris domum revertuntur, per ambitionem, & quia ſentiunt mendaciis ſe difficulter poſſe convinci. His ergo pro veris venditantibus ſermone calamoque Pygmæos non tam credidit *Ariſtoteles*, quam credere ſe callidè ſimulavit, uti ſatis vel ex ὥσπερ λέγεται apparet. Qui Pygmæos in ſpectra montana Septentrionis vertunt, otio abuti ſuo videntur. Quomodo enim, ſi fuerunt homines, ſpectra deinde potuerunt evadere? Equidem non ignoro, memorari noſtris multa, de minuto genere ſpectrorum, quod vagatur liberè per ædes, conſpiciendumque ſe frequenter offert ſpecie

 ſenili,

ſenilli, puerili verò magnitudine. Diligens munditiarum ajunt eſſe, purgare ædes, equorum maximè habere curam. Verum proprium non eſſe harum regionum, id quoque certo ſcio. Nam & per Germaniam totam memorantur, credo alias quoque regiones. Quare illud quidem nihil pertinet ad Pygmæos. Si qui ſunt, qui Pygmæos vocant, illi ſolam ſtaturam eorum attendunt. Mihi ergo, quidquid de Pygmæis dicitur, fabula videtur, ab Homero primum occaſione ſive ſimiarum, ſive ſimilium animalium excogitata, diuque poſtea pro commento habita, donec temporibus Alexandri Dæmachus, Megaſthenes & alii, inter cætera, quæ prodigioſa *ſibi* viſa eſſent in Indiis (nam de Æthiopibus aut Trogloditis tum quidem ſatis notum fuit mendacium) etiam hos commemorarent. A quibus haud dubie deinde cæteri omnes, qui eorum faciunt mentionem, accepere. Habes meam, Vir Clariſſime, de Pygmæis ſententiam, pro qua tamen non ſic pugno, tanquam nolim amplecti aliam, ſi quis eam ratione idonea poterit docere. Æliani Animalium Hiſtoria alium, quam me, deſiderat interpretem. Et aliud ſpectabam, cum olim Varia illius ederem, quæ denuo Argentorati excuſa puto Te vidiſſe.

Verum

Verum pœnitet laboris ejus, quando pars non exigua mearum annotationum, quas submiseram, incuria typographi est amissa. Si quid tertiæ editioni potes adjumento esse, quæso te enixè ut facere ne graveris. *Rudbeckio* nostro gratissimum fuit mentionem sui tam amicam abs te fieri in tuis, teque perofficiosè vicissim per me salutari voluit. In Anatomicis se ait editurum fuisse aliqua, sed impedimenta injecta esse à curis multiplicibus, quas ei Rectoratus Academicus, ultra consuetudinem in annum protractus, injunxerat. *Phædrus* meus nunc properat ad finem. Ejus mittam exemplum, cum idoneam nactus fuero occasionem. Sed claudendum tandem est, cum jam charta deficiat. Rogo autem enixè ut Cl. Dn. Fratres, una cum amicis aliis officiosè ex me salutes. Tu quoque, Vir amicissime, salve cum tuis omnibus, atque vale. Scr. Upsaliæ 25. Nov. 1662. festinante calamo, cui rogo ut ignoscas.

Cl. Nomini tuo toto pectore addictus

Joannes Schefferus

EPISTOLA XLIII.

De Bulla Romanorum. Pygmæi defenduntur. De pane πιστῷ apud Mauritium, *& buccellato.*

JOHANNI SCHEFFERO Upſaliam.

GRatiſſimæ mihi ſemper ſunt literæ tuæ, quas cum amicis tuis gratiſſimis mittere ſoles. Amo quantum poſſum quoscunque Tu amas & tuo favore dignaris. Hinc nobiliſſimis Juvenibus, qui me tuo nomine ſalutarunt, omne officii genus libenter obtuli. Tribus præterea literis eruditiſſimis & antiquo candore plenis debeo reſponſum, hactenus propter varia impedimenta dilatum. Neque enim noſtri ſemper juris ſumus, quos ſæpe publicæ, & ſæpius privatæ curæ à ſcribendo avocant. De nexilibus bullarum cælaminibus in torquibus Frothonis Regis, quæ commentaris, ingenioſa ſunt & veris haud abludentia, quanquam & bullæ iſtæ ad puerilia ornamenta, more Romano, ſpectare potuerint, quas poſita prætexta penatibus ſuſpenſas notum ex *Perſio* ſat. 5.

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Et

Et *Propertio* l. 4. El. 1.

Mox ubi bulla demiſſa eſt aurea collo
Matris & ante Deos libera ſumpta toga.

In quam rem extat apud *Gruterum* inſcriptio Romæ ad hortos Bellajanos, licet hic non Laribus ſed Junoni Placidæ bulla ſuſpendatur. Bullas has rectè dimidiato globo comparas. In ſacris lunulæ vocantur *Judic.* 8. 26. quæ ornamenta erant lunari formâ, interprete B. *Hieronymo*, quibus colla regalium camelorum decorari ſolebant. Ex quo etiam loco lunulas ſeu bullas à torquibus diverſas eſſe monet *Druſius* Not. ad h. l. licet ex *Saxone* pateat partes torquium fuiſſe. Sed omnibus iſtis lucem fœneratur opuſculum tuum hujus argumenti, quod avidè expecto quovis ære redimendum. De Pygmæis judicium Tuum inter meliora reponam. Fabulam non eſſe ſtrenuè negat *Ariſtoteles*, aſſeritque rem ita ſe habere ſicut fama fert, adeoqne τὸ ὥσπερ λέγεται, non dubitatio eſt, ſed rei quæ narratur confirmatio. Exiſtimandum non eſt, ſummum & liberrimi ſpiritus Philoſophum ex adulatione pro veris falſa credidiſſe, ſuamque authoritatem apud aulicos Alexandri proſtituiſſe. Narratio ex ſimiis trahere potuiſſet originem, niſi magnum inter decantatos Pygmæos & ſimias eſſet

diſcrimen. Veterum enim fide, inprimis Cteſiæ, ſi ſtamus, Pygmæi linguâ Indorum utebantur, ſagittarii erant peritiſſimi, legibus Indorum juſtiſſimè vivebant, naviolis per lacum navigabant, quæ omnia hominibus ratione utentibus, non ſimiis, competunt. Crinium prolixitate feros ſe monſtrabant, ſimis naribus Indos, τῷ αἰδοίῳ laſcivos, quales nani eſſe ſolent compacto corpore validi, qui etiam plerumque deformes. Nolim tamen pro veritate hiſtoriæ nimium pugnare, quam nec ego amplecterer, niſi præiret *Ariſtoteles*. Quanquam verò periiſſe videatur hæc pumila natio, nec niſi in Nanis veſtigia ſua reliquerit; reperit tamen eam *Joannes Alvarez Maldonatus* A. C. M. D. LX. ultra montanas Andes, & *Antonius Pigafetta* inter Moluccas in Inſula quadam Aruchetto: *Johannes* denique *Monteville* Eques Anglus in Regno Caſſaijæ, ut alios taceam in opuſculo hujus argumenti adducendos, de quibus unicuique liberum relinquo judicium. Mihi ſatis, nonnulla attuliſſe pro veterum defenſione, quos benignè vel excuſare, vel tueri debemus; quippe veritati verba & aſſenſum commodamus, reverentiam antiquitati; alioqui verè *Seneca* de Vit. Beat. c. 1. *nemo ſibi tantum errat, ſed alii erroris cauſa & author eſt*. Hæc liberius apud Te eloquor,

quem

quem ſcio magnum antiquitati pretium ſtatuere. Optimè de eadem mereris, quod neglectos à plurimis vel ſepultos veterum libros in lucem proferas, inprimis, qui Rem militarem veterem tractant, *Arrianum* & *Mauritium*, tuâ induſtriâ dignos, ſed ab ingenio tuo pacifico alienos. Quæris, quale genus panis fuerit, quod πίϛον vocarunt veteres, & à buccellato apud *Mauritium* diſtinguitur? Quia de Re Militari nobis ſermo, ignotum eſſe non poteſt, duplex panis genus inter milites uſitatum fuiſſe expeditionis tempore. De buccellato communis eſt conſenſus, cui alius præterea additur panis à Conſtantino & Juliano *Tit.* 38. *C. de Erog. Mil. annon.* l. 1. Panes militares mundi, & panes militares caſtrenſes vocantur à Valeriano Auguſto apud *Fl. Vobiſcum* in Divo Aureliano. Inter quos panes quale fuerit diſcrimen, non æquè liquet. Panem tertio die, buccellatum in duobus diebus percipere ſolitos milites, ſupra citatus Codicis textus indicat. Panes militares mundos ſedecim, caſtrenſes quadraginta Aureliano decernebantur quamdiu Romæ fuerat apud *Fl. Vobiſcum* l. d. Videntur panes militares mundi cum pane tertii diei convenire, & buccellatus cum caſtrenſi. Adeoque ſi conjecturæ locus, πίϛος apud *Mauri-*

tium tuum idem eſt, qui militaris, vel *Conſtantini* panis, quia ubique à buccellato diſtinguitur. Quale id porrò genus panis fuerit, ſi ex me quæras, in magna antiquitatis caligine, divinare mihi videor, differentiam potius in coctura quam materia ponendam quærendamque eſſe. Buccellatus nempe panis biſcoctus erat, ut ætatem ferret, & ſitum in expeditionibus evaderet, quos forſan commodè ad *ἰπνίτας* referimus, de quibus *Hippocrates* noſter l. 2. de Diæta, & *Galenus*. 1. de Alim. quos doctiſſimus *Mercurialis* L. 1. Var. Lect. c. 12. contra interpretum mentem in furnis magnis concoqui credit ideoque furnaceos dictos *Cornario* interpreti. At *πίστος* pro re nata in exercitu ex tempore coquebatur à piſtoribus, quos ideò ſequi expeditionem prohibuerunt Imperatores, teſte *Ælio Spartiano* in Vit. Peſcennii Nigri, quoties buccellato ſolo milites contenti eſſe juberentur. Huic *κλιβανίτης* *Hippocratis*, *Galeni* & *Actuarii* conferri poteſt, qui ſub teſtis vel furnis portatilibus coquebatur, tales enim furnos in exercitu curribus vectos credibile, quod & hodiernis moribus uſitatum, *ἐγκρυφίας* verò, de quibus *Actuarius* l. de Spir. Animal. nutrit. c. 5. inter cineres coctos, ad hanc lineam non retulerim, uti nec illos quos ſuper craticulam aſſatos refert

refert *Oribasius* l. 1. Collect. Med. c. 8. Unde autem πίστος? Quid si posteriores seu Græci seu Romani à Medicis illam vocem mutuati sint, quibus συγκομιστὸς est panis cibarius distinctus apud *Dioscoridem* l. 2. c. 107. ab illo qui ἐκ τῆς σεμιδάλεως. Dictusque *Galeno* l. 1. de Alim. facult. quod ad hunc conficiendum tota farina nusquam à furfure sejuncta συγκομίζηται, seu comportetur. Quod & alibi idem *Galenus* scripsit l. de Renum Aff. dign. & Med. c. 6. & illi ὁμόψηφος *Ægineta* l. 1. c. 78. *Amatus Lusitanus* & *J. Ant. Sarracenus* Not. in Dioscoridem, unde propriè *Guintherius Andernacus* confusaneum vocat, ut non videam quomodo contra veterum consensum *Actuarius* l. d. furfuraceum tantum illi demptum scripserit. Non volo ut de materia panis, quem πίστον vocat *Mauritius*, hinc conjecturam capiamus, sed eo tendit oratio, ut suspicemur facilè πίστον ex συγκομίστω fuisse natum & contractum. Si ex Romano foro mutuatam vocem cum *Meursio* defendamus, non valdè peccabimus. Nam & Tractam inde sumserunt apud *Athenæum*, & forsan nostrates genus placentæ, quod Torte appellamus vel Terte, Italique suas Tiratas. Quicquid horum sit, de πίστῳ *Mauritii* conjecturam tuo judicio subacto vel firmabis vel corriges. De *Ar-*

riani ἀζαρῷ nihil mihi obſervatum, quod Tibi ex uſu eſſe queat. Ejus enim vocis apud Medicos noſtros infrequens uſus. Niſi ἄζαδον potius ſcripſiſſe *Arrianum* & *Ælianum* malimus, *Hippocrati* & *Galeno* uſitatum vocabulum pro interiorum viſcerum, inprimis ventriculi, motu & perturbatione, quod per κίνησιν τῆς καρδίας τὴν ἀπὸ τῶν γυμνασίων explicat *Heſychius*, Tibi quam mihi notior. Sed de his cæterisque ipſe judicabis. Ea quæ protuli, niſi obſequio ſe commendent, digna non ſunt quæ ad Te, melioribus aſſuetum, ſcribantur. Malui tamen in conjecturis fallere, quam in amicitia. Tu verò, mi Scheffere, porrò perge illuſtrare orbem pulcherrimis ingenii & eruditionis monumentis, & me amare. Ampliſſimis Collegis Tuis, *Loccenio*, *Rudbeckio*, *Hovenio*, officioſam ſalutem tranſcribo. Vale diutiſſime. Haſn. 20. Nov. 1662.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XLIV.

De humani fœtus ostentis.

Thomæ Bartholino Hafniam.

Confisus tua erga me benevolentia, de qua certiorem me fecerunt gratissimæ salutationes per literas Clariss. D. Blasii, Collegæ conjunctissimi, primas has ad te exaro in spem majoris familiaritatis, si eo honore me digneris. Virtutum tuarum me non minimum æstimatorem esse, testantur tam frequentes celeberrimi nominis tui in scriptis meis, expressiones. Has comitatur libellus noster de Ossibus, quem benevola fronte suscipias, rogo. Vidi nuper in literis nominati D. Blasii, breviter quid referri de Fœmina apud vos, quæ ab anno 1643 gravida sit. Gratum esset, si fusius historiam illam cum omnibus circumstantiis explicares, nobisque communicares. Abstrusa quamplurima in naturalibus miramur: Sed & hoc admiratione dignum videtur, quod hisce temporibus tot humani fœtus ostenta concurrant: Fœtus Mussipontanus, Dolanus, & jam Hafniensis, cum, quantum mihi constat, rarissimè superiora secula simile quid protulerint. Veterum in horum observationibus negligentiam accusare, iniquum vide-

videtur; cum in aliorum animadverſionibus ſuam ſatis probarint diligentiam: ut naturæ deficientis ſenio id tribuatur, nulla ratio arguit. Subſiſto, deſiderans judicia aliorum, meque tuo commendans favori. Vale, Excellentiſſime Vir, vive diu, ad Reipublicæ literariæ ornamentum. Amſtel. 29. Novemb. Ann. 1662.

Tuus totus

Arn. Sengverdius.

EPISTOLA XLV.

An ſaxea Lithopædii durities? Mures prægnantes. De unguibus & pilis miranda.

ARNOLDO SENGUERDIO Amſtelodamum.

GRatiſſimum mihi accidit, quod ſine interprete Te ſalutare poſſim, quem hactenus multis de cauſis æſtimavi, famâ eruditionis & humanitatis notiſſimum. Jamque, quia inita inter nos eſt amicitia, eandem ſine ambagibus ſtrenue & candide exerceamus frequentiorique literarum officio excolamus, cujus cum pronuper initium feceris, adjuncto nervoſo Oſteologiæ Tuæ munuſculo, ingratus forem niſi quam

quam citiſſimè reſponderem, gratias pro munere agerem, & omnia amici officia exhiberem repromitteremque, lætus cum Scipione apud *Stobæum* ſerm. XXXVII. quod ex foro prius hodie domum reverſus non ſim, quam familiarem Te mihi & amicum per Epiſtolam a Te miſſam effecerim. Legi non pauca, quæ elegans Tua penna ingenioſè pariter & doctè publico bono exaravit, Naturæ gratulatus de tanto fautore, & mihi de amico. Pergamus porrò Naturam venerari & illuſtrare diligentiâ noſtrâ,

—— vitanda eſt improba Siren
Deſidia ——

quam ab utroque alienam, edita hactenus monumenta teſtantur. De Dolano oſtento rem acu tetigiſſe videris, nec magnopere repugnarim illis, quæ de Lithopædii ſubſtantiâ ſuſpicaris. Saxea enim durities non eſt, ſicut accuratius mihi in Technicotheca Sereniſſimi Regis noſtri conſideranti patuit. Cæterum calculos & duritie & ſubſtantia ſilices referentes in veſica generari poſſe certum multis eſt, & tales in Muſæo habui è veſica humana, ut fertur, exſectos, nuperque Nobili cuidam noſtro alium ſimilem ovi gallinacei magnitudine exſectum vidi. Tu ex ingenio magno hujus rationem nobis

nobis aperias, qui tantam Lithopædio duritiem denegasti. Gravida illa nostra, cujus mentionem feci in literis ad amicissimum *Blasium*, nec exemplis caret, nec ratione Anatomica distituitur, quod fusius in Dissertatione de Insolitis Partus Humani viis, brevi proditura, persequutus sum. Embryo prægnans majorem admirationem meretur, de quo in Historiis egi. Ille certè exemplo caret, nisi ad mures confugiamus, quos in utero quoque matris esse prægnantes *Aristoteles*, *Plinius*, *Ælianus*, *Wottonus* tradunt, & *Licetus* de Spontaneo Viv. ortu rationibus tuetur. De qua murium imprægnatione tuum responsum præstolabor avidissimè, quippe qui in exercitationibus Physicis ostendisti, quantum humeri tui valeant in difficilis Naturæ oneribus. Antequam finirem inspexi Osteologiam Tuam. Statim primo Capite unguibus vitam concedi adverto, quia crassiores sunt in adulto quam in infante. Esse verò merum excrementum sunt quæ persuadeant. Ungulæ equorum si radantur, citius convalescere equos, Veterinariorum nostrorum observatione didicimus. Hinc *Vegetius* l. 2. Vet. Med. cap. 55. solum ungulæ celeriter aperit. Ita & si læsus sit homini digitus, statimque ejusdem digiti ungues præcidantur, non inflammari digitum, sed citius percurari,

rari, certa amici Nobilis experientiâ reſcivi. Nec ratio difficilis. Nam cum unguium incremento expurgatur ſimul materia peccans. Verè enim hujusmodi excrementis creſcunt ungues, quæ quia in adultis & copioſius & majori naturæ excellentis vi protruduntur, hinc craſſiores ungues ſunt in adultis quam in infante. In leproſis quoque & ſcabie defœdatis craſſiores plerumque ſunt, propter copiam fœtidi excrementi. Non injuria igitur *Pythagoras* ſapientiſſimus, capillorum & unguium ſuperfluitates, poſtquam abſcideris, peſſundare juſſit. Quia ibidem de pilis agis, admirandam ſympathiam pilorum equi ejuſdem coloris tacere non poſſum, ab amico mihi revelatam. Si enim equus tuſſiens in ſtabulo aliis equis ſanis ejuſdem pili & coloris adjungatur, inficere ajunt hos ſanos, neutiquam ſi diſſimilis ſit pilus. In humano genere novum non eſt illos invicem morbis inficì, peſte, variolis, etiam abſentes, qui affinitate ſanguinis & ſimilitudine arctius inter ſe conſpirant. Ne longior ſim, filum rumpo. Vale, Vir celeberrime, & porrò Naturæ ſtrenuam operam magno nominis clariſſimi augmento impende, meque ama. Hafn. 5. April. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

Calorem esse de febris essentia.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

CAlebant adhuc manu meâ gratissimæ tuæ literæ, cum debiti officii mei partem esse existimarem, ad eas statim respondere, quibus ut optimus Magister aliquam meam tentas diligentiam. Sicut enim è rudi in scholis juventute nullus adeò socors reperitur discipulus, qui non promptè & pro modulo ingenii, Præceptori suo respondeat ad ea, quæ is proponit ad tentandum simul & promovendum ipsius in studiis profectum; Ita nec ego tardior esse debui, præsertim cum constantem manifesto agnosco gratiam, quâ præsentem olim plurima utiliter sæpe docebas, nec desinis absentem etiam per literas adhucdum erudire. Primum igitur quod me jubes est, ut justâ excutiam diligentiâ calorem, quem de febrium omnium essentiâ esse, cum plerisque Medicis judicaverim. Id vero cum facio, protinus in Galeno comm. 1. in lib. 6. Epid. t. 29. pro me invenio hæc verba: *Essentia vero febrium est non secundum Hippocratem modo atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundum communem omnium hominem consensum,*

præter

præter naturam Caliditas, maximè quidem in totum animal effusa; sin minus, at omnino vel in plurimis partibus vel in nobilissimis accensa &c. Paulo post: *Primæ autem febrium differentiæ & præcipuæ, & ex propriâ (ut dixi) febrium essentiâ acceptæ, sunt quæ per calorem traduntur.* Miror Galenum hîc pro caliditate & calore non subdidisse intemperiem calidam, quam pro genere febris in pectore reverâ fovet idem. Fortasse hoc loco Hippocratis adeò claro & perspicuo non ausus est apertè falsa affingere; Ipsum autem non adscribo, cum allegato commentario sine operâ videndum; ipsius tamen loco unum alterumve pro calore febris Hippocratis testimonium subjicio, quorum primum est ex lib. I. de morb. his verbis: Πυρετὸς δὲ ἀπὸ τῶνδε γίγνεται. Ὁκόταν χολὴ ἢ φλέγμα θερμανθῇ, θερμαίνεται (καὶ) τὸ ἄλλο πᾶν σῶμα ἀπὸ τούτων, καὶ καλέεται τοῦτο πυρετός. Alterum ex quarto de morbis libro est, in quo autor ille causas febrium persecuturus inter alia, de eo quod in corpore pro generatione febris incalescit, Τὸ δὲ θερμαινομένον (inquit) προσξυνθερμαίνει καὶ τὸ ἄλλο σῶμα κἀν τούτῳ ὁ πυρετὸς γίνεται, καὶ γίνεται μᾶλλον ἀπὸ χολῆς καὶ τοῦ φλέγματος καὶ τοῦ αἵματος θερμότατα γὰρ ταῦτα ἐστί. &c. Ἀπὸ δε τοῦ ὕδρωπος οὐ γίνεται πυρετὸς ἰσχυρὸς

κάρτα ὐδὲ πολυχρόνιος. Τῷ γὰρ πυρὶ ὐκ ἀγαθὴ τροφὴ ὁ ὕδρωψ ἐςίν. Hæc aperto ſenſu calorem pro eſſentiali parte febris inferunt. Quæ vero per ὀπόνοιαν alia eodem inflecti facilè poſſunt, multo plura in Hippocrate inveniuntur, inter quæ inprimis notandum eſt, quod in aph. 14. ſect. dicit Autor ille γέρυσι δὲ ὀλίγον θερμὸν, διὰ τῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρυσι ὐχ ὁμοίως ὀξέες. ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα. Hac ſententiâ tanquam fundamento ſubnititur figurata ſ. metonymica febris definitio, quæ eſt, quod febris ſit converſio calidi innati ad igneam naturam, quam & Veteres & Recentiores varie impugnant aliique defendunt: Bona tamen illa, modò τρόπος animo rectè advertatur, intelligaturque febris eſſe caliditas, quæ ex converſione calidi innati ad igneam naturam ſubſequitur; Neque enim poſſibile eſt aliud inde provenire, quam ſuperfluam caliditatem; Cætera quæ ex nominibus febrium variis, pro calore argui poſſunt, utpota quod febris πυρετὸς ἀπὸ τῦ πυρὸς, imò πῦρ, itemque θερμὴ (ſc. νόσος) & θερμωλὴ (quaſi θερμὴ ἐν ὅλῳ,) & καῦσος & ſynonymas φλεγμονώσία & καῦμα appellatur, ea mitto, quia latius perſecutus in ipsâ doctrinâ de febribus mea ſum, adeò ut ipſum etiam febris nomen à fervendo deductum oſten-

ostendatur, & in superioribus omnibus immodica caliditas febris essentia quasi digito ibi commonstretur. Cæterum cum hoc & superiori ævo non adeò attendatur quid in Placitis Medicinæ Hippocrates affirmet, quam quid summus Dictator Galenus censeat, operæ videbor fortasse facere pretium, si ostendam neque illum tamen in hac parte dissentire, quo magis etiam mirabor, si quisquam in dubium vocare contra me velit, febris essentiam esse superfluum calorem; Apertè enim Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 1. *Febris* (inquit) *substantia* (οὐσία h. e. essentia) *in genere caloris, qui est præter naturam, consistit.* Et in comment. in librum Hipp. de fracturis, lib. 3. §. 9. φυγμῶδες καὶ πυρετῶδες τὸ ἕλκος ἂν εἴη. *Cum posset* (inquit) *Hippocrates loco* πυρετῶδες id est febrile, πυρῶδες *h. e. igneum dicere, febrile dixit à fervore & igne deducta appellatione, ut significet, quemadmodum mihi videtur, febrem quoque ipsam, quæ* πυρετὸς *dicitur* ἀπὸ τοῦ πυρὸς *fuisse nominatam, eamque esse febris essentiam, quod calorum igneum habeat.* Huc referri potest, quod in lib. de caus. morb. c. 2. adscripsit idem his verbis; *Cum quispiam immoderatâ excercitatione usus fuerit, lassitudinem sustinet corpus, h. e. calidi-*

 tatem

tatem immodicam in musculis atque articulis habet, &c. Hic calor si in totum extensus fuerit corpus, tunc hujusmodi affectus febris appellatur, quæ est quædam totius corporis immoderata caliditas. Item illud ex comm. 1. in libr. de vict. rat. in morb. acut. ubi ait: *Febris verò ortus, caloris nativi ad igneum est conversio, ut alibi demonstravit* (Hippocrates) *& nunc manifestabit, inquiens, ex thorace quidem incipere ad caput vero flammam mittere. Præterea in libris vulgar. morb. febrem magnam ignem vocare consuevit, quasi non aliam habeat naturam præterquam ignis substantiam.* Plura in hanc sententiam ex Galeno possem adscribere loca, nisi vererer, ne tædium tibi moveret verborum multitudo. Hæc igitur, quæ scripsi, pro assertione sententiæ, quâ calorem præternaturalem, essentiam febris & proprium genus judicavi. Verto ad ἀντίθεσιν; in qua Clarissimos Viros proponis Sylvium nempe & Walæum: De illo postea dispiciam. Hunc in præsentiâ audiam. *Febris*, ait, *essentia non est calor.* Hoc directò pugnat cum assertionibus Galeni suprâ propositis non unis. Rationem addit, *quia rigor & horror non tantum initium febris, verum ipsa febris sunt.* Rigorem initium febris esse ut & horro-

horrorem concedo, quia non Galenus modo aliique veteres ita loquuntur, ſed & Celſus lib. 3. c. 3. *aliæ (inquit) febres à frigore incipiunt, aliæ ab horrore.* Verum alio non admitto ſenſu; quam ſi quis dicat mihi: Concio in templis aliàs à ſymphoniis incipit, aliàs à cantionibus; quo minus tamen ſymphoniæ vel cantiones concionum partes exiſtimandæ ſunt. Cæterum horrorem vel rigorem ipſam febrem eſſe ut conſtanter nego, ſic novum veteribuſque inauditum id δόγμα aſſero. Rationem tamen ſubdidit Walæus affirmantem, à celeri pulſu deſumptam, quam inter Sylvii argumenta excutiam. Pergit præterea & ait: *Dantur etiam febres, in quibus non apparet calor.* Hic ego ſive ex veteri ſive recentiori memoriâ ſaltem unum requiro proprium & ſpeciale exemplum; Exemplum autem videtur indicare voluiſſe ipſe Walæus in his verbis: *Calor enim in habitu corporis non eſt febris, ſed ejus effectum.* Hoc ego non niſi ambiguus intelligo: Aut enim calor in habitu corporis eſt, qui per corporis compagem inter febres quaſcunque diffuſus eſt, aut eſt calor cum ἕξει inhærens ſubſtantiæ, qui Galeno hecticas febres facit. Priori ſenſu planè non poteſt calor eſſe effectum febris, niſi

forte animo propoſuit Walæus metonymicam definitionem: Febris eſt calidi nativi in igneam naturam converſio, de qua ante: Ex hac enim neceſſe oriri caliditatem, quæ hoc ſenſu effectum febris. Verum non credam te putare, poſſe Walæum argumentandi hunc modum ſuum ita tueri, ut febris aut horror cauſæ rationem, calor effecti omnino retineat. Si poſteriori ſenſu de calore ſolidæ ſubſtantiæ ſ. corporis ſ. cordis diu inhærente, ut fert Galeni opinio, illa intellexit, qui calor ferè ab acutis febribus, quæ præcedunt, in ſubſtantiâ cordis exitari vulgo putatur, ut adeo hic effectum febris dici verè poſſit, non aliud oppono quam ſimplicitatem. Hecticas enim ejuſmodi febres cum Hippocrate & Celſo meo plane non novi: Non quod non ſint ejuſmodi febres, quas Celſus lentas, Hippocrates aliique μαρασμώδεις appellant, quæque ardentes ſæpè ſequuntur; Sed quo vanum mihi videtur putare, febrem ſolidæ ſubſtantiæ corporis poſſe inurere calorem præternaturalem, qui conſtanter etiam ceſſante cauſâ, priori nempe febre, ἐν ἕξει, ut loquuntur, inhæreat. Sed quid fuerit, ſi totum hoc ſenſu Walæo concedam argumentum? Calor nempe hecticus eſt effectum febris alterius generis,

generis, quam ipsa hectica est; An ideò hecticus calor non est febris, diversi præsertim generis quam prior? Hoc ego non capio; Sed nolo plura in ambiguitate. Apertum & perspicuum sensum sequar tuorum argumentorum, Amice & Præceptor gratissime, quibus ferè efficis ut possem vacillare in sententiâ, nisi à temet olim didicissem, quô vicissim modô gradum possim firmare; Dubia enim moves ex Veteribus, quæ te fere inducunt, ut credas rigorem febrilem pro febris principio adeoque febris parte ab ipsis habitum. Qui ergo ego ausim dubitare, aut non credere? Sed si tamen veniam dabis, tentabo quæ in contrarium queam adducere ex veteribus exempla. Primum argumentum tibi hoc est: *Veteres si excutiamus, una ore affirmabunt rigoris febrisque eandem esse causam, nempe calidam.* Huic uni, tria oppono ex Veterum libris exempla. Primum est ab Hippocrate ex libro de Flatibus, qui etiam Celsi testimonio, sine dubio ipsius genuinus est. In toto hoc libro unicè Hippocrates ferè eo intendit, ut persuadeat à flatibus pleraque morborum genera oriri si non omnia; in exemplis incipit à febribus, & primò asserit, pro causâ horroris, flatus, obstructo inferiore ventre, in univer-

 sum

ſum corpus percurrere & ad ſanguine re-fertas corporis partes illapſos refrigerare ibi, ubi fontes & radices ſanguinis ſunt; Toto igitur refrigerato ſanguine, totum corpus frigefactum horere (φρίσσειν.) Eodem modo τοῦ ῥίγους cauſam exponit, ſaltem hac interpoſitâ differentiâ, quod major vis refrigerantium flatuum, hic quam illic adſit. Poſt hæc continuo ad febris cauſam indagandam progreditur, aſſeritque quod interea cum flatus percurrunt corpus, ſanguis variè in partibus moveatur, quaſdam deſerat, quaſdam oppleat aut obruat. Ubi ergo cumulatur ſanguis, ibi ſpiritus, qui prius refrigerârant, & φρίκην & ῥίγος induxerant, ſuperari à calore ſanguinis & valde incaleſcere dicit, quo incenſi & velut ignei illi totum corpus viciſſim calefaciunt, adjuvante quoque id opus ſanguine, & ſpiritibus per calorem ex eo excitatis. Poſt hæc & alia nonnulla, quæ de ſudoribus & dolore capitis in febribus apponit Hippocrates, concludit his verbis: Οἱ μὲν οὖν πυρετοὶ διὰ τοῦτο, ὡς ἔφην, γίνονται, καὶ τὰ μετὰ πυρετῶν ἀλγήματα καὶ νοσήματα. Patet ergò horrorem & rigorem Hippocrati ſeparari à febre; Illorum cauſam frigidos eſſe ſpiritus; Hujus, ſpritus διαπύρους, ut loquitur, καὶ

μυώδεους,

μύδξεις, nec non calefactum ſanguinem eſſe; Non eandem a. eſſe rigoris febriſque cauſam, nempe calidam; Febris quidem cauſa ubique & ſemper calida; Rigoris horroriſque è contrario ubique frigida Veteribus cenſetur. Alterum exemplum ex Autore lib. 1. de morbis objicio. Is eo loco πυρετός (inquit) ἀπὸ τῶνδε γίνεται. Ὁκόταν χολὴ ἢ φλέγμα θερμανθῇ, θερμαίνεται καὶ τὸ ἄλλο πᾶν σῶμα ἀπὸ τούτων, καὶ καλέεται τοῦτο πυρετός. Paucis deinde cauſas adnumerat, quæ bilem vel pituitam incendant, nempe cibum & potum, laborem & vulnera, aërem vel aliud quid nimis ſive calidum ſive quoque frigidum; viſum & auditum &c. Et protinus ſubdit: Τὸ δὲ ῥίγος ἐν τῇσι νούσοισι γίνεται μὲν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἀνέμων καὶ ὕδατος καὶ αἰθρίης καὶ ἑτέρων τοιούτων. γίνεται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἐσιόντων σιτίων καὶ ποτῶν. Μάλιστα δὲ καὶ ἰσχυρότερον γίνεται, ὅταν χολὴ καὶ φλέγμα συμμιχθῇ ὑπὸ τῷ αὐτῷ αἵματι, ἢ τὸ ἕτερον ἢ ἀμφότερα. μᾶλλον δὲ ἢν τὸ φλέγμα μοῦνον συμμιχθῇ. ψυχρότατον γὰρ φύσει τὸ φλέγμα, θερμότατον δὲ τὸ αἷμα. ψυχρότερον δέ τι ἡ χολὴ τοῦ αἵματος. Ὅταν οὖν ταῦτα συμμιχθῇ ἢ τὸ ἕτερον, ἢ ἀμφότερα ἐς τὸ αἷμα πήγνυσι τὸ αἷμα οὐ παντάπασι δὲ, οὐδὲ γὰρ ἂν δύναιτο δῆν ὁ ἄνθρωπος εἰ τὸ αἷμα πυκνότερόν τε καὶ ψυχρότερον γένοιτο παλλαπλησίως ἀντὶ ἑωϋτοῦ. ψυχομένου οὖν τοῦ αἵματος ἀνάγκη

ψάχεσθαι καὶ τὸ ἄλλο σῶμα πᾶν, καὶ καλέεται ῥίγος ἀκόταν τοῦτο τὸ τοιοῦτον γένηται. Ex his patet febris cauſam eſſe calidam; rigoris frigidam; Etiam antecedentes cauſas illic pleraſque eſſe calidas; hic omnes eſſe frigidas; Differunt ergò febris & rigor totâ naturâ & eſſentiâ, ut differunt quoque cauſis, neque hæc illius pars cenſenda veteribus eſt, nec cenſenda aliis. Tertium exemplum addo, ex Autore alio, nempe lib. de morb. 4. Hic longo primum ſermone perſequitur, quid & quomodo poſſit in corpore aliquid nimis calefacere, & tandem de calefacto addit: Τὸ δὲ θερμαινόμενον προξυνθερμαίνει καὶ τὸ ἄλλο σῶμα κἄκ τούτου ὁ πυρετὸς γίνεται &c. quæ paulo ante jam adſcripſi. Tandem ad cauſam frigoris & rigoris divertitur, docetque illud fieri, concreſcente primum aqueo quodam humore, qui ſi non exit per alvum cum eo, quod frigidiſſimum & graviſſimum ineſt, ad inferiora & præcipuè ad oſſa ſe atque nervos inſinuare ibidemque rigorem facere illi cenſetur. Patet ergò, diverſam eſſe febris & rigoris, nec non frigoris, cauſam; illic calidam; hic frigidam aut certè partes corporis certo modo reſiccantem. Differunt ergo hæc quoque inter ſe, neque poſſunt rigor aut frigus in febre, ut partes,

partes, contineri, quia causis & totâ naturâ sunt separata. Hæc sunt, quæ faciunt, ut dubitem, an uno ore Veteres affirment, unam eandemque febris & rigoris esse causam, nempe calidam. Instas, Amice optime, Galeni autoritate, & dicis disputare in hanc rem Galenum lib. 5. de sympt. caus. c. 4. Quæsivi ego quid afferret Galenus, sed tres saltem hoc titulo libros ejus, non quartum vel quintum inveni; In contrarium autem insignem in dubiâ controversiâ nostrâ reperi locum Gal. lib. 2. de diff. febr. c. 6. ubi de febre epialâ ejusque causis agit & circa finem, quid alius quis non temerè de iis existimare possit, sibi quasi objicit his verbis: *Quispiam vero fortassis neque simpliciter neque à simplici causâ febres hujusmodi fieri arbitraretur, siquidem totum id, quod ex pituitâ putrescit, febrem accendit, reliquum verò quod nondum putrescit, cujus causâ rigescunt, non eandem habet cum putrescente qualitatem: Si igitur ab hac quidem rigor, à putrescente vero febris generatur, duplex semper aderit causa. Contingit verò & hic febrem quidem ab altero causæ genere dicere fieri; rigorem verò utpote alium à febre, ab altera, ut qui non sit, quod febris.* Hactenus Galenus, quem Tu nihilominus addis,

nus-

nuſquam non urgere duce experientiâ, febrem præſertim intermittentem incipere à rigore, non poſt rigorem. Hoc ego nuſquam legi: *febris intermittens incipit à rigore, non poſt rigorem*; Si vis credam, quamdiu non invenio expreſſa Autoris verba, transſcribe aut certum locum nota. Fortaſſe autem poſterior paragraphus, tua commentatio eſt. Quod ſi ſic, abunde novi Galenum de intermittentibus ſic loqui ſæpius, ſed hoc caſu Galenum mitto, & ad commentatorem verto. Jam ante ex Celſo allegavi quod ait ille: *quædam febres incipiunt à frigore, quædam ab horrore*. Hoc quidem ſic circumſcribo: quædam febres poſt frigus; quædam poſt horrorem incipiunt; Nihil enim notum magis quam hoc ſenſu hanc particulam & Celſo & aliis uſurpari; Nec alium ſenſum habet, cum Galenus vel alius Græcus dicit, τὸν πυρετὸν διαλείποντα ἀπὸ τῦ ῥίγυς ἄρχεσθαι. In hanc enim ſententiam Celſus quoque l. 3. c. 12. *Horror (inquit) eas ferè febres antecedit, quæ certum habent circuitum & ex toto remittunt.* Si horror illas febres antecedit, ergo febres illæ incipiunt, & ſequuntur poſt horrorem h. e. rigorem, ut poſterioris ævi Autores Latini τὸ ῥῖγος Hippocrates reddunt, quod Celſus ſemper per horrorem vertit.

Τὸ

Τὸ ἀπὸ igitur in hâc phrasi notat *post*. Quod Abensina in contrarium nostræ sententiæ scripsit, id levi brachio repello. Nullum enim ego Arabem in Medicinæ controversiis Magistrum agnosco, multo minus, cum quæritur, quid τῦ πυρετῦ nomine intelligendum propriè, & an eo nomine τὸ ῥῖγος vel ἡ φρίκη inclusum sit. Fortasse Arabes ita locuti sunt, ut utrumque uno nomine comprehenderint; Id vero non magis ad me, quam quod populus ita vulgo confundit.

Quod de φρικώδει πυρετῷ opponis, possum concedere; Si dicam enim Comœdiæ vel earum quidam actus hodie symphoniis interrumpuntur; Nemo ex his rectè inferet: Ergo symphoniæ sunt partes comœdiarum. Similiter nec horrorem partem esse febris dicere licebit, si constat in ipsius febris accessione etiam aliquando bis, ter, & sæpius horrorem incidere & repetere. Φρικώδης πυρετὸς, quod ad typum attinet ἡμιτριταῖος dicitur aliàs Hippocrati. De hoc Celsus lib. 3. c. 8. *Habet* (*inquit*) *plerumque frequentiores accessiones decessionesque, ut aliud morbi genus videri possit.* Hæ accessiones singulæ singulos habent horrores, etiam binos, & trinos quoque, quos Galenus ἀναδιπλώσεις vocat, sed ideò

hi

hi accessionum partes non sunt, neque etiam ad ipsam febrem ut partes pertinent, quæ in unâ periodo plures accessiones decessionesque habet. Non est tamen perpetuum, horrores ita repetere in accessione harum febrium, quæ utplurimum malignæ & petechiales sunt. Sæpius initiô horrorem semel præmittunt; deinde nullum ostendunt, præter urentem calorem; Si quando tamen repetunt, minus semper id faciunt, quò minus æger, vel minimum se in lecto movet. An Hippocrates φρικώδεις πυρετοὺς à primo horrore appellarit an à reduplicationibus ejus, in accessione, id ego ignoro; Quando tamen postremum adstruit Galenus, justâ de causa diffido, ut in totum nullam mereatur ille fidem vel assensum in omnibus quæ prolixè & confusè de πυρετῷ ἡμιτριταίῳ, de πυρετῷ τριταιοφυέι τρόπον παροξυνομένῳ & de πυρετῷ φρικώδει commentatur, quæ mihi simpliciter synonyma sunt. Fernelius & Capivaccius, quod à meâ stant sententiâ, eò laudandi sunt, quod Veteres Magistros, quos ego hic sequor, temerè non deserant, etiamsi subtiles magis forent quam utiles eorum conatus. Illorum argumenta, an veritate sua nitantur, nescio quia

quia non legi; Arbitrium Tibi defero, an mea, quæ sunt pro ead. sententiâ hucusque adducta, argumenta, veritatis saltem speciem præferant, si non ipsam illam inferant. Conciliationem tuam lubens admitto, modò doceas me quomodo & cujus primo consilio calor in augmento febris, impropriè febris appellandus sit; occultus v. in rigore; è contrario & propriè febris fiat, cum omnes Veteres illum pro verâ febre agnoscant; Hunc nemo febris partem esse, aut certè non sine dubio finit. Locus Hippocratis ex 6. Epid. libro nihil contra sententiam meam opponit. Saltem loco differre febrem & rigorem innuit; Sunt ergo separata illa; etiamsi causâ communi non differrent, quod tamen planum supra in contrarium feci. Quod si autem in febre contineretur rigor ut pars, quomodo intelligi posset, quod febris in inferiori ventre, rigor in superiori contineri dicitur? Quo in loco totum inest in eod. & pars est, quia pars continetur in toto; De computo quod objicis, id illo modo novum est, ad Veteres Autores hoc referri nequit. Ultimi argumenti tui, quod his verbis continetur: (*Tandem rigores continuarum febrium pro parte febrium in declinatione computantur*,

tur, quod passim Hippocrates innuit lib. 1. Epid. l. 3. l. 7. & alibi) non modo ἀκρίβειαν non video, sed ne sensum satis percipio, ideoque nec respondere commodè queam. De Celsi & Plinii Valeriani methodo, nec non loquendi modis, taceo: Si priora vera sunt, quæ attuli, supervacua erunt omnia, quamvis etiam benè de illis proponenda. Jam ad alia. Lienis exsectio nullâ me parte solicitat, quam nimia hæmorrhagia, quæ necesse est exhaurire animal, si venæ & arteriæ præcidantur omnes; Quod si in parte lienis relinquantur, ut agglutinentur, exsectio lienis dici nequit. Sed nihil *hic* serio ago, quia modum sive sistendi sanguinis s. lienis excidendi ignoro. Tentavit nuper coram imperitis nonnullis opus Agricola; me vel alium Anatomiæ modicè saltem gnarum ad αὐτοψίαν non invitavit. Post tres dies exspiravit animal, qui erat caniculus è venaticorum genere. De Illustri Burrho quæ narras, in memoriam revocant, quæ Henr. ab Heer de succo in vesicis ulmorum Mense Majo collecto obs. 4. scribit vulnera oculorum sanante, quod expertus primum in gallo Gallinaceo, deinde casu in puellâ maximâ ille cum admiratione est. De Burrho plurima

ma

ma audivi, non audeo interponere judicium conſcius vitii, quod in me eſt nimia judicandi libertas: Neque enim autoritate ego cujusquam vel tantillum moveor. Quæ procedente tempore reſciſces, datâ occaſione ſcribe: Credidi hactenus illius intima non niſi in poſteros poſſe propalari: Utiles medicamentorum formulas ſine dubio habet nonnullas, ſed illarum utilitatem in Illuſtris Magnificentiæ ſpeciem occultis artibus exornare & promovere videtur poſſe: Unam in eo notam limis adſpicio: contemnit Viros quosvis doctos: Principibus ſe immiſcet aliisque illuſtribus perſonis quamvis rudibus. Dn. Langio meo, quæſo Te, ſalutem meo nomine offeras, dicasque, nondum me mathematicas mittere cogitationes; Si vitam prorogabit divina Majeſtas, nova propalabo de altitudinibus Solis diverſo tempore heliolabio meo, hoc anno accuratè captis experimenta, & firmabo θέσιν; unus ſaltem in cœlis ineſt motus, ab ortu in occaſum; nullus in contrarium. Hactenus ordinem epiſtolæ tuæ ſecutus ſum; Jam quaſi ad novam digrediar, quæ eſt Sylvii disquiſitio. Prius tamen fateri debeo, non minimum me Tibi debere, cui acceptam illam refero, quam à plurimis Amicis fruſtra requiſivi. In ipsâ autem disquiſitione

P id

id primum demiror, non agnoſcere Clariſſ. Virum ſententiam ſuam, quam novam & ex ipsâ praxi petitam, à tritis autem creditisque opinionibus in multis diſcrepantem dicit, veterem jam eſſe, poſtquam eandem jam olim propugnarunt Eraſiſtratus & Chryſippus; Ex Galeno hoc apertum eſt; Is enim in comm. 1. in lib. 6. Epid. text. 29. poſtquam aſſeruit ex Hippocrate febris eſſentiam ſuperantem calorem eſſe, ſic ſtatim addit: *Neque enim arteriarum motu febrium eſſentia continetur: Hac in re namque quomodo Eraſiſtratus & Chryſippus hallucinati ſint, alias didiciſti.* Validis rationibus oppugnat hanc opinionem Celſus lib. 3. c. 6. rem vocans fallaciſſimam, venas, quibus credi debet, an febricitet aliquis, vel febre vacet: longior eſt, quam ut adſcribi queat locus; legi omnino meretur. Poſt hæc malè non naturalem pulſum & præternaturalem ſeparat, ut unum habeat pathognomonicum ſignum febris: Hic error multos inſedit, ſingulis morbis tale ſignum quæſituros. Raro vero vel nunquam uno ſigno abſolvitur παθόγνωσις: Sæpe plura conjungenda ut ſimus de affectu certi, quæ ſi juncta bene fuerint, oratio illa definitio eſt per quam ſolam noſcimus omnes morbos, & quicquam non per ſenſus, quaſi intento digito, nobis

bis commonstratur. Exemplum proponam de febre. Febrem definio Calorem præternaturalem: Hunc iterum clarè sic definio, ut omnis ille calor sit, qui innatum naturalemque sani corporis ita excedit, ut hominem offendat, actionesque aliquas vel plures corporis ejus lædat: Hac notione conceptus calor præternaturalis, etsi maximâ ex parte febris, imò proprium genus & essentia ejus sit, non tamen παθογνομονικὸν σημεῖον. Balneum enim ex. gr. movere paæternaturalem calorem potest, qui non est febris; Addo igitur intus succrescentis notionem. Hoc Celsus ex intimis præcordiis, & ex alto venire calorem vocat; Nondum restricta satis essentia febris hâc notione est; quia calor præternaturalis in inflammatione alicujus partis intus succrescit, nec febris est; Ideo addo: In toto corpore; Verum ne hâc notâ maxima pars febrium excludatur, quæ calorem non habent in toto, iterum addo: vel in maximâ ejus parte. Jam brevibus verbis absoluta constat febris definitio: Febris est calor præternaturalis, qui intus succrescens vel in toto corpore vel in maxima ejus parte est. Hoc παθογνομονικὸν febris; Quod si Sylvius vel alius exemplum sufficere febris poterit, cui hoc non qua-

drat, in culpâ ego & in vitio definitio; In æternum hoc non præstabit Sylvius. Contra vero Sylvii παθογνωμονικῷ ego exempla possum opponere, quibus facilè dignitate illud suâ excidet. Optassem sanè ut Sylvius cum omnibus discipulis quos ad praxin secum ducit, ut interroget, quid febris sit, adfuisset exemplo Puellæ quadrimæ, in vestrâ urbe, quæ cum destillationibus vexaretur succini pulvere suffiebatur; concidebat protinus in pavimentum. Sublata reclinabatur in mensâ: oculos habebat apertos, quasi videret adstantes omnes: interrogata nihil respondebat, neque intelligere se quicquam vel signo indicabat ullo: in motu non erat ulla abolitio, neque etiam contra προαίρεσιν ulla in parte advertebatur (motus), sine sensu tamen erat, ut eorum qui in somno se movent: In collo tantus jugularium arteriarum subsultus è longinquo videri poterat, ut metueres rupturas: Cor sub vestimentis videbatur similiter palpitare, imò & audiebatur: pulsus in carpo celer simul, & vehemens. Hæc aliquandiu perdurabant: Tandem redibant sensus ad naturalem statum, redibat & abibat puella, quasi nihil passa, nisi quod de lassitudine quereretur. De affectu si quæreretur, Sylvio ejusque Secta-

Sectatoribus dicendum necessariò fuisset, fuisse febrem, quia non tangi modo sed & videri poterat pulsus præter naturam frequentior hoc est secundum ipsius definitionem, qui ab errore externo in non naturalium rerum abusu commisso forsan ortus, conjunctam habet notabilem corporis molestiam doloremve, atque adeo functionis alicujus ad vitæ naturalis beatitudinem requisitæ labefactationem: Ergo febris fuit. Verum etsi quidem hic affectus minus notus multis sit, ex mille tamen Medicis vel Philosophis vel aliis, ne unus scio hic febrem nominasset, nisi forte Sylvius & Sylviani. Hippocrates vocat affectum ἱερὴν νοῦσον μετὰ παλμοῦ καὶ ἄσθματος: Celsus Comitialem dicit sine nervorum distentione. Senn. l. 2. p. 3. c. 4. malè ἀφωνίαν vocat, citatque Spigelium, qui benè quidem describit morbum, vetus autem nomen ignorat; Austriacis, Moravis & Syris Timorem appellari ait, quod non sine emphasi est. Nam ut iis, qui summè timent, Cor sæpe vibrat palpitatque, ut audiri possit nedum videri; Sic item illis qui hoc morbo corripi solent. Nusquam legi febrem dici, imo ne febrem cum hoc morbo implicari unquam. Ex his certitudinem Pathognomici Sylviani æstimes velim. Sexcenta

centa possem enumerare & stringere alia vitia, ab hoc uno errore derivata, supra capitale etiam unum, quod leges Medicinæ veteris fundamentales evertat Sylvius. Sed quid ad me? Saltem miror, cum nomina febris Græca, ut πυρετὸς, πῦρ, καῦσος, θερμωλὴ, θερμὴ, φλεγμασία, φλεγμονὴ, καῦμα &c. à calore addita sint omnia, nullum inveniri à pulsu, quandoquidem hæc essentia sit. Sed ad ea verto me, quæ fundamentum simul doctrinæ meæ & veteris Medicinæ quasi per cuniculos subvertere videntur velle. Ea sunt: *Quamvis plerisque febribus comes sit universi corporis calor auctus &c. quoniam tamen is nec omni nec soli nec semper convenit Febri, eundem pro inseparabili & pathognomonico ipsius signo neutiquam putamus habendum.* Sed quis quæso ita simpliciter calorem auctum pro signo febris habet? Quotquot ego legi s. veteres s. recentiores non omnino stupidos, addebant auctum eousque, ut lædat s. offendat. Fingit ergò Sylvius sibi Authores; quos suis deinde observationibus ipse confutet. Hinc ergò in scenam Maniacum adducit, cui calor auctus non febris fuit. Quis nescit verò, calorem naturalem augeri æstu, labore, somno, metu, sollicitudine, irâ, disputatione, altercatione, vino largiore, cibo

&

& potu, & mille aliis modis? Interdum etiam post hæc febricitat aliquis; Sæpius tamen calor auctus sine offensione remittit, & nemo est, qui febrem incuset. Potestne Sylvius omnes in Maniaco prædictas causas excludere, ut ne credamus, inde fuisse auctum calorem? Si potest, addere etiam debet, an offenderit ille calor, vel non. Si illud fuit, febris fuit; Sin hoc, nulla. Si non potuit certò satis advertere Sylvius, ut in alterutrum sententiâ definitivâ inclinaret, in dubio relinquendum illi aliisque fuit, febricitetne vel non Maniacus. Fatendum enim utique est, sæpius, initiô præsertim morborum, in plurimis obscurè διαγνωστικὰ signa apparere. In proposito de febre sermone exemplum sufficiam, in quo melius quam de Maniaco claret quod dicendum est. Curavi hic Elephantiacum, cui singulis diebus manè certâ horâ calor per totum corpus diffundebatur, non alio sensu, quam si per caput toto corpore calidâ aquâ perfunderetur, ut affirmabat; Interim nihilominus ambulabat, in vulgus exibat, edebat, bibebat & omnia ut sanus agebat, nullâ notabili in pulsu, in spiritu, in urinâ, interveniente mutatione; Saltem pruritus cum calore augebatur, ut continere ungues à tumo-

ribus, & ulceribus parvis nequiret, unde ater ſanguis dimanabat per crura; Semper quidem verò pruriebat illi cutis, ſed exacerbatio ejus & tumefactio ſ. tumorum in majorem molem elevatio, duas vel tres ſummùm perdurabat horas. Dubitare hic aliquis de febre poſſet, quia calor auctus adeò non offendebat. Sed quoniam ex aliorum obſervationibus novi, ubi vetus hic morbus eſt, febriculam oriri, cur non ſuſpicer initium febriculæ calorem auctum fuiſſe, quem cum ipſo morbo diſcuſſi, antequam reſcivi, quid ſine medicinâ potuiſſet exinde ſubnaſci. Similiter Melancholicis cùm tempore tardè & initio obſcurè accedunt febriculæ: Quis negabit Maniaco uni vel alteri idem poſſe obvenire, ut ne initium febris calor auctus etiam ſit, ſi non eſt febricula. Hæc primo Sylvii argumento & exemplo ſint oppoſita, ut ſoli febri competat calor præternaturalis auctus, quod temerè inficiari ille auſus fuit. Alter ipſius Elenchus eſt: *Non omni febri conjungitur calor auctus, cum nonnunquam occurrant & ſuo & adſtantium & ipſorum Medicorum calculo febricitantes, quales etiam hic in Noſocomio habuimus & examinandos ſtitimus Medicinæ Studioſis, in quibus nunquam, ne quidem per aliquot ſeptimanas*

manas imò menses, observatus est in ullâ corporis parte, nedum universo corpore, auctus calor vel ab ipsis ægris vel à Nobis aliisque Medicis vel adstantibus cæteris, sed contra frigus perseverans (sine dubio ῥίγος hic vult) *ægrisque valde molestum & adstantibus omni tempore manifestum.* Hic ego nihil desidero, quam quod Ægri & Adstantes, & Medici, & Sylvius ignorarint, quid sit ῥίγος ἀνεκθέρμαντον Hippocratis, & ῥίγος χωρὶς πυρετȢ. Galeni Hippocrates lib. 1. de morb. scripsit, ῥίγος ἢν λάβῃ, πῦρ ἐπιλαμβάνειν ἀνάγκη. Galenus cum propria simul & aliorum quoque observatione didicisset, horrorem (ῥίγος) aliquando invadere, nullo subsequente calore, (cujusmodi ego exemplum in Odontalgico vidi) necessitatem illam sic sustulit, ut modestâ simul & probabili ratione non uno in loco Hippocratem excusarit. Ab eo tempore nemo facilè, præsertim verò, qui alios falsitatis arguere satagit, sine παρορά..τος nota ignorare potest, incidere id aliquando, ut solo rigore aliquamdiu sinè subsequente calore affecti deprehendantur; Ne quid novi verò aliquis Sylvium observasse putet, cum dicit, per aliquot septimanas imò menses perseverans frigus perstitisse, sciri debet, etiam Galenum sic aliosque vidisse. Ita enim ille de sympt. causis l. 2. c. 4. *Quippe,*

 in-

inquit, *non nobis modò ſed etiam multis medicis, qui nos præceſſerunt, jam viſi concutientes rigores ſunt ſine febre, non tamen ita validi ac qui legitimas tertianas quartanaſve præcedunt aut qui ardentes febres finiunt.* Hæc Galenus de modo; de tempore, lib. 2. de diff. febr. 2. c. 5. ita ſcriptum reliquit: *Eſt autem hic ſine febre rigor, qui nonnullis quidem accidit ſemel, nonnullis autem per vices interpolans multorum dierum ſpatio vel à principio uſque ad finem continuatur.* Hæc ſi legiſſet Sylvius, rectius ſine dubio de obſervationibus ſuis & ipſâ veritate ſtatuiſſet. Neque cauſam video, ſi legiſſet, cur ſine cauſâ contra Veteres Artis & elocutionis Magiſtros, febrem appellaſſet, quod ῥῖγος χωρὶς πυρετοῦ & ῥῖγος ἀνεκθέρμαντον illi cenſuerunt appellandum; Et viciſſim cur febrem eâ notione excludat, quâ illi incluſerunt primò. Ad tertium Sylvii argumentum venio, &, quod contra alium quendam de aſſumptis medicamentis juvantibus & nocentibus urget ut ἀλλότριον, ſtudio prætereo; *Non ſemper verò,* inquit, *febribus adeſt comes calor, cum circa intermittentium initia plerumque & diu & graviter affligat ægros, ut in ipſo ſolo Vulgus totam febrem conſtituat.* Non auſus fuiſſem de Sylvio queri, ita ſemper agen-

dum

dum mihi cum eo eſſe, quaſi τῶν τυχόντων ἑνὶ, niſi ipſe ſe hic immiſcuiſſet vulgo, cui ipſe ὁμόψηφος. Scio vulgum, cum videt aliquem rigore vel horrore corripi, ita loqui: *He krigt dat Feber.* Sed aliter Hippocrates lib. 1. Epid. ægr. 4. Φιλῖνα (inquit) γυναῖκα πῦρ ἔλαβε μετὰ ῥίγεος, &c. τῇ ὀγδοῇ, ἐπεῤῥίγωσε, πυρετὸς ὀξύς. Ægroto 11. ibid. Δρομεάδεω γυναῖκα ῥίγος ἔλαβε, πυρετὸς ὀλύς. &c. Τῇ τρίτῃ περὶ μέσον ἡμέρης ἐπεῤῥίγωσε, πυρετὸς ὀξύς. Et libr. 3. epid. ægr. 12. Τῇ δευτέρῃ, σμικρὰ ἐπεῤῥίγωσε, πυρετὸς ὀξύς. Et lib. 1. de morbis ῥίγος ἢν λάβῃ, πυρετὸς ἐπιλαμβάνει. In ſumma, ubicunque Hippocrates ῥιγοπυρέτου meminit, rigorem à calore diſtinguit, illum ſuo, hunc febris nomine diſertè exprimens. Non aliter Galenus plurimis in locis; Non aliter uſquam Celſus: Inter alia & præter ea, quæ jam ex eo autore allegavi lib. 3. cap. 11. *Solet*, inquit, *etiam ante febres eſſe frigus.* cap. 12. *Horror autem eas ferè febres antecedit, quæ certum habent circuitum, &c.* Qnomodo, quæſo, frigus ante febrem eſſe, aut horror antecedere febrem poteſt, ſi hic vel illud febris pars exiſtimetur eſſe? Sed quid quid dicam plura? Rem in bivio eſſe ſatis patet, modo pateret qua divertendum ſit, huc

huc ſcilicet cum Ducibus Hippocrate, Galeno, Celſo? an illuc vero per novas ambages cum Sylvio? Cæterum ubi cauſa Veteres deſerendi nulla movet, illis Ducibus malo adhæreſcere. Quæ ſuperſunt in Sylvii diſquiſitione de motu cordis, de controverſiâ, quam inter Harveum & Carteſium examinat, de pulſu cæteriſque aliis, ad ea nihil, quam quod optarem & novam de febribus doctrinam typis expreſſam poſſem communicare tecum aliiſque bonis, utque ex oppoſitione, de Sylvii & aliorum litigioſis placitis, meâ verò ſimplici facilitate, eò melius poſſet judicari. Tractatum de febribus meum unâ cum Schediaſmate de Flammulâ cordis luci edendum per Amicum abhinc Amſtelodamum miſi: Commendavit is Dn. Doct. Bonaventuræ Dortmond, Conſularis Viri Joh. Bleau Genero opus, qui datis ad me literis promiſit, procuraturum ſe, ut typis imprimatur; Sed tardè adeo procedit impreſſio, ut poſt ſemeſtre ſpatium neſciam, an manum operi admoverit Typotheta. Occaſio illa, quam Amicus hic inſperatò offerebat libellos meos Amſtelodamum transferendi, fecit, ut promiſſis ſtare non potuerim, quibus ſpem feci ſcriptum, ſi non impreſſum, me Tibi transmiſſu-

missurum esse de flammulâ cordis schediasma, quod utique vellem legisses, ut scirem, an sustinere censuram & exspectationem possit. Sed nisi, bibliopolam agere me non posse, exemplariumque distractionem apud me tardari longius, prævidissem, propriis voluissem sumptibus Opusculum in lucem edere. Retardavit quoque impressionem Amstelodami, quam interim per literas urgere non potui, morbus, qui me graviter detinuit, malignus. Cum primum sentirem δὺσχερέστειαν, commodâ medicinâ ita impugnabam, ut per novem dies, quibus superesse etiam negotiis potui, non magnam exserere vim potuerit; Decimo, undecimo, & duodecimo à potestate mentis exieram; Post paucos dies iterum erigebar in pedes, & jam nunc plenè & benè per Dei gratiam convalui, cui & te, ut optime semper cum omnibus Tuis valeas, & diu Medicinæ commodis supersis, ex animo commendo. Vale Vir Excellentissime, Præceptor optime, & quam diu vivis me ama. Scribebam Tönningæ anno 1662. Calendis Decemb.

Nobiliss. Excellentiæ T.
omni observantia studioque
addictiss.

Jac. Holste.

P. S.

P. S. Scripsi hactenus Vir Excellent. hæc forma Epistolari, contra leges epistolæ h. e. longius. Culpa in animo est, qui studuit expectationi satisfacere & placere, nec potuit satis addere; Veniam dabit Humanitas tua; Interim etsi contra leges epistolæ scripserim, nolim tamen contra modestiam tuique observantiam quicquam esset scriptum, imò ne verbulum; Si quod tamen per imprudentiam excidisset, dum argumentis & elenchis tuis doctissimis simul & acutissimis me obtusis rationibus meis oppono (quod tamen jussisti,) deprecor culpam, & veniam à connata tibi Humanitate peto. Fidem veniæ dabit manus tua, cum videro quamprimum nec recusare maturum responsum; Interim iterum *vale* Vir Excell. Nobiliss. & me ama.

EPISTOLA XLVII.

De Rigore febrili ejusque causa.

JACOBO HOLSTIO Tonningam.

CAlidi amoris signum est, & ignei ingenii documentum, quod in ignea febris essentia probanda pro veterum authoritate tam fervidè & acutè nuper in arenam descenderis. Quanquam verò pauci

ci ſint in *Coi* ejusque ſucceſſorum ſcriptis verſati, qui id negare poſſint, recentiorum tamen conſenſum tantorum authorum teſtimoniis vix impetramus, qui, veteribus neglectis, novas in Medicina hypotheſes duce experientia conantur condere. Ego quidem in veterum libris invenio, quæ me in venerationem antiquitatis perducunt, haud facilè deſerendæ; recentiorum verò inventa vel placita rejicienda non puto, quibus veteres vel illuſtrantur vel corriguntur. Illorum authoritati aſſurgo, ſed horum felicitatem laudo & induſtriam, quod ſeculum noſtrum non obmuteſcat. De febribus in præſenti erit ſermo, quarum in calore eſſentiam conſiſtere negant magni nominis Medici quidam, qui ſeculum noſtrum aliis inventis pulcherrimis ditarunt. Inter quos eminent & ſcientia medica & amicitia mihi colendi, *Johannes Walæus* & *Franciſcus Sylvius*. Utriusque rationes & ſententias impugnas, veterum amore, quos illi quidem in hoc negotio deſeruerunt. Pro *Walæo* defuncto nonnihil tentavi in Epiſtola ad Te ſcripta, pro ſe *Sylvius* reſpondeat, qui etiamnum inter vivos magnam gloriam meretur, utinam diutiſſimè. *Walæi* tamen ſententiam non eo animo defendi, ut Tibi aliisque credendi authoritate quadam Magiſtrali

giſtrali præirem, ſed ut vires ingenii, Præceptori addictiſſimus, experirer, Tibique occaſionem præberem rem hanc accuratius expendendi, qui in iſto de febribus argumento laudabili diligentia verſaris, & acutum vides. *Walæi* igitur dogma argumentis nonnullis ex veterum Medicorum penu depromptis fulcire volui, juſto pietatis exemplo. Et ut beatis ejus manibus benè precari debeo, ita & opinionibus, quantum veritas permiſerit. Sunt enim ingeniorum fœtus, quos etiam parentum cauſa amamus, ſi non degenerent: Præceptorum quoque poſteros eo loco quo germanos fratres apud me fore, *Hippocrati* in jureiurando promiſi, quorum cohortem ſtipatam eſſe oportet. Age igitur, mi Holſti, meque præceptoris *Walæi* partes ſublevantem placidè excipe. Si cauſa cecidero, ſcias alienam fuiſſe, non meam. Ad duo momenta reducuntur, quæ hac epiſtola tecum diſceptabo. Unum eſt, an rigor vel horror febrilis, febris pars ſit; alterum, cauſa rigoris frigidane ſit an calida. Calorem ex eſſentia febris excluſurus *Walæus* ingenioſus, rigorem & horrorem pro rei argumento adduxit, quem ipſam febrem eſſe contendit. Ego magni Viri ſententiam veterum authoritate firmatam ſcio, nec ratione deſtitutam. Partem febris

bris esse rigorem *Celsus*, quem familiarem habes, manifestè indicat l. 3. c. 3. de quotidianis: *aliæ protinus à calore incipiunt, aliæ à frigore, aliæ ab horrore.* Initium certè rei, pars est ipsius. Initium anni, anni pars est; initium vitæ & exordium nativitatis inter ætatis partes numeratur. Sic morbi initium, pro morbo incipiente sumitur. Calor certè febrilis, à quo febrium paroxysmi oriuntur, febris particula est, & sicut calor febrilis initium est febrium, ita & frigus & horror febrilis inter eadem febrium initia à *Celso* recensetur. Igitur si initium rei, ejusdem est pars; rigor quoque febrilis, à quo initium sumit febris, ejusdem pars censenda. Estque rigor, à quo initium habent febres, sicut exordium concionis seu orationis sacræ, ut simili tuo utar ad verum sensum converso, ad universam orationem. Nemo negabit, exordium orationis, ejusdem esse partem. Ita accessionem febrilem, cujus pars est rigor, horror, frigus, &c. partem febris esse, inficiari non potes, quæ magnam nonnunquam periodi febrilis partem implet. In hæmitritæo enim fere sex & triginta horæ per accessionem occupantur, fatente *Celso* l. 3. c. 3. Negotium hic nobis facessit *Horatius Augenius* lib. 6. Epist. Med. ubi contra *Altimarum* disputat,

tat, rigorem, qui antecedit febrem, non esse principium febris, sed solius accessionis, differreque duo hæc inter se, febrem & accessionem. Differre inter se largiri possum, sed ut pars à toto. Alioqui magnam febris partem accessio occupat, sicut *Celsus* docuit. Rigor autem si accessionis est principium, certè erit & febris principium, siquidem accessio ipsius febris pars est magna, sicut & declinatio, cujus pars, febris quoque pars dicenda. Sed videamus *Augenii* rationes, quibus motus rigorem principium febris esse pernegat.

I. Principium febris est, cum calor igneus est accensus in corde. Atqui, dum ægroti rigent in febribus intermittentibus, nondum calor est accensus in corde. Ergò dum rigent ægroti, non adest febris principium. R. ad minorem. Calorem in rigore esse accensum in corde pulsus indicat, sitis, urinæ mutatæ, &c. Rigor enim, ex sententia veterum, non impedit quo minus calor in corde sit, quo copiosius confluit extremas partes deserendo. Deinde in principio febris, calor in corde istum ignei æstus gradum non acquisivit, qualis in augmento observatur, idcirco tamen febris pars accessio esse non desinit.

II. Febris

II. Febris eſt calida totius corporis intemperies: At, dum rigor adeſt, corpus non calidam ſed frigidam intemperiem habet. Ergò dum riget, non febricitat. R. Frigiditas exteriorum partium, vel rigor muſculorum, non impedit, quò minus calida intemperies principem corporis partem, cor ſcilicet, invadat, unde febris nomen eſſentiamque mutuatur. Dum igitur riget, non febricitat in illa parte, ſi veterum dogmati inſiſtamus; at aliter reſpondendum ex hypotheſi Walæana.

III. Febris, ut febris, calor eſt p. n. toti corpori communicatus. At dum adeſt rigor, nondum hic calor per totum corpus transmiſſus eſt. Ergò rigoris tempore febris non adeſt. R. *Galenus* ſolvit hunc nodum loco à Te lecto: febris enim eſſentiam ille ponit in calore præternaturali maximè quidem in totum animal effuſo; ſin minus, in plurimis partibus, vel in nobiliſſimis accenſo. Quanquam ex hypotheſi Walæana, calor in febre per corpus diffuſus effectum potius ſit febris, quam febris eſſentia.

IV. Dum ægroti rigent, tempus non eſt cibum exhibendi, quia, inquit *Galenus* l. 3. Acut. indicat futuram febrem. Ergò rigente ægroto ante febrem, febris non adeſt. R. Prorſus vera eſt concluſio. Si

enim ante febrem rigor adſit, febris nondum aderit. At plus in concluſione eſt, quam fuit in præmiſſis. Futura illa febris apud *Galenum* eſt intelligenda de manifeſto calore, qui demum ſentitur poſtquam rigor diſcuſſus fuerit. Non negat tamen rigentes ægrotare. Si ægrotant, febre laborabunt, nam de aliorum morborum rigore non loquimur, nec *Galenus* ibidem. Rigore vigente à cibo libenter adſtinent febricitantes, quia motu illo vehementi & moleſto impediuntur. Potum tamen avidè appetunt, quia æſtuant febrili calore interiora viſcera.

V. Gal. de inæq. intemp. & l. de *diff.* Feb. epialam & lypiriam conſtare docet duplici intemperie inæquali, una frigida, qua rigent, alia calida, qua ægroti febricitabant. R. Febris hæc lypiria hypotheſin, de qua ſerram controverſiæ ducimus, validè roborat, ex quacunque cauſa rigorem deducamus. Duplex enim illa intemperies, qua rigent ægri & calent, unam febrem conſtituit, & æquè nomenclatura febris rigenti ac calenti competit, parsque febris rigor dicitur. Plura pro ſententia ſua non urget *Augenius*, quæ hypotheſin hanc infringant. Subtilis enim magis quam verus mihi videtur, quando rigoris tempore febrem antecedentis, non

adeſſe

adesse febrem sed dispositionem ad febrem scribit. Dispositio ista prius in corpore fuit quam rigor invaserit, à causis procatarcticis, vel antecedentibus, quas enumerat *Galenus* l. 1. de diff. febr. cap. 3. Rigoris autem tempore revera febris adesse principium, ex *Celso* probavimus, qui initium febres habere docuit à rigore, horrore &c. principium autem rei, rei partem esse, nulli dubitamus. Unitatem enim, quæ principium est denarii, partem denarii esse, in confesso est. Atrium quoque ædium esse partem, tam certum est, ut negari non possit. Veteribus inauditum id non esse, quod de rigore dixi, præter *Celsi* testimonium, alia authorum nostrorum loca contra Te evincunt, eaque Medicorum Principum. Ab ipso *Hippocrate* ordiamur. Is in Epidemiorum libris rigorem in febribus acutis cum ipsa febre computat ferè ubique; l. 1. Epid. f. 2. stat. 3. quodsi qui vegesimo novo insuper rigore corriperentur, iis quadragesimo die morbus decrevit. Plerique autem omnes sub primam judicationem denuo rigebant. Quin etiam quidam per exordia sub judicium ipsum novo rigore correpti, adhuc in ipsis morborum reversionibus una cum judicatione riguerunt. Vere autem rigebant omninò pauci, æstate plures, per au-

autumnum adhuc plures, ſub hyemem longè plurimi. In ſectionibus ſequentibus alia hujus computi exempla occurrunt, quæ non vacat hic repetere. Æger decimus libr. 3. ſ. 3. inſtar omnium ſit, qui forte hæc meditanti ad manus erat. Huic Nicodemo primo die febris oborta, cum ſtomachi faſtidio, ſiti, lingua exuſta, urinis nigris. Poſtridie demum cum horrore invaſit. Tertio imminuta erant omnia. Quarto iterum rigor cœpit cum febre magna. Idem horror circa veſperam vigeſimi. Rigores febriles in hoc ſæpius reccurrerunt, inprimis diebus paribus, & tamen judicatus dicitur, quod valdè rarum. Utplurimum enim cæteri, quibus rigor die pari exortus memoratur, interierunt. Quia ex eodem *Hippocrate* exacerbationes diebus paribus malæ ſunt. Igitur de rigore aliter ſentire non poſſumus, quam, ex Hippocratica doctrina, febris partem eſſe, quia cum febre, in febre oritur & exacerbatur, & iisdem cum febre diebus computatur. Nec præcedit febris, quia in exacerbationibus, in declinationibus febrium obſervatur laudato *Hippocrati*. Nullo jure rigorem intermittentium diſtinguimus ab illo, quem acutæ febres habent. *Hippocrates* Coac. Prænot. 26. utriusque eandem conditionem ponit. Cauſa quoque

que eadem, acris nempe vapor interna viſcera arrodens, ſive ille à venenata qualitate, ut in malignis, ſive à bilioſa, ut in tertianis, &c. elevetur. Malignæ idcircò febres, à rigore quoque incipiunt, & intermittentes mentiuntur, primo, ſecundo, tertio, quarto, octavo diebus repetentes cum rigore & frigore, quale exemplum in Pythione recitat *Hippocrates* l. 3. Epid ſ. 3. ægr. 3. Expende quæſo, mi *Holſti*, & tecum delibera, an rigor, in his febribus eo modo repetens, febrium partibus annumerari non debeat. Invadit enim cum febre, febre manente, febremque & comitatur, & ei ſupervenit. Duo illuſtres in hujus rei confirmationem *Aphorismi* extant ſect. 4. Aph. 46. & 58. in illo rigor invadit febre non intermittente, vel, quod *Valleſius* addit, non magnopere ſublata; in hoc cauſo ſupervenit cum morbi ſolutione. Vides rigores & in principio & declinatione febrium, febribus cohærere ut partes, ſiquidem omnibus febrium temporibus adſunt, nec minus principium & declinatio partes febrium ſunt quam incrementum & ſtatus. De *Galeno* tanto parcior ero, quantum ille loquacior. Teſtatur verò is l. de Tremore cap. 7. apud veteres Medicos receptum fuiſſe, febrim comitari neceſſariò rigores. Et l. 5. de

ſympt. Cauſ. c. 5. rigores ſemper febrim ſequi, ut vetus ſermo erat, verum ex omni parte eſſe negat. Quippe non ſolum ſibi, ſed compluribus quoque ante eum Medicis, viſum rigorem ſine febre, non tamen adeò validum, ut is qui vel tertianam vel quartanam præcedit, vel is quoque qui & ardentes & calidas febres finire poteſt. Ne Te ſuſpenſum teneat liber hic quintus; quem in tuo exemplari non inveniſti: ſcias me ſequutum editionem Galeni Lugdunenſ. apud Beringos fratres M. D. XLVII. in forma portatili, in qua De Morborum & ſymptomatum differentiis & cauſis libri ſex uno titulo conjunguntur *Guilielmo Copo* Baſilienſi interprete. Eo loco rigorem ſine febre vidit contra veteres Medicos *Galenus*, quia à prava victus ratione originem ducit, in qua veteres non aberrarunt. Nobis autem de rigore ſermo eſt, qui febrilis eſt, quemque notat diligenter ibidem *Galenus* vel præcedere tertianam quartanamque, vel ardentes finire; ut teſtetur tam illum eſſe febris partem, à quo incipit febris, quam hunc, in quem deſinit. De Diſſenſu *Galeni* ratione cauſæ diverſæ, poſt paulò dicturi ſumus. Adhuc in ſententia perſiſto, ex veterum monumentis, febrem intermittentem *incipere à rigore* ſeu horrore, quo modo *Celſus* ſupra loquutus eſt, adeoque *poſt rigorem*
non

non incipere. Ille enim qui præcedit, eodem tempore circa idem, ſequi non poteſt. Conſentit meæ loquutioni *Galenus* l. 1. de Cur. Febr. ad Glaucon. c. 5. ubi febres tertianæ dicuntur incipere μετὰ *cum* vehementi rigore, ut videas quomodo ἀπὸ explicari debeat, quum μετὰ temporis paritatem denotet, ſicut & latina particula *à* qua uſus eſt *Celſus* h. l. Ita quoque l. 2. c. 8. ſputum à ſeptimo die cœpit, ſive cum ſeptimo, quia ſequitur, & ultra ſeptimum manſit. Non diffiteor tamen in frequenti eſſe uſu apud *Celſum*, particulam *à*, adhiberi pro *poſt*. E. g. l. 3. c. 27. ab exercitatione, hoc eſt, poſt exercitationem, & paſſim alibi. Quo minus verò hoc loco id credam, pronuper dixi. *Galenus* alibi l. 1. Comm. in Epid. Com. 3. febrem *cum* horrore venientem à bilioſo & pituitoſo proficiſci docet. Si excutiamus cæteros Medicinæ proceres, pro rigore confectum erit negotium. Apertè *Trallianus* l. 12. c. 2. Cæterum generatim *comitatur* eas (febres putridas) id quod nulli aliarum febrium *adeſt*, ut rigor, aut horror, aut frigus ſuperveniat, præcipuè intermittentibus. De epigeneſi hic loquitur, exemplo *Hippocratis* 4. Aph. 58. Alia Medicorum loca in priori Epiſtola ſignavi. Apud *Paulum Æginetam* & *Myrepſum* rigores cum

febrium acceſſionibus computantur in curatione, quæ & hic & ibi eadem. Ille *Paulus* l. 2. R. Med. c. 46. in rigore curando, ante febris acceſſionem aquam multam bibendam dat, in qua piper & ruta ſint incocta. Ubi rigoris tempora cum febri, in acceſſione confunduntur. Ante enim utriusque acceſſionem exhibendum medicamentum. Hic *Nicolaus* ſ 1. de Antid. c. 28. ad rigorem antidotum ex caryophyllis &c. terra Samia dari jubet ante invaſionis horam. Et c. 339. antidotum è ſulphure ad rigores febrium duabus ante acceſſionem horis exhibet. Ubi acceſſionis horæ & rigorem ut febris partem includunt. Idem c. 228. panaceam antidotum & rigori & febri præſcribit, uti & Antidotum ex Aſaro c. 246. Cur ergo excludi debeat rigor frigusve à febrili nomenclatura & civitate, non video prægnantem cauſam, ſiquidem temporibus febrium annumeratur, & in curatione ejusdem ratio habetur, tanquam febrilis particulæ. Addidi & rationem à cauſa deſumptam, quam eandem eſſe utrique ex veterum monumentis ſuſpicatus ſum, eamque calidam, nempe bilem, vel quamcunque rem acrimonia, quæ cum calore paria faciat, muſculis viſceribusque moleſtam. Diſputat pro hac theſi *Galenus* l. de Tremore c. 7. ubi rigorem

rem frigidum esse affectum concedit, sed neutiquam à causa efficiente frigida. Probat id variis argumentis. Tertianæ enim exquisitæ, si quid aliud, certè rigor adest: etsi febrim hanc nemo vel insanus ex frigido constitui humore dixerit. Causos enim est genere, tantò altero causo continuo inferior, quantò calor febris & flammeus & perurens deficit. Sitis autem indelebilis, & refrigerii desiderium, bilis meræ vomitus, & quod post hunc æger melius habet, quomodo non sint omnia manifestè ob calorem redundantem? Quomodo igitur rigent in tertianis, quomodo in causis, hoc est, ardentibus febribus continuis, si non intermittentes, sed perpetuo urentes affligunt, rigor supervenit, & febrem per crisin solvit? Si enim qui causo affligitur, ait *Hippocrates*, si rigor supervenerit, morbus solvitur. Imò acre & calidum medicamentum ulceri admotum, primum sanè dolorem infert, mox horrorem, deinde rigorem excitat. Ac multos novimus tum riguisse, tum febricitasse, ob ulcera ab acribus medicamentis irritata. Jam etiam inflammationem, cum in abscessum mutatur, rigorem horroremque comitari necesse est. Morbi ex flava bile rigorem habent, ex *Platone* & *Hippocrate*. Repetit nonnulla alibi, & ob flavam bilem, quæ

quæ per membra ſentientia ocyus feratur, fieri rigorem. *Comm.* 4. *Aph.* 58. docet, quamobrem ſcilicet & alvi fiat ſolutio, & ſudores ac vomitus bilioſi superveniant. Locus illuſtris eſt l. 1. in *Epid. Com.* 3. Oſtendimus, inquit, à bilioſo & pituitoſo ſucco febrem cum horrore venientem proficiſci: eam verò, quæ caret horrore, à bilioſo quidem, ſed lentiore, & concoctu difficiliore, quam ferunt eſſe principum partium inflammationem. At quæ cum rigore invadunt quidem, cæterum ad integritatem cum bilioſis vomitionibus, aut dejectionibus, aut ſudoribus veniunt, harum eſt cauſa totum corpus permeans flava bilis. Jugulum tuum petunt diſerta ejusdem *Galeni* verba l. 2. de *diff. Febr.* c. 6. de tertiana, quæ præteris cum mihi cætera de epiala opponis. De febre epiala differit, rigorem fieri à pituita non putreſcente, febrem verò à putreſcente, adeoque diverſam in hac febre eſſe utriusque cauſam: At *in tertiana flavam bilem efficere & rigorem & febrem*. Quomodo autem bilis rigorem efficiat docet *l. de Trem.* cap. 7. nempe quod mordax ſit & vehementer agitata, unde utrique cauſarum generi adſcribit rigorem, & quæ frigidæ & quæ calidæ facultatis exiſtit, ut corpus dolorificè moveat.

Ita

Ita incertus esse incipit, & frigus quoque admittit, quatenus pungit. Primas tamen & hic calori partes tribuit. Quod multis rationibus ostendit l. 2. *de Sympt. Caus.* c. 5. sive l. 5. c. 5. editionis Beringorum. 1. Si sano corpori ferventem aquam subitò infundas, aut ignis scintillas incutias, statim horrore vexabitur. 2. Cum ulceratæ particulæ causticum medicamentum imponitur, primum quidem horrent, deinde rigent, mox etiam febricitant nonnulli. 3. Quid quod tertianæ febres, quæ omnium febrium maximè biliosæ calidæque sunt, omnium maximè horrore infestantur, quantoque sinceriores tertianæ sunt, tanto etiam rigor in iis incidit vehementior. 4. Etiam eum, qui ardenti febre laborat, rigor superveniens à morbo liberat, *Hippocrates* ait, quando scilicet bilis, quæ prius in venis errabat, à natura decretoriè per carnes ad cutem trahitur. 5. Quin etiam sudant deinde qui ita obriguerunt, vacuataque iis bile, a febre liberantur. Interim verò ubi non ad cutem, sed ad interna loca bilis impetum capessit, per vomitiones simul & alvum vacuatur. Fortius ibidem à contrario probat frigus non esse causam rigoris febrilis, eosque falli pronunciat quicunque rigorem profligandæ ardentis febris salubrem esse causam propter frigus pu-

putant: Si enim id verum esset, liceret ipsis rigorem excitare, partim frigida aqua inspersa vel affusa, partim ægro ipso nudo in frigidum aërem delato, aut in frigidæ aquæ labrum demisso; deinde si per mutationem ad contrarium habitum, iis qui in ardenti febre obriguerant, solutio accidit morbi, debebant post rigorem febricitare desistere quod tamen non faciunt, gravius enim post rigorem urgentur, quam ante. Quanquam igitur subinde inconstans sibi videatur in hoc negotio *Galenus*, in plerisque tamen locis pro calore pugnat. In *Comm.* ad 6. *Epid.* observavit omnes Cacochymos, cum repente incalescunt, inhorrescere. Quam sententiam quotidiana experientia firmat *Ballonius* l. 1. Consil. 110. nam si quis pravis scatens excrementis in sole versetur, statim inde redibit inhorrescens. Sic calor febrilis dum agitat humores putres idem præstat quod & solis calor. Inducit enim rigores & horrores, nam humores corrupti incalefacti seipsis acriores fiunt, moventur & ita lancinant & feriunt membranas. Bilis igitur rigoris febrilis causa est efficiens, sive ratione acrimoniæ sive caloris, sive utriusque, quod adeò verum visum recentioribus, ut *Mercatus* l. 6. de Febr. febris & rigoris materiam diver-
sam

ſam quidem ſtatuat, non ratione frigiditatis, ſed tenuitatis, hanc enim, quia acris & mordax, cito moveri & ad muſculos protrudi, illum craſſiorem intus manere, quæ accendi poteſt in febribus: *Mercurialis* verò l. 5. de Febr. c. 8. rigorem immediatè effici neque à calida neque frigida cauſa, ſed à copia humorum acrium vel vaporum velociter motorum: mediatam verò rigoris cauſam poſſe eſſe caliditatem & frigiditatem, eo quod humores mordaces, & qui impetu feruntur, poſſunt eſſe tum frigidi, tum calidi. Quod tamen ego non aſſequor, frigida enim materia æquè promptè moveri non poteſt. In quo conſentientem habeo *Galenum* l. 5. de Sympt. Cauſ. c. 5. qui Rigorem ob frigidos ſuccos unquam excitari pernegat. Principio enim ob craſſitudinem vehementer moveri non poſſunt, quod ſi aliquando extenuentur, rigorem quidem excitabunt, ſed non ita validum. Quippe non tantam admittit ſubtilitatem extenuata pituita, quantam extenuata flava bilis. Nec tantum unquam in corpore vivente, præſertim ad febrem diſpoſito, frigus actuale fuit, ut rigorem excitare potuerit, aut horrorem, niſi horror per totum morbi curſum perpetuus eſſe debeat, & ſanguis omnis refrigeratus, qualem purulentum in venis

venis Dominæ de Chalmontio obſervavit cum horrore perpetuo, laudatus nuper *Ballonius*. Similis horror ſine dubio mulierem illam febricitantem exercuit, cujus ſanguis actu frigidiſſimus, nivis vel glaciei frigiditatem æmulabatur, notante *P. Pachequo* Obſ. 46. ad *Riverium*. Cæterum bilem ejusque acrimoniam incuſandam, ex anatome famuli Helvetici duplici tertiana & ſimplici Patavii defuncti videor mihi divinare. Veſica enim fellea, quia ubique obſtructa obſervabatur, inprimis obſtructis meatibus, qui per ſubſtantiam jecoris diſperſi bilem ad veſicam deducunt, bilem calidum ſuccum in corpore reſtitantem & febris & rigoris cauſam fuiſſe vero ſit ſimile. Videatur *Spigelius* l. 1. de ſemitert. c. 15. qui venas Portæ pro fomite hic agnoſcit. Frigus qui pro rigore febrili inducunt, variè ſe torquent, in rigoris modo probando, quod ex locis Hippocraticis liquet, à Te adductis. Liber de Flatibus, quanquam *Hippocrati* etiam à *Celſo* l. 1. aſſeratur, tamen à *Lemoſio* ad incertum Autorem refertur, quia nec Hippocratis modus dicendi, nec ſententiarum acumen ineſt. Quem iccircò *Mercurialis* Cenſur. Oper. Hipp. deſtinatum putat ſectæ Pneumaticorum ſpiritui omnium cauſam tribuentium. Qui verò flatus ibidem

dem rigorem inducere dicuntur refrigerato ſanguine, neutiquam frigidi dicuntur per ſe, nec frigus ex ſe inducere. Sunt enim & flatus calidi, ſeu vapores calentes acresque, quibus rigorem excitari diximus. Nervosè, ut omnia *Caſp. Hofmannus* in Inſtit. fieri rigorem & horrorem ſcribit, cum vapor p. n. calorem ſ. n. mentiens, inſinuat ſe in muſculos & cauſatur κλόνον illum. *Argenterius* negat à flatu fieri rigorem, fieri quidem inæqualitatem, puncturam, mordicationem, & veluti confractionem membrorum pro diverſitate vaporum, qui non liberè tranſpirant; at frigus & concuſſionem membrorum nequaquam fieri poſſe; poſtulare enim hæc mala caloris contractionem, & expanſionem viciſſim temporis momento factam, id quod nequit efficere vaporis aut flatus motus ad externas partes, &c. Qui flatus de frigidis intelligendi. Repugnat autem hæc de frigore doctrina, etiam initio libri ejusdem Hippocratis, ubi ab aëre cauſa morborum deducitur, non quatenus vel calidus vel frigidus, ſed cum is vel copioſior, vel plenior, vel parcior, vel & morbidis inquinamentis infectus in corpus ſubierit. Contraria quoque eſt aliis locis Hippocraticis, quæ calorem ſeu bilem inuunt, de quibus nuper egimus. Textus inſignis

occurit *lib.* 2. *de Morb.* de febre biliosa: Si septimo die rigor & vehemens febris prehenderit, ac exsudarit, benè habet. Dic mihi, Vir eruditissime, an in febris ἀκμῇ & calidissimo statu rigorem à frigore velis deducere? an si à frigore, quomodo sudor ad salutem prodeat calidus? Alter textus, quem pro frigore urges ex *Autore* libr. 1. de Morb. spirat genium Autoris libri de *Flatibus*. Hippocratis quidem est, sed Thessali filii, si credimus *Galeno* in Epid. Ad quem explicandum sufficit, ut dicamus frigus hic comparatè sumi, si ad calidiora conferatur, quemadmodum hoc ipso paragrapho bilem sanguine frigidiorem vocat Author, & rectè addit, hominem vivere non posse, si sanguis multò densior & frigidior seipso evaderet. Scrupulus oritur, quia post rigorem necessario vel majorem vel minorem febrem supervenire dicitur. Sed rigor à febris essentia iccircò non excluditur, quanquam calor febrilis intus latens, post rigorem se diffundat ad exteriora & fiat manifestus. In textu Hippocratico, sanguis primum incalescit, deinde pituita & bilis sanguini permixta incalescit, rigorque oritur, demum post hunc rigorem, ad sanguinis caliditatem & bilis pituitæque incalescentiam, febris sequitur, scilicet major & manifestior. Occulta

Occulta hæc & manifesta febrium differentia rejici à Te nullo jure meretur, quippe quæ in re ipsa fundamentum habet, quia calorem febrilem in principiis cordi magis inhærere, in augmento extremis etiam, nemo ignorat. Nititur & hujus textus authoritate, nec parum subsidii mutuatur ex lib. 6. *Epid.* s. 1. §. 17. Quomodo à calida & rodente causa, sine frigore alio, rigor fiat docet *Galenus* l. 5. Sympt. Caus. cap. 5. quia partes extremæ omnes refrigerantur, declinante animali facultate una cum sanguine, ad interna. Quippe frigus hoc tempore non internarum, sed externarum partium sentiri: nonnullos enim tum vehementi siti cruciari, utpote servato ipsis intrinsecus calore. In præceptoris defensionem & ulteriorem rei controversæ explicationem *Altimarum* introducam, qui ita loquitur part. 2. Med. Febr. c. 4. quod cum in accessionum principiis febrium intermittentium putrescentes fucci moveantur vehementiori motu per sentientes corporis partes, eædem partes hoc in tempore mordacitatem ac dolorem sentiunt, ob quem doloris sensum vehementi quodam impetu calor ipse tanquam offensus, simul cum sanguine in intima corporis & viscera confugit, propriè tamen ad thoracem adque cor ipsum, ut ibi colle-

 ctus,

ctus, unitus ac vigoratus, vehementiori quodam impetu redeat, ac certet cum eo quod ſentientes partes doloribus laceſſit, & ipſas moleſtat. Rem verò clarius ab ovo ad mala perſequitur *Nicolaus Fontanus* in Fonte ſeu Orig. Febr. c. 12. qui audiri meretur: Cum ab hepate humor bilioſus, vel in minera focoque putredinis alius quispiam excitetur, conante natura humorem noxium excutere, eum primo ad vias communes, ventriculum nempe & inteſtina, expellere ſatagit, cum autem hæ partes ab humore putri mordacique irritentur & ſtimulentur, natura calorem ſanguineum ad cor tanquam ad arcem, & ſpiritum ad latebras internas viſceraque intime recondita, recolligit, quibus ibi retentis viſcera ardent, extrema autem algent & frigent: Sed poſtmodum redintegrata acie, à corde calor ſpiritusque diffuſi ſunt, natura reſipiſcit, & humorem hunc per vomitum, ſeceſſum, urinam, inſenſilem tranſpirationem detrudens, reliqua extima tuetur membra, quæ fovet ac calefacit; in ea enim dimicatione & pugna rigor fit, qui in paroxismo febrili conſpicitur. Placuit hunc Fontem adire, quanquam non ita pridem effoſſum, non quod nova dogmata proponat, ſed quia vetera ſuo more profert. Inſtitutum verò

verò fuit hujus Viri Clariſſimi, hoc opuſculo obicem ponere paradoxis *Helmontii* de Febribus, cui ſimilia de febribus in mentem venerunt quæ *Walæo* beato, nempe febres eſſe ſine calore, adeoque rigores, à quo febres intermittentes incipiunt, eſſe febres. Hinc in Præfatione ad Lectorem, *Helmontii* hoc dogma perſtringens, quærit, quis ſanæ mentis unquam dixerit rei initium ipſam eſſe rem, & conſequenter febrium initium eſſe febrem; qualis eſſet, ſi febris eſſentiam contineret frigus & rigor antecedens? Pro *Helmontio* reſpondebo, non amore illius ſed veneratione *Walæi*, præceptoris mei nunquam ſine honore nominandi. Nemo ſanæ mentis dixit initium rei ipſam eſſe rem integram & completam, ſed rei partem eſſentialem. Ita initium diei, integer dies non eſt, ſed ejusdem pars, ſi enim primam diei horam, à qua dies incipit, diei ſolidæ detrahas, integer dies non eſt. Tibi, amiciſſime Holſti, hæc facilè perſuaſero, quia in Matheſi excellis. Noviſti lineam ex punctis conſtare, & ſi primum punctum deſit, integram lineam non ſupereſſe. Tempora ſua quatuor decurrit febris, ut adeò primi temporis ſpatium, quod horror vel rigor implet, partem totius conſtituere debeat. Ex ipſa *Fontani* deſcriptione rigoris in ter-

tiana, partem esse febris demonstrabo. Fatetur enim rigorem in paroxismo febrili conspici. Deinde in ipso naturæ luctu & pugna cum causa morbifica expellenda rigorem fieri: at id tempus febris est. Unde videtur & illud clarius innotescere, cur *Walæus* calorem, quem in febre observamus, effectum febris vocaverit. De externo facilè concipimus, quem post rigorem diffusum sentimus, egoque impropriè, Te repugnante, febrem dixi. Sive enim obstructis visceribus bilis vel alius humor putrescens sanguini mixtus, vel in foco mesenterii ex inflammatione & putrida obstructione vapores putridi ad cor tendant, certum est ibi calorem ab extraneo calore augeri, & febrem accendi, febremque revera esse, etiam ex antiquorum placitis, utroque enim modo & vaporibus putridis & sanguinis in corde retentione incalescit sanguis, pulsum febrilem inducens & alia febris præsentis signa. En febrem ipsam internam. Interea rigor corpus invadit, sive quod à bilioso humore vel vapore vellicentur sensibiles partes, sive quod retrahatur calor ad cordis regiam pro suppetiis ferendis, sive quod impedita sit sanguinis circulatio ut sanguis libere externa membra calefacere non possit. An à positivo frigore, ut cum Hippocrate credis, rigor depen-

dependeat, in medio relinquo. *Galenus* l. de Rigor. c. 6. materiam frigidam esse causam frigiditatis positivæ, calidam privativæ edixit. Si quidem frigus membrorum hic positivum dicas, causam quoque talem cum *Hippocrate* fatemur, adeoque *Walæi* sententiæ invitus subscribis. Si à tali causa & febris & rigor oriatur, dicendum frigidam illam materiam cordi transmissam pulsus alterare ad se sanguinem pro calore advocanti, & usum auctum systoles & diastoles poscenti. Quicquid horum jam sit: auctus in corde calor p. n. febris est, qui demum superato hoste inquilino in pugna certans, expulsis humoribus noxiis sive per vomitum, qui sæpe in tertianis post rigorem observatur, sive per alvum, sive per sudores, sive alia via insensibili, reseratis viis se liberè exserit & per exteriora diffunditur. Qui calor apparens, effectum febris dici potest, quemadmodum lumen, orbem illustrans, à sole prodit, & à fornace incenso calor in musæo, sive ab incendio vicini aëris collustratio:

Æstifer ignis uti lumen jacit, atque vaporem.

Sed nimius in hoc argumento sum, in gratiam alterius. Rigorem esse febris partem, etiam ratione causæ calidæ, probavi.

vi. Si verò frigidam esse causam rigoris Tibi cum *Hippocrate* credam; vicit *Walæus*. Si essentialis febris pars, quæ rigor est, à frigore positivo dependeat. Utrumque vulgi applausum impetrabit, si consensum Tu denegaveris. A rigore enim vel frigore febrem denominant & curant calidis, pipere, Sp. Vini, nuce muscata, absinthio &c. non sine successu. Vulgus tamen norma non est Medicinæ nostræ. Id miror, quod *Avicennam* Magistrum recuses, optimum in Re Medica ducem, judice *Ænea Caprilio* l. 2. Febr. Putr. & Galeni interpretem, ut censet *Capivaccius* l. 6. Febr. c. 1. cujus tanta apud *Mercurialem* multiscium Tom. 3. Consil. 71. est authoritas, ut post *Hipp.* & *Gal.* quem ipsi præponat, aut etiam æquet, vix ullum autorem habeat. In quo nihil desiderat *Donatus à Mutiis* Dial. in Gal. Aphor. f. 28. nisi quod literas Græcas non calluerit. Hæc priori Epistolæ de rigore febrili addere volui, ut partim pietatem in defendendo vel excusando præceptore *Walæo*, partim Tibi amorem testarer. Doctissima tua argumenta non tam infringere volui quam laudare, quia in hac febrium doctrina necdum veritatem planè assequutos nos credo, quanquam sexcenti Medici in ea hactenus operosè desudarint. A Te magnum

gnum lumen expectamus, si meditatum Tuum de Febribus opus publico donaveris, quod dudum promisisti. Ut promissis stes, DEUM rogo, ut huic aliisque laboribus, publico dicatis, Te amicissimum Mihi & Musis diu parem esse jubeat & superstitem. Vale. Hafniæ 12. Mart. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XLVIII.

De Variis Eruditis Viris.

Angelico Aprosio Vintimiglia Genoam.

LEctis Tuis humanissimis literis rediit mihi animus & revixit, ingenti rigidæ hyemis frigore penè extinctus. Gaudeo quod adhuc vivas valeasque, utinam diutissimè, in literarum vestrarum, quibus assiduè magna fama vacas, solatium. Nos valemus, & cum fratribus tui memoriam semper recolimus. Salutant illi Te perofficiosè, qui inter vivos sunt. Sextus enim frater *Jacobus Bartholinus*, designatus olim in Academiâ Regia & Equestri Sorana Professor Historiarum, ante plusculos an-

nos in Germania, quum reditum in patriam meditaretur, doloribus colicis confectus obiit. Ante obitum tamen Ebræorum nonnullos Magistros publica luce donavit, in linguis orientalibus perfectissimus, quos Tibi in fasciculo mitto, ut videas nec illum Bartholinum ignotum vixisse, &, si fata vitam illi prorogassent, quamplurima in schedis relicta promisisse. Pro solicitâ curâ, qua filiolos meos prosequeris, multum Tibi debeo. Utinam adolescant, & Te superstitem videant, si quando Italiam visuri sunt. Illustrissimi *Antonii Muscettolæ* memoria mihi est gratissima, cujus & prosapiam & magnas virtutes amo & æstimo. Deus illum servet publico bono, ut etiam illius favore nostra soboles gaudere aliquando possit. Captabo occasionem, te monitore, ut illius laudes publicè per me inter nostros innotescant. *Petri Francisci Minotii* elegans est Epigramma mihi inscriptum, vel eo nomine, quod acutum sit & benevolo affectu plenum. Amo virum doctissimum, & officiosè resaluto. Sed quid meritus sum, quod *D. Laurentius Crassus*, Vir vitâ dignus, quam aliis penna sua largitur, me quoque inter Principes Achivos legi velit? Quia ita amice vult, mitto Effigies expetitas, Parentis, Wormii, Rhodii, meam, & singulorum opera præ-

præcipua breviter ſignavi, quæ vitis deſcribendis addere conſtituit. Agnoſco animum, & affectu quocunque conabor paria facere, ne ingrata mea penna ſileat. Lugeo mortem Illuſtriſſimi *Lauretani* & Rev. *Bonifacii*, quorum tumulis Epitaphium deſtinavi in gratam amicitiæ memoriam. *Severini* exceſſus antea mihi innotuit viſo apud Bibliopolas noſtros Phoca illuſtrato, meo quoque nomini dedicato. Grillajam tuam videndi deſiderio tenemur, ut & Cl. *Bardi* Chinam Chinam, cujus jam pridem ſpem nobis fecit, cui ea propter debeo iconem arboris, quam in Hiſtoriis Anatomicis poſterioribus non ſine illius elogio depictam exhibui. Salutant Te plurimum fratres mei, & opuſcula nonnulla ſua Tibi Tuæque Bibliothecæ inſtructiſſimæ per me transmittunt, quorum catalogum adjuncta ſchedula continet. Commiſi faſciculum hunc librorum Hauboldo noſtro, qui Venetis Bibliopolis Francofurti tradet Tibi poſtea Vintimigliam mittendum. Spes eſt indubia ad manus Tuas perventurum, ut videas quid prela noſtra agant. Reliquis operibus meis nolui onerare Hauboldum, ne ſegnior in officio eſſet, nec ſanè merentur à delicatis ingeniis videri aut legi, quum majori forſan fama domi manerent. Alia occaſione plura addam, ut internuncii fallantur partito

tito onere. *Beringius* noſter totus eſt *in* conſcribenda Hiſtoria obſidionis Hafnienſis, brevi abſolvenda cum publico applauſu. *Heinſius* junior in Suecia adhuc commoratur nomine Præpot. Ordd. Belg. Fœder. Reſidens. D. *Pouchius* Medicus eſt & Canonicus in urbe patria Ripis Cimbrorum, à quo raram Hiſtoriam habui ungvium monſtroſorum in homine ſene, quam in Centuria Secunda Epiſtolarum Medicinalium repoſui. Quod ſi in rebus naturalibus vel Medicis apud vos aliquid occurrat, quod conſuetum non ſit, non gravaberis ad me ſcribere, ut locum quoque inveniat in Centuriis meis ſequuturo anno prodituris. Ferax eſt patria veſtra rerum variarum, nec dubito quin ſubinde eveniant & videantur inuſitata multa, quæ longa nocte ſepeliuntur, *niſi* ſacrum vatem nacta fuerint. Addo his literis incluſa documenta quædam, quæ inſtituto laudati *Craſſi* inſervire poſſint, quantum per feſtinatam ſcriptionem licuit. Plura enim poſſem, ſi vacaret. Tu tamen ſupplebis, quæ deſiderari judicaveris. Ita vale diutiſſime, delicium Muſarum, & ſerus cœlorum incola, me meoſque amare perge. Salutant Te omnes, fratres, filii, & Beringius. Scripſi Hafn. raptim 25. Febr. 1663.

T. T. Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

De experimentis Medicorum, & chyliferis ductibus.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QUod meum ad petitum Frisium nostrum benevolo prosequaris affectu, haud exiguum habeo Tui in me amoris argumentum, indeque amplius obligor agendarum gratiarum debito. Quem quidem ipsum, magis tamen veritatis amorem ulterius spero testatum facies ubi meum illum de *Veræ Philosophiæ Bono*, non nempe omnibus æquè seu perspectum seu acceptum, Librum acceperis, legerisque. Tuum sanè, uti & Nobiliss. *Conringii* suffragium jure merito permagni ego facio. Et vero quid quæso magis hodie de re Medica fit, quam ut tandem aliquando è vera Apodictica suppetat prophylactica simul ac Therapeutica tot morbosarum opinionum, Artis nostræ physiologica ac pathologica principia indies quassantium Medicina. Ut nempe certum ab incerto, pretiosum à vili ubique sequestretur, & liqueat demum, quæ conclusiones Apodictico, quæ Dialectico solum jure de φαινομένων & αὐτοψιῶν, verbo, Experientiæ fundamento glorientur. Omnes namque quomodolibet glo-

gloriari constat. Novi Doctissimos sæpe viros πειραστικῶς solum utque aliorum extimulent judicia hæc & illa publicitus profiteri & defendere. In quibus me judice est etiam *Anthon. Everhardus*, dum ex sanguine, h. e. vernaculo corporis nutrimento, non sanguinem & nescio quid corporis nostri substantiam excedens ac arrodens fingere satagit: eò forte quod p. naturam v. c. in Febb. is non careat corruptis & nocentibus ejusmodi partibus perque inediam corpus consumatur &c. Seriò virum ἀπαιδευσίας arcessi nescium talia commentari, credat qui volet, ego nullus possum. Quæ verò idem de quaquaversum excurrentibus ductibus chyliferis observavit in cuniculis, fallor an haud parum faciunt ad firmandum illustrandumque meam de Lactearum Thoracicarum, hepatis sanguificationis innocuo usu sententiam, quam in Disp. *de Corde* quadantenus exposui, nempe iisdem meatibus esto esse quod in nondum satis exploratum usum, nunc chylosum nunc aqueum magis liquorem ad exteriores partes naturaliter deferri. Quin id etiam *Everhardo* facilis ego quidem largior, quod sanguis in vasis suis naturali polleat facultate, cruditatum vel chyli quid sibi οὐσιωδῶς assimilandi. Est verò & hoc distin-

diſtinctum ſanguinis genus atque (nempe & nutritorium & calidi vitalis cum utroque ſpiritu regeneratorium) munus agnoſcentibus facilè in confeſſo: per inediam corpus ex eo atrophiam incurrere, quia tum natura, reficiendarum virium vitalium & animalium, qua ſpiritus, cumprimis intenta, nutritionis ad tempus veluti obliviſci cogitur. Ita, inquam, ſalvo cordatiori Tuo judicio, mihi videtur. Nempe ne nihil eſſet quod hâc quidem vice ad Te perſcriberem, hoc interim fuit. Vale, amice perquam honorande, & ceu facis, Tuum mihi favorem continua.

Excellentiſs. T. Nominis
Studioſiſs.
E. Leichner, D.

EPISTOLA L.

De Demonſtratione Medica & experimentali. Hepar deſeritur.

ECCARDO LEICHNERO Erfurtum.

TAndem deſideratus ille Liber Tuus ad nos pervenit, tanto labore elaboratus, ut eruditorum omnium oculos in ſe merito con-

convertat. Ingens onus in Te suscepisti, cui tamen ferendo es, & si ad umbilicum reliquas partes perduxeris, Tibi æternam famam & publico perpetuum commodum procurabis. Legi ex parte magna cum voluptate, & magnum Apollinem Te æstimabimus, si promissa perfeceris. Certam enim demonstrationem Artis nostræ diu optavimus. Sed frustra hactenus, quia conjecturis pleraque innituntur. Hæc est humanæ mentis imbecillitas, quam emendare difficile erit, nisi recoxerit illam Prometheus. Nuper Lugduni ad confluentem Araris & Rhodani Cl. *Meyssonierius*, Elementa Medicinæ edidit ad amussim propemodum demonstrationum Geometricarum exarata, opus annorum triginta, quæ tamen demonstrationes experientiis recentiorum nituntur. *Cartesius* in Methodo sua Res per rectam rationem disquirendi, multa conatus est, & Mathematicis principiis admirationem apud asseclas invenit. De veris experientiis, quibus fidere possimus, præclara in ultima parte promittis, quam avidissimè expecto, quippe Medico necessariam, à nullo hactenus tentatam. Frater meus D. *Erasmius Bartholinus* Medicus & Mathematicus, Cartesii amicus, hoc de experimentis argumentum quoque tractat. In Phi-

Philoſophicis ſimilia non infeliciter tentavit in Inſtauratione Magna illuſtris *Verulamius*. Ego igitur, donec ultima illa Apodictices Tuæ pars prodeat, quod opto, deſiderium publicum applauſu & votis ſupplebo. Magnifico Rectori noſtro & Senatui Academico obtuli exemplar à Te deſtinatum, qui læto animo munus exceperunt, literisque reſponſoriis teſtabuntur, quanti faciant, quamprimum perlegerint. Interea per me plurimam ſalutem & officia Tibi tranſcribunt. Cancellarii Lente reſponſum, Friſio interprete, reſcies. Friſius ille tuus, diligentia & ingenio hic à melioribus amorem meruit & favorem, dignus Te præceptore diſcipulus. Vidi apud illum Diaſcepſin de Corde Te Præſide à Cl. *Wittigio* editam, & ſententiam de ſanguificationis organo perſpexi, quæ media via incedit, Heparque defendit, ſed ſingulari temperamento. Eo enim ſenſu chylum ad Hepar mediantibus venis tandem ferri non repugnarim. At Medicorum hactenus placitum fuit, immediatè ad Hepar ſive per lacteas, ſive meſentericas venas chylum ex inteſtinis deduci, ut primum ſanguinis rudimentum accipiat, quod αὐτοψία noſtra pernegat. Miſceri verò ſanguini in venis, illiusque purpurâ veſtiri, tecum credimus, ita tamen ut in

 corde,

corde, quò primum ex axillari pellitur, signaturam quasi futuri alimenti seu corporis nutrimenti accipiat. Cætera quæ de Hepate ingeniose affers, Hepatis necessitatem ad sanguificationem perfectam demonstrant, aliud nihil, & hanc nos quoque necessitatem concedimus, Tibique de magno ingenio & perspicaci publicè gratulamur & vitam in plusculos annos producendam precamur, & Magnatum auram benignam, qua absolvas quæ optimo consilio meditaris in Reip. Medicæ ornamentum & utilitatem, tuis laboribus accuratis promovendam. Vale, mi Leichnere, & amare perge tuum Bartholinum, qui Tibi Tuæque gloriæ optimè cupit. Hafniæ 10. Mart. 1663.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPISTOLA LI.

De Malpighii scripto, observationes variæ Anatomicæ.


THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ET tristia amicissimæ literæ Tuæ nunciant, & læta; triste, legisse illustrem familiam, Academiamque beato sene Finckio,

ckio, & quanto lumine! orbatam: lætum, meminiſſe mei Academiæ Patres, meque voces gratulatorias ab Excell. Tua etiam in Belgio excipere. Optaſſem glorioſo Lycei Atlanti ævum in his terris diuturnius; caruiſſem, cœlum teſtor, iſtoc ſalario patientiùs, quàm ut ille ſpiritu; ſed parendum fatis, quorum in manu ſumus, & volvimur. Tibi autem, Vir celeb. qua iterum gratulatione occurram? hac unâ, ut ſanctiſſimum ſenem Finckium annis ſupergrediaris, & quotidie, ceu mereris, nova inclutæ famæ capias incrementa. *Everhardi* tractatulum, quem animadverto naufragio periiſſe, proxima iterum occcaſione transmittam. *Malpighii* ſcriptum hic quoque jam prelo ſubjicitur; fateor nos hic non perfunctoriâ curâ & flatu, & oculis microſcopio accuratiſſimo armatis inquiſiviſſe in illas pulmonum veſiculas, ſed eaſdem tamen nondum nobis perſpicuè potuiſſe conſpici, quòd cum uberiùs à Stenonio perſcribatur, ego haud perſequar; nec quæ de cordis muſculis & actione brevi in lucem prodibunt, itidem ingenioſè oſtendente Stenonio. Epiſtolas Tuas Medicas, & quæ de partus viis inſolitis eruditiſſimè commentaris, *Dn. Sylvius*, *van Horne*, aliique mecum avidè exſpectant, ſatis gnari à qua manu victura monimenta prodeant. Novum quid-

 dam,

dam, & inuſitatum audio, narrante Dn. Sylvio, nuper ad *Schoockium* Prof. Grön. certâ & ſolidâ perſcriptum fide, hiſtoriam illam de fœtu Muſſipontano, nihil eſſe niſi ſuavem & lepidam fabulam, à neſcio quibus per otium, ad ludendos Medicos confictam. Quod ſi ita eſt, haud ſane magnam à multis mèretur laudem Dn. *Horſtius*, qui eam ſibi primum paſſus eſt perſuaderi. Sed ad alia. 1. Obſervata nobis hac hyeme, ſecante in Noſocomio D. Sylvio, ciſterna chyli in corpore muliebri duplex, idque ad lumbos: capacitas cujusvis ſacculi tanta, ut pollicem meum caperet. Verſus ſuperiora coibant in truncum unum; infernè ingrediebantur ubique varia lymphatica, uti ruditer juncta figura oſtendit.



2. In aliâ fœminâ cor vicinum auriculis pure fluens, cor ipſum exterius album & aſperum linguæ bubulæ obtuſæ ad inſtar. 3. Denique in aliâ fœminâ ventriculus in medio anguſtus, utroque extremo capaci, ut delineatio exhibet.



Dexter lobus hepatis aliqua ſui parte, tantæ erat molis, ſub oſſe ilium recondebatur. Duo ductus pancreatici in jejunum ſe exonerantes, ſuperior, qui amplior, ad lati digiti diſtantiam

tiam ab insertione ductus bilarii; exterior, qui minor, eodem planè loco desinebat in jejuno, quo ductus bilarius implantabatur. Uterus figuræ quasi semilunaris, in dextrum latus solito magis inclinabat. Lien quovis bubulo major, solidior & rubicundior justo, adeo ut colore & parenchymatis firmitate cum corde certaret. Ren sinister pure scatens, dextri parenchyma (non papillæ) hinc inde arenis crassioribus distinctum: In quarto cerebri ventriculo plexus quoque choroides manifestè conspicuus. Ego ut uterum & vesicam attentiùs expenderem, domesticâ industria observavi tubas uteri, quæ in fundum ejus ingrediuntur, quamdiu corpori uteri adhuc inhærent, (erat enim uterus vetulæ satis crassus) esse quasi nerveas, firmæque consistentiæ, sed postquam expandunt se extra versus alas, & testes, reddi infirmioris & membranaceæ texturæ. Quâ ureteres se exonerant in vesicam, nullum ullius valvulæ vestigium, sed animadverti interiorem ureterum tunicam esse planè continuam cum interiori tunicâ vesicæ. Ureterum & meatus urinarii foramina respiciebant se mutuò ad trianguli figuram. Cervix vesicæ duos transversos digitos longa, sphincter parvus, sed non orbicularibus, ut dici solet vulgò, verum secun-

 dum

dum longitudinem sphincteris porrectis fibris insignis, nisi quod fibræ illæ tantillum ad obliquos angulos, sed vix notabiliter, inclinarent. Hunc sphincterem corpus nervosum crassum, penis corpori analogum, exterius cingebat, in quo fibræ circulares, nisi quod tantillum ad figuram helicis inclinarent, ut solent in corpore nostro fibræ ferè nusquam perfectum describere circulum, idque ob multas & singulares causas. Hæc in fœmina; de ductu fibrarum in marium sphinctere amplius dispiciendum. Qua parte calculus exscinditur, in viro superiori æstate mortuo, observavi fibras procurrere semiobliquas, (non circulares) adeoque earum multas dissecari ab imperitis lithotomis; in suillo autem sphinctere video plures esse uno musculos, eumque qui proximè ambit cervicem vesicæ, accedere ad circulares fibras, licet planè circulares non sint, reliquos duos agnoscere fibras semiobliquas, planè ut in viro, quo loco exscinditur calculus. Alioquin hac hyeme in belluis varia se nobis curiosa obtulere. Chorion fœtus nullâ aquâ immediatè madere observavimus, sed omnem aquam vel esse in amnio vel allantoide, ut mirum sit, Harvæum negare allantoidem dari in brutis, quippe facile invenitur rectè inquirentibus,

tibus, nosque allantoidem fœtus vaccini habemus vel duas integras ulnas longam. Obſervavimus iterum in canibus cor non eſſe ultimum moriens, ſeu ultimum movens, ſed venam cavam prope cor motum aliquem continuare, corde etiam & auriculis collabentibus: In fele, lienem longum inſtar camini, ductum hepaticum & cyſticum amplos, præſertim hepaticum, qui amplitudine calamum ſcriptorium æquabat, (an quia animal bilioſum & pugnax?) oculum multum humoris vitrei, parum aquei continere, (an hinc acumen viſus explicari meretur?) ipſum aqueum humorem eſſe ſubſalſum. In mure majori, ſex lobos hepatis; nullam fellis veſiculam; cæcum humano majus; teſticulos corde majores (ô animal noxiè ſalax!) & intra corpus concluſos; epididymides quadam ſui parte teſtibus adhærentes, parte aliâ tantillum eminentes extra corpus, qua teſticuli ſolent emergere: In columba, nullam eſſe veſiculam fellis, eſſe tamen ductum hepaticum in quo bilis, quæ viſa nobis iterum, iterumque retrahi in hepar (vivente alite) & iterum per intervalla in ductum reverti, motu pulſationi cordis non diſſimili, ſed tardiori; quid quod duraret adhuc ille motus ſed languidior corde jam tum quieſcente. In cygno fœminâ,

asperam arteriam flexu illo, (quem observavit Tua olim dexteritas) destitutam (an in cygno fœminâ forsan illa structura deficit?) arteriam magnam descendere in dextro latere, ingluviem membranâ vestitam ita porosa, ut facillimo pressu liquor subalbus ex glandulis minutissimis inter utramque hærentibus tunicam eliceretur, inque cavitatem ingluviei illaberetur, haud dubiè ad fermentationem alimenti, id quod Cartesianis favet, qui in gallinacea ingluvie jam ante simile quiddam deprehenderunt; duos ductus pancreaticos, unum à dextro hepatis lobo, unum à cysti fellea procurrere ad jejunum, ita ut cum ante seorsum decurrant, ubi ad jejunum deventum, simul omnes quatuor uno eodemque loco in illud se exonerent; asperam arteriam in pulmone non divaricari in minores ramos, verùm ubi truncos veluti duos agere cœperit, statim in ipso exortu desinere, relictis tantum patentibus in parenchyma pulmonum ostiis; in cordis ventriculo sinistro, resectâ auriculâ manifestos musculorum cordis tendines ad aortæ initium desinentes; loco diaphragmatis minutos & longiusculos musculos costis tendine suo adhærentes; latera linguæ hinc inde, ordinatâ tamen serie in longum, poris distincta, qui setam suillam admitterent, ut necesse

cesse sit in carne linguæ minutas latere glandulas, quæ & quandoque liquorem in os profundunt; cæcum duplex, nigrioribus quam cætera intestina excrementis stagnans; renes longos vel pedem integrum, & velut segmentis distinctos, per quorum interiora canalis excurrens ureteres tandem inde elapsus formabat, ad extrema recti intestini se exonerantes; uterum longissimum, figura quasi longæ pyramidis, &c. Vereor n. ne nimia prolixitate delinquam. Questiria, ingeniosa illa, sine ignis interventu, destillatrix, à plurimis licet de pandendo artificio solicitata, debellari non patitur silentium suum. *Digbæi* tractatum, quem jam ante *Deusingius* impugnavit, nuper Hagiensis quidam Medicus, *Helvetium* vocant, confutare instituit. Prodiit demum *Deusingii* responsio ad Exc. Tuam de Hepate, sed illa oppidò modesta, contra Blottesandæanos acerbissima; me tandem meliora edoctus à ficto crimine liberat; vagus tamen, uti solet, nunc hunc nunc illum cornu impetens. *Dn. Sylvium* ita pupugit, ut ille Apologeticâ præfatione, thesibus suis iteratò excusis præmissâ, calumniarum mendaciique publicè Groninganum postulet. *Van Horne* nuptiis nuper cum vidua van Ulftia celebratis maritus esse didicit. Dn. Jacobæus

noster levi oculorum nebula tentatur, quam, si in medicamentis usurpandis patientius constantiusque se gereret, brevi discussum iri considerem, quanquam sperem Gallicum aërem, quippe Belgico subtiliorem, malo isti panaceam futurum. Nec mihi aliquot jam mensibus satis constitit valetudo, ut proinde anhelem in Gallias, loci mutatione solatium quæsiturus. Si patria mihi ita debilitato jam petenda, nec Academiæ, nec mihi ipsi diu usui esse possem. Sed finio, & Tuam Excell. Deo opt. max. æternum commendo, meque sueto Tuo favori. Vale felicissime, & à D. D. Wormio, cui semina petita curæ erunt, unà officiosè salutatus, diu flore, perenna. Dabam Lugd. Bat. A. 1663. 1. Mart.

Excell. Tuæ
Studiosiss.
Olaus Borrichius.

EPISTOLA LII.

De intestino cæco maculoso. Partus Cameli &c.

OLAO BORRICHIO Leidam.

OBservata à Vobis in Anatome hyemis elapsæ oppidò placuerunt. Nostrum Thea-

Theatrum adhuc filet, donec à *Jac. Henr. Paulli* aliquando animetur, qui jam de disputatione Inaugurali est solicitus. Aperuit ille semel iterumque nobis canem, ut rectius Bilsianum labyrinthum observaret, quem æri incisum publicè brevi exponet, longè à Bilsiano diversum. Cæcum intestinum maculis quibusdam fusci nigroris quasi grandinibus conspersum & refertum in canis sectione ibidem vidimus. Dubitatum inter nos fuit, an istas maculas recepta cæco excrementa efficerent. At quia ferè flatibus cæca hujusmodi à nobis animadversa abundabant, aliud suspicabar: Esse nempe variam tantum membranæ tenuitatem. Dissectæ enim maculæ nihil insoliti monstrabant, quum aliud nihil essent, præter tunicæ subtilitatem. Subtilia multa de hoc cæco promisit in Quadripartito Botanico aucto Celeberrimus noster *Simon Paulli*. Esse verò cæcum flatuum quoddam diverticulum, parum abest quin credam *Highmoro*, quia & ego in hypochondriacâ amicâ observavi, nunquam fere alvum deponi, aut flatum emitti, quin murmur in dextro hypochondrio, quo loci cæcum plerumque sedem habet, uno semper loco sentiatur & audiatur, magno interdum optimæ fœminæ tædio. Misit ad me Cl. *Deusingius* Dis-

Disquiſitionem ſuam ulteriorem, amicam prorſus, de Chyli Motu atque Hepatis Officio, qua ingenioſè omnia mea refellit, in Hepate Defuncto allata, cui nihil reſponderi poſſet, ſi vel unico experimento novo argumenta erudita confirmaſſet. Difficile enim inducor ut credam rationibus, quas antea oculorum fide rejeci. Expendam tamen prius accuratè ſingula momenta, quam vel rejiciam vel approbem. Menſe Decembri anni proximè elapſi obtulerunt Sereniſſimo Regi noſtro, Legati Magni Muſcoviæ Ducis in publica audientia magnâ pompa hic celebrata, præter pelles pretioſas, quatuor Camelos, Onocrotalum, Sabelum vivum, & Vaſa lignea. Dubitabatur de Camelis, quia in dorſo duo tubera habent, qualia in Dromadis, ex Camelorum quoque genere, obſervari ſolent. Sed curſu hi celeriori ab illis diſtinguuntur, quos tardioris greſſus hic vidimus, & eadem tubera Camelis etiam *Plinius* tribuit. Onocrotalus appenſo, ſub roſtro, marſupio, & lato longoque roſtro planè ſimilis eſt illis, quos in Muſæis ſiccos habemus, vulgo pro Pelicano æſtimatos. Vivus caveæque incluſus militis, qui eum portavit, non rarò brachia roſtro vellicabat, ut iracunda avis eſſe videatur. Vaſa lignea variæ magnitudinis

nis oblonga, pro jusculis vel potu hauriendo percommoda, in omnem partem, aquâ madida, flecti possunt, & iterum in aptam formam extendi. Quantum expiscari potui, ex radice Cedri variegatâ tornantur flexilia hæc vascula. Cæterum inter Camelos sequioris sexus una gravida, hoc mense feliciter peperit naturalem quidem partum, sed monstrosis seu portentosis adnumerandum, quia nunquam, quod sciam, in Dania nostra Camelus natus. Permutarentur sic inter se orbis partes, si in Asiam quoque nostræ Balenæ vivæ deportarentur. Nostra sanè patria peregrinos multos videt, antea ignotos. Rediit ad nos Nobilissimus *Lutzovius*, calculique sui partem Regi Ser. obtulit. Dubitatum statim fuit à multis, an calculus ille, silici simillimus, sit suppositititius. Multi pro vero calculo tamen habent, inter quos ipse quoque Lutzovius, quia illo exempto levamen sensit, & similem prorsus alium in Musæo servo, hoc nomine mihi donatum, nec credibile sit, potuisse lithctomum in præsentia amicorum Lutzovii, alium calculum fictitium supponere. Impositus ille idem calculus est, nisi fallor, experiundi gratia an resolvi possit, addito sale calcis vivæ, sed irrito experimento. Sinistra tua valetudo me angit, speroque ab aëre Gallico con-

confirmatam, à Sereniſſimo Rege enim licentiam peregrinandi Te impetraſſe gaudemus, nuperque cum laudato ſemperque laudando Regi, Regum terrenorum optimo, adeſſem, magnum Regis erga Te favorem deprehendi. Miſi in faſciculo Dn. *van Horne* pro Te Centurias Epiſtolarum & Diatriben de Pulmonibus. Vale & me ama. Hafniæ 7. Ap. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LIII.

Variæ obſervationes de Bile, ejuſque ductibus. Chymicorum ſecreta quædam.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

VIs ægritudinis, quâ vigor viſus ſenſim obtunditur, ut omnium fere rerum, ita & tibi ſcribendi oblivionem peperit, cui etiam tanto ſuavius hactenus indulſi, quanto cæterorum amicorum in ſcribendo promptior & crebrior fuerit aſſiduitas, ex quibus & ſtatum Belgii, & quid eruditus orbis moliatur plenè & planè cognoſces, ut operæ pretium non duxerim faſtidiendo ſtylo ea enarrare, quæ ab iis tàm nervoſè & ope-

operoſe exponuntur, ne tamen diuturno ſilentio conſeneſcat memoria & amor tuus mei, placet & ſermonis ſymbolam conferre, ut ſolatiis literarum tuarum damna abſentiæ ſarciantur. Quaſi è compacto rem gererent Eruditi, ita omnes à ſcribendo feriantur, calamumque ſuſpendunt, neſcio an Reipubl. Literariæ commodis velificentur, quæ multitudine librorum obruitur & ingemiſcit, an obulum & limam magni noſtri Ariſtarchi Deuſingii metuant & exhorreſcant, qui ob reliquorum ſilentia ferus & ſuperbus, ſolus imperium affectat, & ſibi vendicat. Interim dum ſibi placet, male libris ſuis proſpicit, quibus ob effrenem linguam periculum imminet, ne in nigram culinam rapti thuris piperiſque cuculli fiant, immatura enim ejus judicia, quibus Digbæi, Boylei aliorumque experimenta oblique perſtringit, hæc omnino pollicentur & imperant. Non ignoras quàm improbo ore nuper Blotteſandæum, van Horne, Sylvium, Vorſtium, Stenonium noſtrum & quos non vulneraverit. Chemici varios quidem tractatus publici juris faciunt, ſed more ſolito obſcurè ſcribentes de magno iſto Chryſopoiæ opere, famem excitant quidem ſed non ſedant. Dn. Blaſius ductus ſalivales ſuperiores de ſuo nomine debere nobilitari orbi

orbi jam notum fecit. Non tango ea, quæ in anatomicis ſubinde obſervata ſunt, cum hæc à Stenonio ſine dubio prolixe tibi referantur. In anatome Cygni nihil fere præter ea quæ ipſe olim obſervaſti invenimus, glanduloſa ſtomachi ejus & gallinarum ſubſtantia, unde ſuccus poteſt exprimi, quin multum ad promptiorem concoctionem faciat, vix poteſt dubitari, & in avibus ſupplere vicem ſalivæ, quæ multum promovet fermentationem ciborum. Duplicem ductum pancreatis vidimus, quem & nuper in fœminâ canibuſque itidem obſervavimus. Indubitato nobis conſtat, nec in equis, gliribus, & columbis folliculum fellis adeſſe, ductus tamen in duodenum ab Hepate deſcendens non deeſt, qui in columba liquorem viridem inſtar fellis continebat, nunc ab Hepate in inteſtinum ſe exonerantem, nunc rurſus in Hepar regurgitantem. Miſcuimus bilem cum variis menſtruis, obſervantes in ſp. acido intenſe virideſcere, cum Olei Tartari in maſſam fœtidam coagulari, cum ſale volatili naturali colore exſurgere, nec corrumpi facile, ut nec ſanguis iſto ſale aſperſus. Allantoidem ab Harvæo aliiſque tam pertinaciter negatam omni dubio eximimus, veſicæ fœtus connexa eſt, quod inflatio teſtatur,
an

an fœtus in illam in utero natus urinam deponat juxta nonnullos verisimile saltem est, & quamvis urinæ qualitates exacte non habeat, nil impedit tamen, cum in embryonibus non tam perfecta vel coctio vel secretio instituatur, ut nec in illis bilis desinat esse bilis etsi albicet & parum amaricet. Ab aqua vero Amnii multum discrepat. Cl. D. Borrichius sex distinctas membranas vesicæ separavit, quibus & vasa intercurrunt, in sp. acido salis multum corroditur, in oleo & Tartari & communi indurescit. Doctor quidam hujus urbis Gonorrhœam virulentam solis cantharidibus feliciter curat, quas vino Rhenano macerat, infusionem alio liquore temperatam propinans, sed cum initio non sine summo cruciatu & exulceratione vesicæ curam absolveret, miscuit tandem cum oleo Amygdalarum dulcium, Syrupo Fernelii, succo tapsi barbati; & intra triduum beneficio copiosæ urinæ malum suaviter tollit. Est Hagæ Comitis qui eundem affectum pulvere Vitrioli sympathetico curat, sed modum celat. Dn. Marcgravius urbis hujus Philochemicus antimonio crudo pulverisato per singulare menstruum vim vomitivam cæteramque noxam novit statim subducere, ut tria grana cum levamine febricitantium leniter

purgent. Verum Sulphur Vitrioli eo modo parat. R. Vitriolum optimum, calcinato in pulverem albissimum affundit Sp. Terebinthinæ, ponit in vase hermeticè clauso ut per duos menses digerantur, tum Sp. Terebinthinæ evaporat, & massa Sulphurea valde narcotica sed impune assumenda restat in fundo. Ego autem in summo & metu & periculo versor, ne maculæ oculorum tenebras & perpetuas noctes portendant, nullis remediis adhuc volunt cedere, spes sola in Deo & mutatione aëris in Gallia benignioris. Illustriss. Borri ad invidiam adhuc felix est. Pro cura Dn. Mellerai Comitis Galli 60000. florenorum donatus est. Quoniam ad votum fœdus cum Gallo conclusum atque perfectum est, Celsissimus Princeps cum Legato abitum meditatur. Vale, Deo seriò cum tuis commendatus, Dn. Borrichius & Stenonius officiosè te salutant.

Dab. Lugd-Bat. 3. Martii 1663.

T. humillimus
cliens

Matth. Jacob. Matthiad.

EPI-

EPISTOLA LIV.

De Cantharidum infuso. Cygni coronati. Ex Sp. Terebinthi contra lumbricos remedium.

Matthiæ Jacob. Matthiadi Leidam.

Doleo quod florente ætate oculorum vigor hebescat, ut remora præclaris Tuis studiis injiciatur. Culpam verò ipse Tibi imputes. Magno enim discendi ardore accensus ad noctem subinde, ut audio, lucubrationes extendis. Nihil æquè luminibus officere, quam lucubrationes, ipse meo exemplo testari possum. Nisi enim ab incepto maturè destitissem, plus jam non viderem, quam Cyclops postquam ab Ulysse esset visu orbatus. Nec dubito quin tui quoque mali remedium ex temperantia studiorum sis inventurus. Ita enim literis immergi debemus & scientiis, ne submergamur, ne unius diei diligentia damno multorum nos mulctet. Destituit spem publicam & amicorum exspectationem, qui valetudinis dispendio scientias mercatur, quas cum fœnore refundere non potest si ante diem vel mortalitati eximatur vel pluribus laboribus non sufficiat. Autor igitur Tibi sum, Nepos optatissime, ut mo-

dum ſerves & diligenter calculum cum ſanitate ponas. Facilis eſt jactura luminum, quam ægrè poſtliminio revocamus, niſi mature nobis parcamus. Crede mihi. Raró magna fortuna magnam eruditionem ſequitur. Sæpius mediocria probantur, ſæpe etiam valdè exilis rerum cognitio ad Deos evexit albæ gallinæ filios. Mutatio aëris multum quoque ad medelam tuam conferet. A craſſiore enim aëre Belgico incraſſantur ſpiritus viſivi, nebulæque oculis objiciuntur, quas facilè Galliæ ſerenitas diſſipabit. Obſervationes de bile ejusque ductibus à Te ſignatæ, merentur memoriam. Infuſum cantharidum alibi quoque in *Hiſtoriis* laudavi, gonorrhœæ virulentæ & iſchuriæ remedium, cujus felicem ſucceſſum non ſemel ipſe ſum expertus. Notandum verò, ne noceant cantharides, integras eſſe ſumendes. Ubi veſicis exulceranda cutis, extrema abjicienda, in quibus benignior facultas latet, quæ ſervanda ſunt in infuſo hoc vias urinæ expurgaturo. Legitimo modo miſtum infuſum, nunquam, quantum ego viderim, vel cruciatum vel exulcerationem veſicæ provocavit, ut nec pinguioribus abſtergentibus opus fuerit. Cygno inſpecto vos meas obſervationes confirmaſſe gaudeo. Nuper cygni omnes, cætera candidiſſimi, in Foſſis Fridericiburgenſibus,

gensibus, coronam rubram capite præferebant insolito spectaculo, unde nescio quod augurium vulgo enatum. Ex voluntate Serenissimi Regis mei ad rei veritatem inquirendam illuc missus, maculam rubram medio capiti plumis innatam, circularem, thaleri imperialis magnitudine, in evulsis verò plumis ad mediam partem tincturam hanc elegantem observavi, nec vel ab ætate, vel fundo, vel aquis, quibus innatant, acquisiti hoc vere primum coloris sanguinei causam investigare potui. Rem vidi, causam ignoravi, ominosum eventum rejeci. Quia Spiritùs Terebinthinæ mentionem facis, reticere non possum, nuper Empiricum quendam oleum probati usus cæruleum nobis Medicis in examine aperuisse, vermibus pellendis opportunum si umbilico inungatur. Compositum autem erat ex Spiritu Terebinthi cum succo absinthii per æneam retortam destillato. Igitur, quemadmodum Spiritus Terebinthinus renibus externè inunctus calculos pellit ex secreta Medicorum nonnullorum arte, ita eadem vi vermes expellere potest, inprimis succo absinthii adjutus. Quod ipse Empiricus ignorabat, apud quem, ut *Celsus* loquitur lib. 1. morbi cognitio extra artem, medicina intra usum est. Pluribus nolo oculos tuos fatigare, quibus breves episto-

 lis

las commendo, breves labores, sed longius ocium. Vale, mi Nepos, & ut porrò benè valeas, fac ut oculi valeant. Salutant Te amici omnes, quos de Tua salute sollicitos credas. Hafniæ 3. April. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LV.

De Vesiculis in pulmone. Anatome cuniculi prægnantis. In pulmonibus experimenta. De lacteis mammarum. In Cygno observationes, &c.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

SI unquam ulla, præsens certè scriptionis celeritati juncta responsionis tarditas excusatione opus habet: cum &, binis licet eodem tempore beatus literis, nullas tot mensium decursu remiserim, & modo, cum respondendi officium differre amplius non liceat, temporis invidiam argumentorum copia experiatur. Sed facilem utrique veniam nulli non decantata facilitas Tua promittit. De pulmonum parenchyma

chyma ſpectantibus Malpighii obſervationibus ulteriorem meditandi occaſionem deſideratum diu, tandem verò mihi ab amico oblatum, microſcopium præbuit. Lectis quidem Tuis tum ad D. Borrichium tum ad me literis, non dubitavi, quin variæ in pulmonibus demonſtrari poſſint veſicæ, & quidem modo non uno. In exſiccatis enim, ſi prius Malpighii exemplo omnis eluatur ſanguis, quam exponuntur ſiccandi, plurimas, ubi diſſecti fuerint lobi, conſpiciendas cavitates ſine omni controverſia eſt: diſſecantur enim ſimul plurimi tum venæ, tum utriusque arteriæ ramuli, quos omnes manifeſtis cavitatibus donatos nulli non manifeſtum. Quod ſi vero etiam antequam ſiccentur, aëre pulmonum diſtendantur bronchia, quot quantasque in diſſectis videre licebit cavernulas? Sane cum arteriæ aſperæ extremitates ſine numero per totam pulmonum ſubſtantiam diſpergantur, flatu easdem violenter diſtendente, innumerarum veſicularum, ſi dividantur, ſpeciem exhibebunt. Sed ideo ſtatuendum pulmonum parenchyma ex puris veſiculis conſtare, non videtur neceſſarium. Quid quod ne quidem inde ſequatur, vel ſolius aſperæ arteriæ extremitates in veſiculas deſinere, ut de extremitatibus venæ, arteriæ, lymphaticorum nihil

addam. Quantum in arido canis pulmone microſcopium mihi revelavit, præter rotunda diſſectorum vaſorum foramina, & minutiſſimorum filamentorum ſine lege currentes myriadas, nihil omnino conſpiciebatur, nullæ rotundæ membrana undique veſtitæ cavernulæ, nihil planè veſiculæ nomine ſalutandum. Nec ipſa ſiccati pulmonis illæſa ſuperficies veſicularum ſub microſcopio ulla exhibuit indicia, aderant protuberantiæ, ſed illæ ut magnæ, ita & inæquales, nec in medio tumentes, nec in ambitu orbiculares, adeoque veſicularum nomen minimè tuentes. Abſit tamen ideo ingenioſiſſimi Viri experimento fidem detraherem, quod mihi ſemel iterumve idem tentanti non ſucceſſerit, viam forte non eandem ingredienti. Sed de Malpighio hæc ſufficiant, donec ipſas ejus literas examinare licebit. Ipſe his diebus cuniculum aperiendo, cætera ut in commodiorem locum remittam, circa fœtuum (quos utero geſtabat quatuor) pulmones ſequentia obſervavi: Relicto ſuas intra membranas in utero quarto fœtu, reliquos tres extractos ab involventibus tunicis liberavi, unius etiam ligavi umbilicum, & ecce poſt brevem moram moventes os pectusque catulos & tandem aërem magna vi haurientes, ut plenam reſpirationem om-

nes

nes facile poſſent agnoſcere, inde pedum vires ipſi tentando, poſt paucos niſus eo usque invaluere ut eorum unus hinc inde perreptando, tandem ſub expanſæ per menſam matris cruribus, ab aëris frigore minus ibi vellicatus, quieſceret. Extraxi ex tepido ſuo aſylo vegetum animal, & pro viribus ſatis reluctantis pectore diſſecto pulmones reperi albicantes jam tum, & ſpongioſos, licet alterius intra membranas ſuas in utero extincti pulmones denſi ſanguinolenti, & his omnino eſſent diſſimiles, miratus tantam tam brevi tempore factam mutationem. Superiori ætate in cane gravida circa reſpirationem idem obſervavi, ad pulmones tum temporis non attendendo, ubi fœtus, licet necdum partus tempus inſtaret, exſecti vitalique auræ expoſiti hauſtum aërem cum repetitis ejulatibus reddiderunt. Sed hæc frequentia, rarum quod ingenioſiſſimus juvenis & in Anatomicis exercitiis aſſiduus Dominus Swammerdamius mihi exhibuit, aërem per medios pulmones in cor propellens. Deficiente animalis vita, veſica quadam reciprocum pulmonum motum reſpirationis æmulum continuat, donec tandem per venæ pulmonalis ramos in cor deſcendentes bullæ experimenti ſucceſſum demonſtrent. Memoratu quoque dignum videtur, quod

apud eundem ut & inde apud Dn. Padburgium, juvenem itidem Anatomica magno cum fervore tractantem, circa motum cavæ notavi ab ingeniosissimo Dn. Laet primo observatum. Viderunt hi, si in vivo denudetur jugularis vena, ut & per medium dorsum in abdomine decurrens cava, quotiescunque inspirando thoracem distenderit animal, evacuari & in collo & in abdomine cavam, ita, ut quæ ante distenta rubebat, momento compressis tunicis albicet ad pristinam & rotunditatem & purpuram illico reditura. Qui id videre hactenus, variè varias attulere rationes, mihi talem res visa est admittere posse explicationem, si vacui fugam ad partes vocare liceret. Si enim, ut ajunt, thoracis dilatatione distentus pulmo aërem fugit quasi, & attrahit, posset dici propter eandem thoracis ampliationem, dilatatam, quæ intra thoracem est, cavæ portionem, attrahere illum sanguinem, qui in cavæ ramis tam supra, quam infra thoracem reperitur, ideoque inaniri cavam extra thoracem, quod quæ intra thoracem est cava impleatur. Sed cum vacui fuga fere in totum devicta in vacuum aufugisse videatur, verior mihi illorum apparet mens, qui per solam pulsionem similia phænomena exponere solent, atque secundum

hæc

hæc dogmata, thorax dum musculorum ope dilatatus circumstantia quælibet eo pellit, ubi minor est resistentia, uno eodemque tempore & in pulmones aërem, & inferiora versus abdominis viscera, & in partem cavæ intra thoracem, qui in cava extra thoracem est, sanguinem propellit, ut adeoque impleatur cava intra thoracem, quod, quæ extra est suum eò mittat contentum. Hoc forte modo illud phænomenon explicari posset, si ulterior experientia idem confirmarit, simulque pateret ulterior respirationis in circulatione sanguinis usus. Sed quo me pulmones, quo respiratio abduxerunt? ad reliqua doctissimarum Tuarum momenta redeundum.

Lacteas quasdam ad mammillas ab interioribus tendere multæ quidem indicare voluerunt observationes, sed, quantum ego colligere possum, necdum ulla demonstravit. Sanè Schenckium nil vidisse nisi vasculum in ipsis mammarum glandulis ortum, & inde ad papillam delatum ipse quam evidentissimè testatur, dum vasculi ejusdem pressu lac per papillam effluxisse fatetur. Nec enim facile crederem, si quæ ab interioribus prodirent vascula eadem ad papillam immediatè esse continuanda, cum inde sequeretur & frustra esse datum illis

illis glandulosum parenchyma, & in sectionibus non separari posse ubera lacte distenta sine vasculorum eorundem dissectione, adeoque nec sine effusione lactis, quorum huic experientia reclamat, *illi* fidem denegat ratio. Quod si verò statuendum, lactearum duo esse genera, unum ab interioribus ad glandulas adscendens, alterum ab iisdem glandulis per proprias radices receptum lac ad papillas deferens; non poterit idem Clarissimus Vir ex suo experimento demonstrare, primi generis fuisse, quod vidit, lacteum, quod tamen solum est de quo quæritur, cùm secundi generis lacteæ, quæ nempe contentum suum extra corpus excernunt, à nemine facile in dubium vocentur. Quod reliquorum attinet observationes, obscurant illæ rem, non illustrant, cum pro Auctorum varietate varians istorum ductuum descriptio experimenti fidem dubiam reddat, & quæ quilibet mentis oculis primo vidit, eadem & corporis inde oculis se vidisse crediderit. Hic enim à ductu thoracico per thoracicos musculos ad ubera, ille à receptaculo per abdomen supra abdominis musculos eòdem, alius ad eandem partem per abdominis musculos ab utero Lactea deducit, & nihilominus experientiam testem omnes producunt. Sed quid si in cani-

canibus hic, in cuniculis ille, tertius in homine, quæ affert, viderit? Quid ſi in quolibet horum triplex ad ubera reperiendus canalis? Hæ, ſimilesque ſuſpiciones locum forte invenirent, niſi varia ſe illis opponerent, veritatis ſpeciem longè majorem præ ſe ferentia argumenta. Sed hac de re plura, ſi Deo placuerit, in reſponſione ad Everhardum, in cujus gratiam, ut eadem obſervarem, ſumptibus non magis peperci, quam labori, cuniculorum omnem varietatem ad cultri examen revocans, ſed quò plura hoc in caſu tento, eò lymphaticorum Tuorum clarior refulget veritas. De veſicula fellis, quæ in corvo obſervata ſcripſi, paulo forte fuerunt obſcuriora, negavi quippe hepati accumbere, & tamen hepati jungi dixi. Ideo autem hæc duo putavi diverſa, quod in reliquis, quæ aperire mihi contigit, animalibus veſica non modo fibrillis quibusdam hepati jungatur, ſed eidem media fere ſui parte accumbat ſecundum longitudinem ejus ſuperficiei communi quadam pellicula connexa, hic vero unico tantum ramo hepati adhærens reliquo ſui corpore undique libera ſacculi inſtar oblongi ſe mihi exhibuerit videndam. Sed nec M. A. Severini obſervatio de vicino cordi hepate in omnibus corvis videtur locum inventura,

cum

cum in hoc etiamſi parvo multisque in locis adhuc implumi auriculam dextram inter & hepar aliquot digitorum fuerit intervallum. Cordis motum, cujus tum memini, accuratius ut examinarem, tum varia, quæ aliud agenti, quærentique ſe per intervalla obtulerunt experimenta, tum aliæ quædam rationes occaſionem dederunt: quo fine in fibras cordis diligentius inquiſivi, de quibus, ſavente divina gratia, brevi tractatulum curabo edendum cum adjuncta reſponſione ad Everhardi rationes, & Deuſingii Blaſiique convitia, quorum ultimus, amicâ Tuâ interpoſitione ſepoſita, quas ante biennium præter propter ad Te dederat literas, feriis proximis Nativitatis Chriſti publicam in lucem emiſit, ubi, ut taceam quæ in me evomit admodum amarulenta, circa ductus iſtius deſcriptionem, Ideæque Med. Gen. interpretationem ſex & ultra committit Anatomicos errores, utpote qui ne quidem ex mea deſcriptione verum iſtius ductus vel ortum adhuc addiſcere potuit, vel exitum. Ad crebras alvi excretiones excedentem bilis copiam multum facere non dubium eſt, minus certum an ad easdem aliquid conferre poſſit veſiculæ bilariæ ſitus profundior, utut eſt, non in hac tantum ſed & in aliis avibus eundem fere veſicu-

læ

læ ſitum, bilariorum verò ut & pancreaticorum vaſorum numerum ſemper obſervavi eundem. Quid in mure, glire, fele, variisque boum uteris obſervatum, ab amicis, ut puto, jam tum audiviſti, ut & de bile inſipida, nec non de hernia uterina in utroque canis inguine reperta. Cygnus, quem hiſce diebus aperui, varia exhibuit, præ cæteris mirabar in utroque linguæ latere tredecim præter propter numerari oſtia in eadem recta linea ſita, quæ ſingula & preſſa ſuccum emittebant, & ſtylum admotum ſatis recipiebant profundè; 2. totam ingluviem, ſed & ingluviem ſupra œſophagum, innumera exhibere oſtiola, unde nullo negotio ſuccus exprimebatur, in ingluvie albicans, aqueus in œſophago; 3. in membranas pulmonum à coſtarum extremitatibus procurrentes fibras carneas, diaphragmatis forte abſentiam ſupplentes: adderem cætera, niſi ab amicis, qui una aderant, crederem ſignificata. In humano cadavere Blaſianos errores circa ductum ſalivæ ſuperiorem hiſce diebus detexi, ſed & quæ in oculis brutorum obſervata deſcripſi vaſa, in ejusdem hominis oculis manifeſtè notavi, tum ex glandula oculi exteriori in tunicam palpebræ ſuperioris interiorem pergentia, tum à punctis lacrymalibus patentia

tentia in nares, de glandula vero lacrymali dicta, nihil licuit observare. Equinum caput, ut alia varia satis egregia, sic & in cerebro quædam in aliis mihi non visa exhibuit, ut in ventriculo nobili plexum choroidi similem, in hoc ut & ipso choroide affusam vasis substantiam glandulis simillimam; in pineali magnitudinem quidem satis conspicuam, sed colorem exterius nigricantem, interius cineritium multis fuscis maculis distinctum, usque adeo jam omnia audent omnes, ut ne ipsam quidem animæ sedem intactam relinquat atra bilis. Sed equis fortè id familiare; idem enim etiam in altero, quod inde secui, equino capite deprehendi. Certè quo plura tum aliorum animalium, tum varii generis avium aperio cerebra, eo minus animalibus convenire ingeniosissima & actionibus animalibus explicandis admodum aliàs conveniens cerebri animalium à Nobiliss. Cartesio excogitata fabrica videtur. Id quod aliarum rerum in cerebro observatarum expositione ostendere facile esset, nisi eædem observationes, cum maximam partem fuerint vespertinæ nec raro nocturnæ, multum adhuc noctis in se haberent, nisi eædem propter ordinarias occupationes interruptæ, multas multis in locis ostenderent lacunas; nisi denegatus mihi Pluti favor

favor id egiſſet hactenus, ut ex iis, quæ plurima in eum finem indies video agenda, pauciſſima præſtiterim. Sed fovenda hæc ſunt, donec otium & opes acerbos modo fructus ad maturitatem quandam perduxerint. Vale Clariſſime Vir, & favere perge.

Tibi

addict.

diſcip.

Raptim Leidæ A. 1663.
5. Mart. Nicolao Stenonis.

EPISTOLA LVI.

De conario nigricante. Superfœtatio rara. Mictio periodica puerperæ. De funiculis umbilicalibus brutorum.

Nicolao Stenonis Leidam.

PRo variis obſervationibus Anatomicis miſſis, quæ elegantes ſunt, & manus tuæ mentiſque promptitudinem produnt, quid rependam, non invenio. Mirum mihi viſum, quod vena cava abdominis evacuetur in inſpiratione; niſi fiat id compreſſione vicinarum partium in inſpiratione compreſſarum, tuæ conjecturæ primæ acquieſcerem, nam ſi pulſione negotium eſſet

conficiendum, videre non possum, quomodo tunicas venæ in thorace, satis densas, pervadat aër ut vel pellat vel impleat. Sed ad plures observationes suspendendum est judicium. D. *Hoboken* impressas Epistolas pro *Blasii* defensione ad me misit, doleoque quod irritus fuerit meus conatus irenicus. Nigricans conarii color mihi videtur *Cartesii* sententiæ favere, quia species externæ in cubiculo clauso parieti rectius clariusque repræsentantur, quam in lucido, quod in retina oculorum tunica quoque videmus. Possunt igitur in conario nigricante animales species repræsentari, nisi is color sit morbosus, aut Equi, quorum capita aperuisti, minus sani. Ex nostris observationibus pauca reddere possum, quæ vestræ diligentiæ respondeant. Raram tamen superfœtationis historiam novissimam dabo. Anna mulier urbana, quæ in mitris mulierum nostrarum conficiendis occupatur, post festum Michaëlis ultimum, abortum exclusit solitis doloribus prægressis, ramanente tumore quodam, quem pro hypochondriaco affectu interpretabatur. Frustra ad putaticium morbum varia Medicorum auxilia sollicitavit, cottidie enim aucto in majorem ventre, mense hoc sanum alium vivumque fœtum natum vidit. In bruto-

rum

rum genere crebriora vidi exempla, cui multiplex fœtus familiarior. Quia in muribus multa, uti narras, obſervaſti, ſcirem libenter qualem in gravidis uterum inveneris, & an muſculos in utero matris contentos aliis muſculis prægnantes unquam videris, ſicut ſcribunt *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Ælianus*, aliique. Hactenus ego nihil tale obſervavi, ut forſan dicendum ſit, ita crediſſe veteres propter copiam murium & fœcunditatem. In uno quidem nido ſubinde magni parvique muſculi unius matris reperiuntur, an verò hinc illa diverſitas dependeat, vel quia ſæpius mus parit, dicere non poſſum. Quia circa prægnantes puerperaſque verſamur, omittere non poſſum nuperum caſum, qui Medicorum nonnullorum induſtriam & curam fatigavit. A partu difficillimo, quo pedes fœtus primum vi extracti, nobiliſſimæ fœminæ in urbe noſtra, lotii viæ lædebantur. Exulceratæ partes iterum quidem temporis longioris intervallo conſolidationem admiſerunt, ſed ſtatis vicibus lotii incontinentia puerperam urget, eo nempe momento diei, quo fœtum difficilem fuerat enixa. Jam verò poſt longa tædia, iſtud incommodum evaſit. Inſolita mihi viſa eſt hæc periodus, nec ſatis de cauſa conſentimus,

adeò multa cottidie occurrunt circa hæc ſacra, quæ admirari ſatius nobis eſt quam rimari. Jam ab equis ad aſinos, ab homine ad beſtias deduco calamum, ut Tibi pro ampla Epiſtola, nonnihil refundam. De funiculis enim umbilicalibus brutorum incidit jam cogitatio, data per villicum meum occaſione, qui ipſo hoc momento vituli cujusdam fatum deplorat. Scilicet præter umbilicales arterias, venam & urachum, duo alii funiculi minores tenuioreſque ex umbilico progredi ad meſenterium, illiuſque ferè centro infigi in catellis deſſectis à me obſervati fuere non ſemel, quos etiam notavit *Adrianus Auzotius* Epiſt. ad *Pecquetum*. In vitulis quoque eoſdem aliàs vidi. Ad ſuſtinendum abdomen in prono animalium inceſſu factos à natura prius ſuſpicabar. Sed funeſtam hanc fabricam deteſtantur villici noſtri in vitulis, quamprimum ablactati ad fœnum tranſierint, creduntque vitio evenire vaccarum, ſi, poſtquam taurum admiſerint, flagris cædantur. Cordatiores Veterinarii ex inguine reſecto extrahere ſciunt & reſecare. Alii ad curſum incitant vitulum, ut vehementiori motu ex ſe rumpantur funiculi. Plerumque tamen atrophia fatiſcunt animalia & ablactata mo-

moriuntur, quia ingesto fœno satis abdomen distendi nequit, funiculis hisce constrictum. Sed hæc forsan à meo calamo aliena putabis, quia ad colonos spectant. At scias, has me jam cogitationes versare, ut relicto urbano strepitu, in villa ocium quæram, & vir bonus fiam: Si enim credimus *Catoni* de R. R. majores olim Romanorum, virum bonum cùm laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam, bonumque colonum, amplissime laudari existimantes, quia ita laudabatur. Diatriben meam De Pulmonibus Tibi misi in fasciculo Horniano, Centuriis enim Epistolarum Te itineri accinctum onerare ausus non sum. Deus Te cum Comitibus, quos officiosè saluto, ducat & reducat. Vale, mi Stenoni, & me Tuum crede. Hafniæ raptim 7. April. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LVII.

De Pulmonum Usu. Puris pleuriticorum per lotium & alvum expurgatio. Glandulæ Pinealis defensio.

MARTINO BOGDANO Bernam.

PRioribus ad Te XXII. Aug. anno priori scriptis, fideique Hauboldianæ concreditis, has superaddo; quod sciam gratum esse Tibi quicquid ab amicis venit. Misi fasciculum cum Hauboldo Tibi tradendum, libris nonnullis ex prelo nostro nuper emergentibus farctum, quem æqui bonique facies. Prodeunt his nundinis vernalibus Centuriæ duæ priores Epistolarum Medicinalium. *Malpighium* addo, cujus observationem illustravi, & authoritate tam veterum quam novis experimentis confirmavi. De substantia loquor. Nam quæ de Usu novo sanguinis miscelæ affert, dubia habent. Cur enim non sufficit cor ad miscelam, in quo amplior cavitas, quo chylus & lympha confluunt? Nisi perfectiorem fieri hic dicamus, propter innumeras vesiculas exiles, ut pulmones sint cordis percolatorium instrumentum, vel mistorium, sicut in abdomine hepar est pro ventriculo. Fluxibilitatem sanguini ab albo hu-

humore fieri, negare non possumus, quatenus scilicet lympham habet admixtam, sicut id de sero *Hippocrates* prodidit, quod est ὄχημα αἵματος. Aëri id tribuit in pulmonibus *Backius*, quia aër, etiam in peripato primum humidum vocatur. De Tubulo ex pulmonibus avium ad abdomen protenso quæ scripsi in testudine magna confirmantur. Refert enim *Gassendus* in Vita Peireskii, asperam arteriam testudinis ramulos quosdam ad renes & vesicam usque producere. Similes in homine si demonstrari possent, prompta foret via qua pus pleuriticorum per lotium expurgaretur, & materia in abdomine contenta per tussim expectoraretur, in qua observatione desudat *Merletus* Medicus Parisiensis, qui expurgari concedit, sed vias ignorat. Multæ certè viæ in corpore sunt, adhuc nulli notæ, præter Naturam, quæ in vivis patent, & in Crisi naturæ patentes, humorum μεταςάσεις admittunt. Utinam omnia evidenter nobis aperirentur & vela ob oculos posita tandem removerentur. Nuper grandæva mulier pleuritica septimum feliciter superavit, sine venæ sectione, copioso alvi fluxu leni purgante provocato. Sine dubio hic similes vias elegit Natura, quibus pus expellitur. Utinam eas aliquando diligentior manus feliciorque detegat.

Nobis in posterum non licebit esse tam beatis, quia manum de ista tabula removimus, aliisque non invidentes quibus Natura procari voluerit. Strenuè his exercitiis occupatur industria *Stenonii* nostri, qui indies nova experimenta facit, præter illa quæ publicis typis leguntur. Inventionem Ductus Salivalis exterioris illi dubiam facit Cl. *Blasius*, quam sibi brevi publicè vindicabit. Ego amicum utrumque reconciliare conatus sum, sed frustra. *Deusingius* ad Hepar meum Defunctum aliqua reposuit, quæ primæ naves mihi afferent. *Bilsius* Pythagoricus est, & silet. Ejus labyrinthi descriptionem aliam & diversam invenit apud nos *Paullinus* junior. Pater ejus, *Simon Paulli* noster, valetudinarius fuit ex divulsione scapulæ sinistræ molesta, quæ diu optimum Virum exercuit. Quando per otium licuerit, in Flora Latina augenda totus est. Nescio an ad vos pervenerit *Cartesii* opus posthumum *De Homine*, ingeniosius forsan quam verius. Ad conarium enim omnes actiones animales referuntur. At *Stenonius* noster glandulam hanc in equinis capitibus nigricantem observavit, qui color speciebus in cerebro repræsentandis non videtur satis idoneus, nisi obscuri cubiculi exemplo eum tueamur. Imminuitur quoque ejus glandulæ dignitas, quod

&

& arenulas & calculum exiguum ibidem invenerit *F. Sylvius*, Leidensium Æsculapius. Imò ipse *Schylius*, Cartesii interpres & fautor, cujus opera Homo Cartesianus natus est, in præfatione diffiteri non potest, lapillum ibi repertum fuisse, qui plusquam dimidium glandulæ occupabat. Dici tamen posset, morbosam hanc glandulæ constitutionem nihil naturali derogare. Nimium enim sibi in hoc corpusculo blandiuntur Cartesiani, quibus solida illa voluptas invidenda non est. Mulier quædam apud nos ossa infantis per umbilicum & ilia excrevit nuper, quæ concepisse fertur A. C. 1643. Scripsi hac de Re Dissertationem, quam mittam ubi lucem viderit. Aliàs plura. Tu, mi Bogdane, cum lectissima conjuge & Clariss. Collegis *Rege & Wilhelmo*, vive diu, & me ama semper Tibi addictum. Hafniæ 6. Mart. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LVIII.

Dubitatio de Fœtu Mussipontano. De Hydrope nodoso.

JOH. DAN. HORSTIO Darmstadium.

QUanquam magnæ res non occurrant, quibus calamum impleam, eunte tamen Francofurtum Hauboldo, sine literis abire nolui, ut Te, amicorum optime, pro fortunatis renati anni auspiciis, salutarem & alloquerer. Ex officioso, etiam otioso, constantem amicitiam æstimabis. Valemus adhuc omnes, ad Dei nutum, & Te Tuosque omnes valere optamus. Centuriæ duæ priores Epistolarum Medicinalium jam se publico sistunt, nescio an bonis avibus. Quicquid merebuntur, Tibi aliisque acceptum referent. Pauca enim ego ad opus illud contuli, non quod ad singulas Epistolas non responderim σχεδίως, sed quod exemplar responsoriarum mihi non reservaverim. Posthac tamen ero cautior, quanquam repetitum calamum non mereantur, quæ stans pede in uno sæpe effudi. De Fœtu Mussipontano rumor ad nos defertur, quod figmentum sit ingenii cujusdam otio suo abundantis, & forsan Medicis illudentis. Certa id ad nos fide perscriptum, ut gaudeam, quod

quod de fide Historiæ ante dubitarim, quam sententiam meam ad Te perscriberem. Quicquid sit, impostoribus publicis malè precamur, neutiquam illis, qui imponi sibi passi sunt, ut in re difficili ingenii vires periclitarentur. Quid præterea agam, Hauboldus referet. Pulmones illustravi, ita ut in ventos penè abeant, & vesiculas, quales quoque in Chamæleonte & Testudine marina eleganter descripsit *Jo. Faber* in Hist. Mexican. Expositione ad Cham. Mexican. Ut planè evidens sit, nec nova prorsus, nec absurda protulisse *Malpighium*, quia & apud veteres, in diatribe à me adductos, & recentiores clara vesicularum vestigia prostant. Brevi novam de insolitis partus viis Dissertationem promitto, prelo vicinam. Ne sterilis sit Epistola mea, hydropis nodosi exemplo nupero, tuam lectionem provocabo. Nobilissima Matrona hydropica nostræ curæ commissa, tandem tumidum abdomen sudore frequenti, quem sumpto Unicornu nostro suasimus, superavit, Deoque & nobis gratias egit. Sed, quanquam læta diu hac sanitate gauderet, perpetua non fuit gaudii optati possessio. Nam de sanitate illius dixerim, quod de pace olim *Naso* l. V. Trist. El. 2.

Pax tamen interdum est, pacis fiducia nunquam.

Sen-

Senſim unius alteriusve anni decurſu noduli in abdomine ſuborti, qui primò exiles, moleſti generoſæ menti non erant, at ſumpto incremento, animum ægræ non parum commovebant. Mobiles erant, hinc inde per abdominis regionem diſperſi velut in campis tumuli, doloris expertes, nullo colore à reliqua cute diverſi. Conſultus iterum de hoc affectu, judicavi ſeroſam colluviem glandulis omenti abſorberi, hasque in tumorem elevatas cutem abdominis inæqualem reddere. Ut omentum incuſarem, facilè mobilitas tumorum perſuaſit, nec aliam partem ibi divinare potui, vel mobilem, vel glandulis refertam. Et glandulæ, quia vaſa lymphatica recipiunt, ſerum posſunt coacervare, & nodulos tales efformare. Ut id certius ſuſpicarer, fecit *Hippolitus Boſcus* Lect. 1. de Facult. Anat. p. 17. qui obſervavit A. 1580. in cadavere mulieris Hydropicæ intra propriam tunicam multas veſiculas per ſe aquam continentes per omenti ſubſtantiam diſperſas, eodemque anno mulieri cuidam, apertâ in regione umbilici vomicâ, excidiſſe vidit partem omenti ejusmodi veſiculis refertam. Hi noduli tandem increverunt, & ad tactum doloris præ ſe ferre ſenſum, unde, quanquam auxilio noſtro non defuerimus, malè ominari nos metus imminentis tandem ſcir-

rhi,

rhi, huicque ſuccedens cancer cöegit, quæ tamen mala catarrhus prævenit, quo ſuffocata ampliſſima bona fratribus reliquit. De ſcirrho metum confirmavit mulier melancholica apud magnum Parentem Tuum *Greg. Horſtium* ſect. II. Epiſtol. p. 453. cujus omenti glandulas ſcirrhoſas & induratas in cadaveris eviſceratione deprehendit *Streiterus*. Hæ meæ fuere de nodulis hiſce ſuſpiciones, quas nec oculis luſtrare potui, nec manibus ſatis, niſi per induſium, palpare. Neque enim credidi eſſe fungos boletos, quos ubertim in ſectis hydropicis in parte abdominis interiore Neapoli reperit *M. A. Severinus* de Abſceſſ. c. 2. §. 2. quia hi extra abdominis ſuperficiem non eminebant. Nolo plura, niſi ut valeas diu & vigeas publico bono, meque porrò ames ex aſſe Tuum. Vale. Hafniæ 10. Mart. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LIX.

De curatione Hypochondriaco-Scorbutici.

Friderico Hammerico Elſingoram.

IPſo hoc momento tuas accepi, quibus amici utriusque Dn. Matthiæ Martini affectum

affectum signasti, meumque de eo consi-
silium pro veteri amicitia, quæ nos inter-
cedit, exquiris. Quanquam verò ea qua
cœpisti methodo, iisque remediis signatis
indicationibus abundè, quæ tua est soler-
tia & experientia, satisfacere possis; tamen
quia meum etiam de illis judicium petis,
paucis & in amici Medici, & Affinis ægri
gratiam, meam sententiam aperiam. Quan-
tum symptomata memorata indicant, credo
adhuc affectum esse Hypochondriacum &
Scorbuticum, à cujus vaporibus ex mesen-
terio, liene, &c. elevatis, & dyspnœa ori-
tur, & insomnes noctes dependent. Igitur
obstructio mesenterii lienisque, mali ori-
go, tollenda, quod commodiore medica-
mento fieri non posse credo, quam vino
medicato, aliàs præscripto, vel Tua po-
tione pectorali purgante, in qua tamen
forsan augenda esset dosis foliorum Senæ,
quia per vices assumitur. Hisce nonnihil
insistendum, & propter lienem, dulcia
vitanda. Nec dissuaderem venæ sectionem
in corpore plethorico viribus adhuc con-
stantibus, post usum vini medicati vel po-
tionis. Emetica non ausim suadere, pro-
pter metum suffocationis. Ejus loco cly-
steres carminativi sæpius iterati magis com-
modi forent & opportuni. Demum, quod
caput negotii est, Scorbuti quoque haben-
da

da ratio est, quem à Te neglectum video. Igitur præmissis aperientibus supra laudatis, & instituta venæ sectione, sudores commendarem, sive in lecto sive laconico, exhibitis sudoriferis, quæ Scorbutum quoque respiciunt, qualis est Aqua antiscorbutica seu *Quercetani* seu *Wormii* officinis nostris usitata, qua & eliciuntur superflui corporis cacochymici humores, & Scorbutus jugulatur. Cætera tuæ prudentiæ relinquo, à Deo curæ Tuæ prosperum successum precatus. Meretur sane æger integerrimus omnem Medici curam, & sanam vitam, quam ex animo ipsi opto, & Tibi omnia felicia. Vale & me ama. Raptim Hafniæ 28. Mart. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LX.

De editione Hollerii. Galenicæ Medicinæ laus.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

POst tot ab humanitate tua accepta beneficia, non alius quam ingratus esse possim, si taceam, & saltem gratum animum non ostendam Tibi, Amicorum meorum

rum principi. Scribo igitur ut ſcias me Tui memorem vivere ac valere. Si vales bene eſt, ego quidem valeo: ſed ut verum fatear, longior ac frigidior hyems tædium mihi adfert. *Aretæus* Græco-Latinus *Petri Petiti* lentè procedit, ſed tandem ad finem perveniet: ut & *Hollerius* de Morbis Internis cum Scholiis *Hollerii*, *Lud. Dureti* Enarrationibus & Annotationibus: ac *Ant. Valetii* Exercitationibus: Quibus ſingulis nova hac editione ad completationem magni operis, accedent *Jo. Hautin*, Med. Pariſ. celeberrimi Commentarii & Obſervationes ſelectæ: quum ad umbilicum pervenerint, utrumque ad Te mittam. Tandem veſter D. *Fleſcher*, poſtquam ex atrociſſimo acerrimoque affectu convaluit, nempe dyſenteria maligna, atrabiliaria, peneque lethali, ac ex tanto morbo per 4. menſes roboratus fuit atque recreatus, de repetenda patria cogitavit, & pro temporali illa, ad æternam penetravit: poſtquam enim curſoriis equis, media hyeme frigidiſſima, ad Icium portum, vulgò Calais pervenit, ex immodico labore in ſumma frigiditate anni, Vir delicatus ac teneræ valetudinis, in febrem continuam incidit, quæ hominem 3. die ſuffocavit: cujus caſum infelicem ſeriò lugeo: ſed nimis verum eſt illud *Martialis*, ingenioſi Poëtæ.

Nullo

Nullo Fata loco poſſis excludere, quum Mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia eſt.

Dnum Legatum veſtrum *Annib. Seſted* ab aliquot diebus ex affectu cholerico decumbentem curavi, & Deus ſervavit. Veſtrum quoque Sereniſſimum Principem ſalutavi, qui me opiparo prandio etiam excepit, mihique præbibit. Oeconomus ipſe D. Legati, tuo nomine me ſalutavit: ut & ejusdem Secretarius, ambo amici tui. Quando apud Dn. Legatum fient faſciculi in Daniam mittendi, unum quoque Tibi reddendum ſuperaddemus, ex iis omnibus quæ hic nobis occurrent, & quæ ſpero Tibi profutura, vel ſaltem placitura. Heri ante prandium inviſi, cum Filio meo *Carolo*, Dominum veſtrum Legatum, cui obtulit ille librum ſuum, *Fulvii Urſini* de Familiis Romanis à ſe adauctum, & magna acceſſione locupletatum: alterum exemplar regio more compactum tradidit etiam Dn Legato, pro Sereniſſimo Rege veſtro. Tertium quoque obtulit Sereniſſimo veſtro Principi, qui gratum habuit munuſculum, nosque ſecum ad prandium retinuit. Exemplar Sereniſſimo Regi veſtro deſtinatum apud me decreveram ad Te mittere, ſed Dn. Legatus hoc omne in ſe ſuſcepit: idcirco in tuo faſciculo unicum reperies exemplar, quod tuum erit, à Filio

X meo

meo *Carolo* Tibi oblatum; quod ut grata accipias mente, etiam atque etiam rogo. Ex amore in noſtram familiam D. Legati, ut & veſtri Principis, quidquid inde in poſterum redundabit, Tibi debebimus: *ideoque* dicam cum *Ovidio*, *Gratia Muſa Tibi:* gratias amiciſſime & chariſſime *Bartholine*: imò etiam gratias Tibi, optime *Galene*; vobis quoque colendiſſimi Præceptores *olim* mei, & viri optimi, *Joannes Durete*, *Petre Seguine*, *Nicolaë Pietræe*, *Michaël de la Vigne*, *Renate Moreau*, *Andrea du Chemin*, à quibus Galenicam benè medendi Methodum edoctus, nunquam niſi melior receſſi, indeque ſaluberrimam Artem feliciter exercui ab annis 40. ſummo popularium commodo, ſine fraude & impoſtura, ſine fuco & fallacia, more majorum, absque Stibio, Gilla Theophraſti, & aliis venenis Chymiſticis: paucis remediis contentus, Sena, Caſſia, rheo, manna, quandoque compoſitionibus ſcammoniatis, Diaphænico & aliis ejusmodi, cum Syrupo roſarum ſolutivo, & de floribus mali perſicæ, de cichorio comp. cum rheo, & omnium noſtrorum remediorum principe, nunquam ſatis laudata propeque divina Venæ ſectione, cujus ope acutiores morbi feliciter debellantur, atque profligantur. Sunt & nobis in uſu & ad manum alia præſidia, ſed quæ
rarius

rarius usurpantur, qualia sunt Balnea, & thermæ, aëris & loci mutatio, lactis species omnes, aquæ metallicæ: quæ quidem singula quum magis pendeant ab experto, faciunt secundum ordinem remediorum, & duntaxat in morborum depulsione easdem vires obtinent quam turmæ auxiliares in exercitu. Hic habeas munusculum, nempe calculum argenteum, sive numisma, cusum in meo Decanatu, ex Decreto Facultatis: quod ut grato animo accipias, enixè precor. Aliàs alia scribam. Interea, Vir Cl. vive, vale, & me ama. Parisiis, die Lunæ, 18. Martii 1663.

Tuus ex animo

Guido Patin.

EPISTOLA LXI.

Errores in Bibliotheca Lindani. De Febrifugo Perdano. De Pedibus Phthisici.

GUIDONI PATINO Lutetiam.

MAximo gaudio me affecerunt binæ literæ per Nobiliss. Biermannum mihi traditæ, eò inprimis nomine, quod Te,

amicorum ocelle, & valere & vivere & me adhuc amare significarent. Deus porrò Te servet in Reipubl. Medicæ ornamentum. Grata mihi fuit promissio *Aretæi*, à Cl. *Petito* editi, *Hollerii*, *Fulvii Ursini* à filio Tuo eruditissimo missi & aliorum operum quæ doctæ vestræ officinæ pariunt. Ex nostris promittere pauca possum, quia tardiores sunt operæ nostræ, & difficilius ad vos mittuntur, alioqui misissem Centurias Epistolarum, & alia. Cl. *van der Linden* editionem ultimam de *Scriptis Medicis* accepimus, valdè auctam, sed doleo hinc inde errores irrepsisse. v. g. cum *H. Ernstii* nostri Catalogum Bibliothecæ Mediceæ Florentinæ, pro Medica substituit. Malè quoque diversa nomina facit *Andreæ Kragii* & *Krugii*. Kragius enim unus fuit, Medicus insignis, & Academiæ nostræ Professor, Frater *Nicolai*, qui de Republ. Lacedæmoniorum præclarum Commentarium edidit. Decepit verò *Lindanum* in Cista Medica *Hornungus*, ubi vitio Typographi *Andreas Krugius* scribitur. Alia taceo, quæ inscio authore doctissimo & benè merito irrepserunt. Habeo *Rhodii* nostri *Celsum* cum variis lectionibus & Lexico, quem publico destinabo, si suaseris. Thesin Lipsiensium de Pulvere Febrifugo Peruano, cujus mentionem facis, non vidi. Vidi tamen

men nuper Vindicias *Rolandi Stürmii* Delphis impressas 1659. in quibus pulveris istius usus variis observationibus comprobantur. Utinam promissis semper responderet eventus, & securum certumque antifebrile haberemus. Fecimus hic ejus pulveris experimentum, & ex duplici tertiana simplicem fecimus. Aliàs plura, jam enim urget tabellarius. Unum tamen addam, antequam finio. Ordinem fluxus certum humores corporis nostri servare, statasque fluendi vices habere, ex febrium varietate constat, qua pituitam singulis diebus repetentem in febre cottidiana, bilem alternis in Tertiana, Medicorum Galenicorum, quorum Te Principem æstimamus, constituit. Certas autem partes vel hanc vel illam humiditatem occupare, inter perpetua Naturæ præcepta necdum scio receptum esse. Aliquid tamen in hanc rem observavi in juvene Hafniensi, Consulis filio, magnæ spei, de qua ingeniosi porrò cogitent. Phthisicus erat cum febre hectica, & mirantibus nobis die 8. Maji pedes tumere visi, dexter quidem tumore œdematoso, quem ex pituita solemus derivare, sinister erysipelate; quod bili imputamus, ut adeò pes hic ruberet, ille pallesceret. Salutant Te officiosè fratres mei, D. *Simon Paulli* & *Wormius*, reliquique eruditi, qui Patinum

venerantur. Vale diu & diu vive. Officiosè saluto Cl. Tuum filium. Hafn. 21. Jul. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXII.

De rubore cancrorum, & Terra solari.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

AMicissimæ & omnis reconditæ Eruditionis nectare imprægnatæ Exc. T. Litteræ præterlapsi anni mense Aug. exaratæ & finitis nundinis autumnalibus Lipsiâ Uratislaviam mihi allatæ, locupletissimi testes fuerunt exoptatæ promptitudinis & benevolentiæ singularis, me numero illorum, qui diffusum & per totam Europam sparsum nominis Exc. T. lumen venerantur, & propius absque metu Icarii lapsus accedere audeant, accensitum fuisse. Saxeus licet nomine non tamen saxeum & ferreum mihi pectus, ut non emollitus & tam liberali responsione, ceu blando solis calore fotus, animus gaudio quasi diffluere videatur. Optarem modo, ut in me terram adeo excultam & dispositam ab Exc. T. dispersi radii invenirent,

nirent, quo fructus exinde pronascentes Erudito Orbi non aspernabiles forent. Interim cum (quod absque omni adulationis pompa seriò à me dici scias Vir Exc.) nostrum seculum feracissimum sit quidem Ingeniorum selectissimorum quæ publicæ utilitati student, sane Te magis Curiosum, Te magis laboriosum, Te magis difficilioribus Naturæ arcanis enodandis feliciorem agnoscit Germania & adjunctus Septentrio neminem, quod tot singularia Tua scripta per totam Europam cum applausu suscepta, tot Tua itinera cum summo Rei Medicæ fructu confecta testantur. Gratulor ergo mihi, imò toti nostro Collegio pro impetrata imo oblata adeundi licentia, ut, dum per prærupta & angusta & spinis implicata ad Augusta Naturæ Templa repere contendo, per Litteras Exc. T. instar fidæ Hegemonæ consulere, ut feliciter Labyrinthos eluctari possim, concessum fuerit. De Anglorum laudabili instituto & initâ Eruditissimorum Societate præter Exc. T. jam ab aliis audivi. Vocari illud Collegium Experimentale & instructissimum tum Collegarum, ad 150. numerum ascendentium, tum sumtuum à Magnatibus munificentissimè assignatorum pondere. Hinc facillimè in Exc. T. sententiam descendo, longè majora exspectanda ex fertilissima fertilissi-

 morum

morum ingeniorum Anglia, quibus tam totus Orbis per navigationes patet, ut Naturæ antra extra mare, & in mari *latentes* recessus felicius & facilius perscrutentur, quam impensæ suppetunt per plurima *ignis* experimenta Artis beneficio Naturæ favissam excutere. Constricti contrà nobis in Germania termini, constricta Magnatum marsupia, & dum pleræque Magnatum Aulæ vino intempestivè profuso madent, imò inundantur, Heliconii latices exarescunt. Quare si Cothurnus ob prædictas causas Collegio nostro adaptari nequeat, Socco erimus contenti, dum

—— tenui modulamur avena.

Quæ de Gammaris Exc. T. subjunxit singularia, & ea singulari gaudio perlecta & à me excerpta sciat. Utinam ad proposita problemata Oedipus sim non Davus, & inprimis de colore Astacorum coctorum. An quod potentia rubor insit crustæ? Sed qui rubor dum terrea & salina crusta dum adhuc multa humiditate distemperatur videri nequeat, antequam ignis beneficio humiditas illa planè absumatur, nativus color sese prodat. Nam & in iis Astacis, qui sub antiquatâ crustâ novæ crustæ rudimentum gerunt, eandem tunicam ruberrimam sub cocto tegmine conspicimus. Sal autem coctionis

nis tempore additum intendere & augere ruborem, dum igni ſocius humorem aqueum cruſtæ ſulphur diluentem & quaſi obfuſcantem magis adhuc exſiccat & abſumit. Sic & flamma Sp. Vini, dum eo aſtaci vivi aſperguntur, ruborem evocat. Reliqua ut ſuis locis inſerantur & enodentur, pro virili dabo operam, aut anſam aliis Curioſis præbebo penitius acutiore & lyncea ingenii acie rimari ea, quæ cæcutienti mihi denegata. Interim cum laboribus meis Cancrinis non Cancrinis ſed eruditis aliquot verſibus gratulatoriis finito quamvis nondum opuſculo applauſum dederint Amici quidam faventes, idem ſummi Honoris & Benevolentiæ Suppondium prioribus ut addat ab Exc. T. aliquot verſuum transmiſſione flagitare auderem, niſi nimia importunitate in urbanitatis Leges peccare viderer. Sed dum hæſito, vellit mihi Cynthius aurem, animum titubantem confirmat, ut Exc. T. Favonio aſpirante fretus, naufragii immemor

—— ſecurâ naviget aurâ.

Dum per hoc hiemale tempus Olai Wormii rerum naturalium peritiſſimi Viri Muſeum mente perambulavi, invenio Exc. T. præter alia plurima Singularia etiam diverſis ex Italia allatis Terris mirandum hoc Naturæ gazophylacium locupletaſſe. Si tam pre-

tiosæ purpuræ laciniam annectere auderem, transmitterem futuris vernalibus nundinis speciem Terræ Solaris, quæ in aurifodinis Silesiæ invenitur & diversa est ab *illa* axungia Solari & Lunari f. Terra Sigillata Silesiaca. Duplex illa Terra Solaris, una quæ propè Reichenstenium ex adjacente monte olim aurifodinis (quibus Aurei Asini nomen) decantatissimo eruitur subpallidior, altera quæ prope oppidulum Zuckmantel lutei coloris est, & si per retortam humiditas per se abstrahatur, purpurascit. Adstrictoriæ facultatis est cum vi alexiteria, nec inconveniens pro Tinct. extrahenda cujus mentionem feci Ampelograph. pag. 62. Append.

Antequam manum charta summoveam, unum addere placet. In Cent. 6. obs. ult. Hist. Anat. Rar. Exc. T. mirum & ante inauditum Naturæ portentum producit, Embryonem scilicet prægnantem. Inauditum in specie humana fateor. Lusisse tamen & alibi Naturam eundem lusum testis est Euseb. Nierenberg. in Hist. Nat. l. 6. c. 2. in Hispania Equam peperisse Mulam alia Mula gravidam. Exc. T. quoque notissima Naturæ Ludibria in Regno vegetabili, ubi dum producitur fœtus seu fructus quorundam Limoniorum, prægnantes illos edit, quale Limonium

nium prægnans describit Cl. Wormius Muf. 2. 28. f. 206. & ante ipsum observavit Doldius in Cist. Med. Hornung. c. 245. ubi pomi exigui interioris cortex quoque flavus, medulla albicans, & succus suis distinctus loculis. Adeo polydædala Natura nunquam otiosa est, sed Curioso Spectatori indies ab Antiquis non percepta proponit miranda rimanda.

Vale vir Clariss. & tam Publico quam Tuis mihique diu vive, & ulterius studiis meis qualibuscunque fave.

Vratislav. Silesiorum 21.
Mart. 1663. Mag. Exc. T.

Cultor devotissimus

Philippus Jacobus Sachs
à Lewenheimb Ph.
& Med. D. A. C.

EPISTOLA LXIII.

De rebus variis imprægnatis.

Philip. Jacob. Sachs Uratislaviam.

MItto Epigrammata bina extemporanea in laudem Libri Tui & Collegii illustris, idque ut Tibi gratificer, & monstrem quanti

quanti Te Tuumque Collegium faciam, ad majora officia ſemper paratiſſimus. De cancro tuo præclarum Commentarium poſthac expectamus, ut circa difficilia problemata porrò erudiamur, quibus enodandis parem Te in laborioſa & eruditiſſima Vite vinifera monſtraſti. Jam igitur, quia ſummo Tuo merito & felici omine Phoſophori nomen in Collegio Illuſtri meruiſti, gammarum publico bono profer & quod Luna ſolet, quando plena eſt, vacuum eruditione plenus imple, ut etiam hac acceſſione Rempublicam literariam augeas. Terra ſolaris illa, cujus ſpem facis, inter rara mea numerabitur. Habeo ejus aliqua fruſta ex Ungaria nobis allata, quæ cum tuis conferam, ubi ſteteris promiſſis. Equam gravidam mulâ gravidâ ante ex *Nierenbergio* obſervaveram, ſed neſcivi an propria vel aliena fide id narretur, quum pauca alioquin ſuæ Naturali Hiſtoriæ ex propria experientia interſerat. Limonium prægnans ipſe vidi. Et ovum gallinaceum alio ovo gravidum monſtravit mihi in Auguſto ſuo Muſæo Sereniſſimus Rex noſter. Quod de Equa *Nierenbergius* narrat, de muribus produnt uno ore veteres, *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Ælianus*, quos probabili aliqua ratione defendit vel excuſat magnus *Licetus*. Quidquid ſit, multa ſunt quæ vel ignoramus,

mus, vel, quanquam cognita, ſine ratione ſcimus. Tu interim, Vir Excellentiſſime, vale, & naturæ arcana pro virili ſcrutare, meque, quod facis, conſtantiſſimè ama. Hafn. raptim 10. April. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

Impreſſ. Lipſ. & Vratislav. 1665.

EPISTOLA LXIV.

Contra Lactea & Lymphatica Vaſa inſtantiæ.

Thomæ Bartholino Hafniam.

ADeò incredibili gaudio ſuaviſſimæ Tuæ me affecerunt, ut verba deſint, declarandi illud modis, ut ajunt, digniſſimis. Ideò quam raræ avis ſobolem nullus non eruditorum in Te, Viro veluti conſumatiſſimi judicii, humanitatem admiratur, Paradiſicam ego ſcrinio pectoris incluſam venerabor. Cæterum cum placet anniverſario literarum colloquio amicitiam cœptam olim, recolere, nolui ab incepto recedere, ſed accepta appropinquantium Nundinarum Fran-

Francofurtensium occasione, pensum earum continuare, annexa hac saltem prece, ut, si forte intempestivè accessero aut minus commode verba fluxerint, iterum iterumque ignoscas. Sanè nihil gratius mihi accidere potuisset limatissimis resolutionibus Tuis ad dubia de lacteorum & lymphaticorum usu, quibus, quotiescunque me clinicum agere jubet ἀσπάθεια mea, & delector & reficior. Sed ne putes me, quas objectiones adnotavi, ex selectis Tuis extraxisse, facile videbis, & ut factum video fuisse, multa plurimaque ex istis Riolani, Hemsterhusii, Conringii, Rudebeckii, Horstii, & quorundam, qui eadem de re in literis mecum egerunt, esse, quibus tamen sine nominis mentione honorifica vel ideo usus sum, cum ambigerem utrum ex sua aut aliorum mente essent profecta, maximè, ceu bellè notas, quod in rei novæ usu assignando dies diem doceat. Censuræ autem Tuæ multùm tribuo, & utinam citra æruginem tolerarentur ab omnibus, inprimis qui non hanc modò sed & magistralem illam Acolaneam, patere quæso, ut jocer, optimè merentur. Unum tamen, ni grave fuerit, atque alterum, cujus uberiorem explanationem opto, adferam. In primo dubio, ubi scripseram, non omnia ex alimentis quæ assumun-

muntur opus habere, ut in chylum mutentur, cum partes in illis satis aptæ ut nutriant, ista mutatione excludantur, notas 1. nihil per arterias ventriculi attrahi, sed per venas quicquid esset trahi. 2. refectionem autem ejusmodi non sufficere reali indigentiæ partium. Ego vero hoc ipso thesin infractam adhuc agnosco, vim restaurativam solas per lacteas non statim ad cor deferri, cum tuo etiam calculo, per venas quasdam ad cor perveniat, quamvis non videam, cur tale alimentum spirituosum & aëreum ab arteriis ventriculi hauriri non possit, nisi adeò usque malè Tibi videatur scripsisse Galenus, quum ἀρτηρίας sua è partium poris frigidum ad se attrahere perhibet; id quod multo magis in interioribus partibus fieri est credibile, quæ magis calent, & ut alicubi differit Hippocrates, cum exiccantur, id quod famis tempore pariter accidit. Quid nomines realem partium instaurationem, non satis percipio. Si enim ad corpus respicio, ecce & humorosa & spirituosa partium solidarum etiam substantia per humidum istud aëreumque realiter instauratur: Si ad vires verò, tunc oppidò nulla similiore nutrientur. Præterea facilè differentiam observabis effluvii istius alimentitii extrinsecè paribus attracti,
&

& quousque huc ſpectet. Nolo enim *prolixus* eſſe in re clara, Niloque aquam infundere. Si pepercerint Parcæ filo *vitæ* meæ, de nutritione inſtantanea illâ, *aliqua* luci dabo. Ejusmodi hiſtoriæ generali *de* Humoribus immiſcui, nec dubito, quin ſerena fronte exemplar, quod offero, accipias.

In ſecundo non video, queî, ſi ſyncope iſta ſtomachica Dd. conſenſu ſtatuitur à vellicatione oriri, aut, ſi mavis, à ſolutione continui, percipiunt enim ægroti morſum quendam & laborem circa orificium ſiniſtrum, nervi ſint illæſi. Scio *inediam* non vellicare, nec famem, ſed cauſam famis, quam utrum vaporem an acidam materiam aut aërem vocemus, non erramus. Conſenſus non eſt materiæ tantum ſed & generis ſocietate, connexionis & operis. Quidam juvenis annis aliquot abhinc ſclopeto dorſum pedis ſauciaverat, ſuboriebatur dolor cum inflammatione ingens, ſuccedebat ſyncope & convulſio maxillæ inferioris κατ' ἴξιν affecto pedi oppoſita, brevi gangræna ſuccedente moriebatur. Materiam hic accuſare vix poſſumus. Condolent nervoſa nervoſis: Cauſam particularium convulſionum lymphaticarum genuinam ignoro.

Tertio

Tertium, Quartum & Quintum apprimè placet calculo Tuo confirmatum. Antipatri exemplum ſaltem theſin munit, non omnem inæqualitatem pulſus chylo arteriis communicato adſcribi poſſe.

Sextum illuſtras exemplis jucundiſſimis; neſcio tamen, ubi piſtoris mei hiſtoriam uſui tuo accommodas, utrum avidè ingeſtus cibus copioſus, celerrimè propter aviditatem cordi infundatur. Johannes Major S. S. Theol. Doct. & P. P. nec non Superintendens h. l. 82. annorum, lumine privatus annos aliquot ante obitum, cæterum viribus & mente optimè valens, poſt ſumtam cœnam extemplò deſiit. Conſimiliter Diaconus h. l. M. Wilhelmus Wallichius, ſenex, ſanus & integer, comeſtis ſub cœna duobus ovis coctis induratis, librum ex muſæo petiturus, exanimis corruit vitamque claudit. Flatuum multitudini & vehementiæ multum debemus, in ſenibus præſertim & quibus debilis ineſt calor, aut viſcera obſtructa, reſpiratio non ſatis libera, ut in phthiſicis & aſthmaticis. Bennetti Theatrum nondum ad noſtras pervenit manus; utinam Tua cura unà cum Everhardi Medioburgenſis & Sylvii Leidenſis ſcriptis ad nos perferri poſſet, vel duplo ære redimerentur.

Septimum auctoritate nititur Hippocr.

& Galenic. Sed obſerves velim ἀτροφίαν illam eſſe particularem, deinde diſtorſionem vaſorum non, ſi dicere licet, extra *dorſum*, ſed in dorſo deliteſcentium. *Deinde* locus iſte de eventu & ſolutione loquitur.

VIII. Ideo oppugnavi, quia dantur ſtrumoſi, ſano invento meſenterio. Deinde quod de lacteis ad collum pertingentibus adhuc nihil certi oſtendatur. *Conſtat* autem Tibi, Riolanum in reſponſionibus velle partes quaſdam corporis nutriri chylo, & hinc finxit lacteas per totum corpus diſpergi. Cæterùm chylo plurimum ſuſtentantur ſtrumæ, etiamſi non lacteæ *ad* illas excurſu ſuo pertingant.

XII. Usque quaque ſapit. Nec enim Tibi dica ſcripta hæc eſt, imò nulli, ſaltim optavi majus φαινόμενον. Ἀδίδακτος ἡ φύσις καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιεῖσθαι. Hæc invia etiam penetrat, & ignotas nobis vaſorum ἀναστομώσεις, cum eſt opus, aperit.

XIII. Vicinitas lactearum renalibus comprobari debet. Diuretica ſtrictè dicta & Cantharides, tum ſpontè, tum recta ad renes & veſicam deſcendere, in dubium revocat Rolfinccius, à quo ſalutaris honorificè. Hic ſpuria pleuritide penè extinctus fuiſſet, ſed in integrum reſtitutus optimè valet. De hoc problemate alio die ſcribam.

Quæ mihi circa XIV. occurrant, de natura ſeminis, aperiet Tibi Schola mea partium, quæ jam jam ſubjicietur prelo. Quæ verò de mictu calculorum ſaxo duriorum notas, rara ſunt, incantationi tamen ita ſimpliciter non adſcribenda. Exiſtimaverim ego, æquè in microcosmo generari poſſe quæ in macrocosmo fiunt; Dari corpora vitri fraxellis, putaminibus ovorum, pilis, filis &c. ſimilia. Hypochondriacum nobilem habui, qui ſæpius cum excrementis ingentem calculorum & oſſium copiam reddebat. Paſtor quidam ſeptuagenarius, ad 20. annos, certis intervallis ſeptimanarum, oborto prius cruciatu circa umbilicum inſigni, reddebat omnis generis excrementa referta ſabulo, corticibus ovorum, oſſiculis, vitro, filis, cæterùm ſuo munere perfungebatur optimè, quæ ab incantatione profecta ſibi imaginabatur, id quod pro fabula habui.

XVII. Si chylus reſtagnans poteſt in flatus converti, & tumor ventris derepente factus multo melius huic quam illi vitio imputabitur. Aſcitis nunquam eſt ſine flatu. Queî ventriculi non poterit in aſcite imbecillitas adeſſe, ſi calor cordis à ſero debilitetur?

XX. & ſeqq. Non adeò dilucidè pro-

posita extant apud hos, quos nominas. Deusingius erudite disputat, sed collectiones non sunt καθ' ὅλε. Hic vir, scripturæ admodum deditus, sæpe sibi contrariatur. Quid lis ista inutilis sibi velit, jecur sanguificare pariter cum corde, capere non possum. Optarem in re clara bellum non faceret. Vellem adcuratè retunderentur ejus dubia. Stenonis asserta infirmo stant talo, posse etiam chylum fractis lactearum claustris, aut quiescente animali, ubi valvulæ non sunt ita attensæ, ad jecur adscendere.

Sed meum est non obtundere *pluribus* Apollinem Tuum, cujus oracula magni semper à me habentur. Potius vehementer oro, ut æqui bonique consulas, quæ in buccam & calamum mihi venerunt. Tuo de favore & candore ingenuo non dubito. Concedat Deus vitam Tibi longissimam, quo tua ope uti nobis potestas crebrior fiat. Vale Decus Medicorum & Ocelle Fautorum, tuæque voluntati me addictum redama. Jenæ ips. Calend. April. 1663.

Illustr. & Excell. Nominis Tui

admirator dum ero

Joh. Theodorus Schenck. D.

P. S.

P. S. Historiæ humorum ultima pagina defecit, hinc ejus copiam habebis Nundinis Lipsiensibus futuris.

EPISTOLA LXV.

Responsio ad instantias, cum variis observationibus.

Joh. Theod. Schenckio Jenam.

AD instantias Tuas, nescio doctas magis, vel magis amicas, in procinctu respondeo quam brevissimè. Ignosce, quod sine proloquio ad Te redeam, quem scio, sine verbis sesamo & papavere aspersis, facillimæ esse admissionis; nec ambagibus amicitiam, sed candore æstimare. Arterias quicquam ex partibus, cui inseruntur, exsugere, nec ipsi *Galeno* credam, quia alium arteriosi sanguinis cursum posteriores observationes docuerunt. Famis tempore exsiccatas attrahere, veteri dogmati est conforme. Taceo tractionem illam suspectam reddi à subtilioribus seculi nostri Philosophis, quos nec tueor nec damno. Mei sermonis institutum fuit, sine aliis ambagibus per novas vias cordi suppeditari necessariam citamque refectionem.

Si arteriæ Tibi concedendæ, certè prolongabitur iter per venas. Nos autem de brevissima via cogitabamus, qua alimenta, ad veram partium nutritionem, quam realem instaurationem vocabamus, cordi inferuntur. Vaporosa effluvia rerum reficere possunt, non verè nutrire, nec in futurum prospicere famelico corpori & emaciato. Cocus nidore ciborum reficitur, rarò saturatur, rarò quoque senescit, quia subitaneæ illæ refectiones per vapores inflant magis quam nutriunt. Hinc *Hippocrates* l. 1. Vict. Acut. panem calidum comestum repentinam repletionem, & sitim inducere scribit, tum tardè ex ventre descendere, & corpus flatibus distendere. Videmus certè calidas sorbitiones citius satiare, quam frigidas, quia vapores calidi citius penetrant. Rationem inde peto, cur calidi panes valentius nutrire dicantur, quam frigidi, apud *Athenæum* Medicum, citante etiam *Oribasio* l. 1. Collect. c. 9. non quod caliditas concoctionem solum promoveat, sed quia vapore calido citius ad partes ferantur. Damnum tamen inferunt, quia facilè excandescit corpus, & refectio constans non est, vaporibus facilè evanescentibus, quibus intumescunt partes, ut laudabilem nutritionem mentiantur.

In

In Syncope ſtomachica an ſimul afficiantur nervi ſtomachici, non diſputo. Id ſaltem liquet ad ſyncopen non reſpicere. Cerebri enim commercium foret, non cordis. Nervorum ſtomachicorum alium uſum laudat veſter *Mœbius* c. 10. Fund. Med. quem laudandum cenſeo. Fibrarum connexiones multum poſſe ad conſenſum mutuum, non iverim inficias; at materiæ & liquorum communionem plus poſſe, indubiè credo. Utrumque in exemplo tuo occurrit. Convulſio enim maxillæ nervis pedum læſis debetur, ſyncope verò malignæ materiæ, ex gangrænoſo pede per venas ad cor adſcendenti. Ex hoc materiæ commercio epilepſiam ex bubone peſtilenti ortam vidimus. De Paralyſi quoque exemplum addam. Muſici vidua grandæva Roeſchildiæ nuper obiit, quæ primo paralyſi unius manus, mox utriusque comprehenſa, deinde perpetua aliquot annorum ferè ſputatione materiæ craſſæ & glutinoſæ vexabatur, quæ tandem poſt levem à cœna deambulationem, translata pituita vel pituitoſo alimento ventriculi ad principium nervorum, motuque illuc concitato, in Apoplexiam terminabatur, ſicque fiduciâ ſecundæ valetudinis mulier oppreſſa. Eodem materiæ vaſorumque conſenſu ex colica biliosa paralyſin &

 con-

convulſiones in Nobili obſervavi. Alius poſt largum potum paralyſi oculorum & convulſione manus fatum evitare non potuit. Materiæ copioſæ vitium fuiſſe, copioſus vomitus teſtabatur, quam vaſorum communioni imputamus.

Atrophia, quam à ſpina torta interne ex *Hippocrate* deduxi, quo ſenſu Tibi ſit particularis, non ſatis divinare poſſum. An quia de pueris ſermo? Vel quia corpus ad ſpinam augeri non ſoleat? De pueris id *Cous* præcipuè pronunciavit, quia humiditatibus abundant, quibus luxationes accelerantur. Simili malo & adultiores patent ſi ſimilis cauſa interna concurrat. Si denique ſpinæ regio augeri non poteſt propter vaſa lactea compreſſa, damnum univerſo corpori erit commune propter vaſorum communionem, quanquam in ſpinæ iſto tractu manifeſtius appareat tabes. Quod ſi ſenectutis annos alii attingant, macie tamen confectum corpus perpetuo circumferunt ex data ratione. Cætera non capio.

Strumoſos eſſe ſano meſenterio contra *Riolanum* olim defendi. Inter exempla tamen novimus, ſcrophulas colli cum meſenterio ſtrumoſo. Vetera non tango. Audiamus noviſſima. Apud *Henricum Roonhuſium* in Obſervat. Chir. Belgic. part 2.

p. 167.

p. 167. juvenis 14. Dec. 1656. universum collum strumis obsitum habuit Amstelodami, cujus cadavere aperto, mesenterium universum strumis inventum & viscera pectoris repleta. Narrat de Virgine nobili, biliosa, macra, scrofulis multiplicibus vexata *Paulus Barbette* in Prax. l. 2. c. 2. quæ fatis cessit, febre continua continuo illam emaciante, in cujus cadavere aperto repertæ sint mille ultra glandulæ minores, majores, à faucibus ad os pubis usque, ejusdem coloris, flavi scilicet, quem aperta cute oculis objiciebant scrophulæ in collo. Junguntur igitur nonnunquam in uno corpore diversis in locis scrophulæ, sed non credo dependentiam. Ex inventis novis lux pauca affulget, quam veteres ignorarunt. Lacteæ enim thoracicæ in mesenterio exortæ, colli venas ingrediuntur, an autem immediatè chylum suum glandulis colli infundant, juxta tecum dubito. Mediate verò id fieri per circulum, non equidem negarim, sed tum non magis strumæ in collo enatæ à mesenterio dependent, quam in reliquis partibus, quæ succo chyloso nutriuntur. A jugularibus autem lymphaticis ortum & incrementum scrofularum colli majore specie veri deduxit in nupera Anatome Anat. Bilsianæ c. 8. Doctissimus noster *Jac. Hen. Paulli*, quum pro

Cathedra Anatomica publicè & masculè disputaret.

Diuretica strictè dicta & Cantharides recta ad renes & vesicam descendere *evidenti* experimento edocemur, quia illas partes exulcerant, non alias. Tantoque est Cantharidum cum vesica conspiratio, ut viderim in amico ægro, vesicatorio ex cantharidibus nuchæ imposito, urinæ difficultatem ortam. Infusum autem cantharidum integrarum observavi non semel in suppressione lotii, urinam provocasse, aliis nihil prorsus promoventibus. Quæ omnia si damnare velit *Rolfinccius*, Magnus ille Æsculapius Germaniæ, vacillare nos omnes coget, qui tanti Viri Oracula suspicimus. Quicquid verò futurum sit, Deo sit laus, qui summum Medicum à mortis limine revocavit, longiore vita, si quis alius, dignissimum.

Mictum calculorum saxo duriorum an ab incantatione dependeat semper dubitavi, quia parum magis sagisque soleo tribuere, quanquam nuperum in Norwegia exemplum rerum alienarum, pilorum, plumbi, acicularum &c. per vomitum rejectarum incantationis veritatem videatur stabilire. Silices verò in corpore generari, difficilè inducor ut credam, quos in macrocosmo observamus. Igitur si huic illive incanta-

tio

tio abfuit, certè fraudis ſuſpicio non defuit, quâ ſuas artes ſagæ magique tuentur.

Tumorem ventris repentinum ſolis flatibus nolim aſſcribere, ſi quidem materia conjuncta fuit, quæ ſerum ſuppeditare potuit. Flatus tamen conjungi potuerunt, qui in Aſcite rarò deſunt. Quod de ingeſta cereviſia dixi, confirmatur hiſtoriâ à *Jo. Rhodio* noſtro Cent. 3. Obſ. 4. allatâ. In cadavere enim mulieris A. 1625. in valetudinario Patavino hydrope mortuæ, nullius viſceris aderat vitium: Solus humor ſeroſus à nimio potu mali cauſa deprehendebatur, quem largius ingeſſerat. Si flatus ſolos tecum admitterem, non conſentiret æger, qui fluctuantem humorem in abdomine ſenſit, & aqua laconico expreſſa convaluit. Non ea eſt facies in tympanitide, ubi ſoli flatus regnant. Ne mihi diffidas, in memoriam revoco Tibi ancillam hydrope tympania denatam apud *Smetium* in Miſcellaneis Medicis, in cujus cadavere diſſecto, univerſa inteſtina, adeoque ventriculus ipſe flatu diſtenta inventa ſunt, & ferè excrementorum prorſus vacua. In nobili quoque Patavino, teſte *Saxonia* Præl. Pract. part. 2. c. 27. omnia inteſtina flatu erant plena citra ulla excrementa. Ventriculum affici tandem quis dubitat? Nec ex verbis meis colliges exemtum eſſe

huic

huic incommodo, quia apertè professus sum, tandem in mali commercium trahi. Neque aliter credendum, quia compatiuntur omnia viscera inferiora inter se, & cum his superiora. Cætera quæ minus de Utero dilucide proposita suspicaris, ad accuratiores observationes amandabo, quia necdum singula ita nobis revelavit Natura, quin scrupuli supersint in animis eruditorum, quos nemo hactenus satiare potuit. Futurum aliquando auguramur, ut hæc aliaque dubia manifestius nobis pateant. Lento enim gradu progreditur Natura, ne universa unius seculo exhauriatur. Quod si tantum arti Anatomicæ adjicietur à posteris nostris, quantum nos majorum defectum supplevimus, ante mundi occasum perfectam artem sperare mortales possunt. Interea orbis eruditus paratis & hactenus inventis fruatur, donec accessione aliorum augeatur scientia. Multa Tu, mi Schencki cum Collegis Clarissimis *Rolfinccio* & *Mœbio*, quos officiosè saluto, ad naturæ artisque perfectionem contulisti, plura additurus, si Deus vitam valetudinemque, quod ex animo precor, diu concesserit. Vale, amicissime Schencki, & longiori epistolio ignosce. Multa quidem ad doctissimas tuas instantias reposui, sed paucissima forsan quæ eruditæ tuæ curiositati satisfaciant,

pluri-

plurima tamen, ſi animum metiaris diffuſa voluntate Tibi addictum. Hafniæ prid. Cal. jun. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXVI.

De Operibus edendis.

Thomæ Bartholino Hafniam.
ADOLPHUS VORSTIUS S. D.

QUod, rebus regni Daniæ, Vir ampliſſime, in integrum reſtitutis, ſuperatoque bello difficillimo cum Rege vicino, pace fruamini exoptatiſſima, & seriò vobis gratulor, & longè mihi eſt jucundiſſimum, vel tua inprimis etiam cauſa, quem inter veteres fidosque amicos numero inter præcipuos. Tui mores meo allubeſcentes genio, ſingularis tua eruditio ac varia ita penitus meo hærent infixa animo, ut, quanquam in ſcribendo, per ingraveſcentem ætatem meam, fiam Lentulus ac ceſſator ſæpe magnus, nunquam tamen non Bartholini mei cum voluptate recordor, & ad

ad extremum usque ſpiritum ſum recordaturus. Video te quotidie præclaris tuis ſcriptis famam extendere cœlo. *Ignoravi* tamen in hanc usque horam, quâ hæc *ſcribo*, te epiſtolarum ſelectarum duas edid*iſſe* Centurias, niſi Vir Excellentiſſimus, mihique multis nominibus perquàm charus, Doctor Wormius, ab Italica & Gallica peregrinatione redux, patriamque à *nobis* repetens id me hodie monuiſſet. Inſpicere mox volui librum, &, inſpecto eo, deprehendi me quoque principibus Achivis permiſtum. Neſcio autem utrum tanti ſint epiſtolæ illæ meæ, ut prelo ac *typis* mererentur committi: quippe non eo fine cùm ſint ſcriptæ lucem uti aſpicerent. Vir Doctiſſimus, Olaus Borrichius, qui jam ferè à biennio tuas mihi attulit litteras, modeſtia ſua atque doctrina varia, minimeque vulgari, ita ſe mihi probavit, ut nullius indigens fuerit commendationis, qua tamen amicum tuum ac Collegam ornare voluiſti. Amavi mox virum primo congreſſu, &, ut Græciſſem, ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην. Digniſſimus ſanè amari eſt, nihilque de eo ad me perſcripſiſti, quin virtus id ſuperet illius. Doleo eum ſæpius cum adverſa valetudine conflictari, quod fatum ferè eſt literis nimium pertinaciter incum-

ben-

bentium. Hac quoque de causa accidit, ut rarius ad me viserit, qui tamen consuetudine ejus summopere semper fui delectatus. Indignor seriò, quoties cogito quàm indignè habitus fuerit in editis publicè scriptis à Gröningensi Deusingio; quem nescio quæ intemperies exagitent, quod viros optimos ac immerentes sinistris suis suspicionibus gravet, semet Censorem constituat omnium eorum qui vel in Medicina, vel philosophia, aliquid seculo nostro de suo impartiunt. Si meis paternis fidem adhibuisset monitis, abstinuisset hinc manus, nominique suo ac famæ consuluisset melius. Sed quid agas istis hominibus, qui monitores ipsos, post sana suppeditata consilia, etiam impetunt? DEUS illis det mentem meliorem ac pacis tranquillitatisque amantiorem, ac desinant tandem lutum luto repurgare, cogitantes quid à nobis exigat ἡ ἀγάπη, quæ non est suspicax, neque injurias & maledicta maledictis ulciscitur. Steno vester, juvenis egregius & summæ exspectationis, modestius hîc sese gerit. Utinam Tertulliani istud meminissent ij, qui, tacti vel levissimè, mox ad arma convolant iracundè, calamumque stringunt succo loliginis atro imbutum. Ait is Pater Latinus egregiè: Si apud Deum deposueris injuriam, ipse ultor est: Si damnum,

mnum, reſtitutor eſt: Si dolorem, *medicus* eſt: Si mortem, reſuſcitator eſt. Mittamus ingrata hæc, & querelas de *hodierni* ſeculi ſcriptorum faſtu, animique *impotentia*. Nemo læditur, ut Stoici non *malè* opinantur, niſi a ſemet ipſo. Quæris quo ſtatu ſint res meæ; id verbo dicam: non malo, per Dei clementiam, imò optimo. Vegetus pro ætate ſexaginta & ſex *annorum* etiamnum ſum; doceo publicè *aliqua* adhuc cum laude; ſcribo etiam ac paro privatim quæ alteri ſeculo prodeſſe queant. Dabo luci propediem, ἂν θεὸς ἐθέλῃ. Philothei commentarium Græcum in *Aphoriſmos* Hippocratis; quem habeo *Ms.* ex Bibliotheca regia Pariſienſi. Epiſtolas itidem meas ſelectas, & Orationes aliquot varii argumenti colligo, ac publico deſtino. Neque de Theophraſto edendo omnem depoſui curam; modo exemplar ejus collatum cum Mss. Romæ ex Bibliotheca τοῦ μακαρίτου Holſtenii nanciſci mihi concedatur. Fecerat mihi ſpem ejus obtinendi ipſe Holſtenius; at morte præventus, promiſſum exſolvere non potuit. Audio eum Bibliothecam ſuam Chriſtinæ, Suecorum olim Reginæ, legaſſe. An verò ab ejus humanitate Codex ille impetrari poſſit, videro, viamque aliquam tentabo. Scripſi ante annos complures, cum adhuc

ſceptra

ſceptra regni ſui teneret, Epigramma geminum, Græcum pariter & Latinum, in tantæ tum exiſtimationis Principis laudem honoremque. Si quis hujus memoriam apud eam renovaret, fortaſſis benevolentiam hac in parte ejus experirer. Legiſſe id ac probaſſe, ex Nicolao Heinſio, Dan: filio Doctiſſimo, qui per id tempus Holmiæ in Aula vivebat, mihi conſtat ſaltem. Te cum tuis valere, & prelis quotidie operam dare ac defatigari, lubenti animo percepi. Perge, mi Bartholine, iſtoc modo orbi litterato tua, quæ amo & probo, propinare. Horti Acad. plantarum Catalogum auctiorem, ſi vitam conceſſerit vitæ noſtræ necisque Arbiter ſummus, dabimus ac transmittemus futuro autumno. Satis longa epiſtola ultus jam ſum diuturnum nimis ſilentium meum. Deſino itaque, & te, vir amiciſſime, valere ac vivere feliciter à Deo immortali opto, qui tuus & vivam quoad vivo, & moriar. Lugd. Bat. 1663. 14. April.

Obiit ipſo hoc anno menſe Octobr. Medicus hic χαριέστατος, Floræ decus, Muſarum delicium, ſummum amicitiæ noſtræ ornamentum.

EPISTOLA LXVII.

Officiosa Epistola.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

VEneratur Bononienſis Univerſitas celeberrimæ ſapientiæ tuæ monumenta, Vir Excellentiſſime, & ego inter publicos hujus Archi-Lycæi Profeſſores minimus plurimum admiratus fui eximiam præclariſſimæ Dominationis tuæ in Medica facultate & potiſſimum in Anatomica obſervatione experientiam, ut ſæpius mihi optaverim occaſionem devovendi Dominationi tuæ præclariſſimæ obſervantiæ meæ obſequia & ſimul aliquam contrahendi inter nos literarum familiaritatem, ut cognoſcere poſſem ſpectatiſſima quæ hactenus in lucem edidiſti facultatis medicæ oracula, quoniam pauca, licet electiſſima, ad nos usque pervenerunt. Tandem voti me compotem fecit, ſumma Perilluſtris & Generoſi Domini Milleri humanitas. Hujus præſtantisſimi juvenis Domini mei fidelibus inſignis in te obſervantiæ meæ teſtimoniis credere non recuſet, quia pluribus benigniſſimam patientiam tuam gravari non audet in præſenti animus; plura percipiet ab eodem præclariſſimo Miller, omnia in augmentum

tum amicitiæ contrahendæ, atque in famæ tuæ gloriam nunquam interituram respiciant: Plurimam interim fortunæ tuæ & votorum tuorum prosperitatem ex corde precor & me protestor

Perillustris & Exc. Dominationis Tuæ

addictissimum, obsequentissimum & fidelissimum servum
Raimundum Maria de Pistorinis.

Bononiæ 17. Ap. 1663.

EPISTOLA LXVIII.

Laus Bononiæ.

Raimundo Mariæ de Pistorinis Bonon.

AMplissimas Tibi gratias ago pro oblata per literas amoris plenas & officii amicitia, auro contra æstimanda. Inter urbes Italiæ Musis deditas Mater Studiorum Bononia semper & patrum & nostra memoria caput extulit, & Tu inter ejusdem eruditos Doctores. Agnosco pronum tuum in me animum, sed nimio officio peccas, & me meaque scripta pluris æstimas quam reapse meremur. Nonnunquam perituris chartis aliquid illinimus, non ut secula ferat, aut eruditis ex asse satisfaciat, sed ne nihil

 egisse

egiſſe videamur. Audebunt tamen in poſterum confidentius aliorum conſpectum ſubire quæ meditamur, quia Tibi & ſubacto tuo judicio placent. Indicem eorum, quæ prela noſtra hactenus fatigarunt, mitto, quia eam mihi pro naſcentis amicitiæ jure neceſſitatem impoſuiſti. Onus certè ut amplum judicio veſtro, ita reapſe grave mihi ac ſolicitum, dum enim nos cura poſteritatis exercet, conſumimur, & voto citius poſteritati adſcribimur. Solabitur temporum querelas tuus favor, & animum addet, ne contagione ſeculi vim & ſpiritum amittat. Quicquid futurum ſit, obfirmabimus animos, & conſtantia involvemus, ad quam tua amicitia animabit. Quid Malpighius veſter in Re Anatomica porrò meditetur, te interprete, ſcire aveo. Denique ne longior ſim, ad vos, Deo fortunante, iturum Nobiliſs. Frid. à Lente, amicum noſtrum magnum & Magno Parente natum, de optima nota Tibi commendo. Dabis id honori Parentis, Regii Cancellarii, ſpectatæ virtutis fidei, dabis amicitiæ, quam illibatam Tibi repromitto, ut eo favore excipias juvenem ad magna natum & ſurgentem, quem à tuo candore expecto. Vale, Muſarum ornamentum, diu bono publico vive, meque amare

amare perge prorsus tuum. Hafniæ 29. Julii, 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXIX.

De Scorbutici curatione ulteriori, & nævo puerili.

Friderico Hammerico Elsingoram.

EX amicissimis tuis literis intellexi, amicum nostrum optimum Matthiam Martini adhuc de pectoris difficultate conqueri, nec multum sublevatum iis remediis, quæ communicato consilio suasimus. Interim tamen magna spes affulget ex sanguine misso, & subsecuto inde levamine. Sanguinis consistentiam laudabilem animadverto, nec putredinis indicia fovere, superficies tamen scorbutum indicat, & seri copia, cui ea propter omni studio occurrendum. Hactenus quidem parcior videtur fuisse in usu antiscorbuticorum, quia palato minus grata sunt, in posterum tamen, te consentiente, suaderem continuum usum. Et quia præcedentibus medicinis præparatum jam satis habet corpus, sudores commodè suc-

cedent in laconico, ſi lectum refugiat, aſſumta prius, ante ingreſſum, aqua antiſcorbutica. Pediluvia neſcio an ex uſu *futura*, quod attrahant plus ad tumidos *pedes*. Spero detumeſcere poſſe poſt ſudores *in* laconico procuratos. Cucurbitulas ſcarificatas rectè rejicis, quia ulcera periculoſa in pedibus ſcorbuticorum. Quia primarium ſymptoma, quod jam urget, eſt dyſpnœa, eaque meo judicio proveniat a vaporibus ſcorbutici abdominis & hypochondriaci, unde & ſomnus ille inquietus & in ſella ſumendus, præter clyſteres ſubinde repetendos carminativos, ſuaderem quoque *ſub*inde ante horam ſomni conſueti pilulas Tartareas Quercetani & de Ammoniaco, ut à capite & pectore revellantur vapores blandeque evacuentur. Præterea aquam Carminativam ſæpe ſumendam conferre credo flatibus diſcutiendis, quibus diaphragma premitur & ſomnus turbatur. Denique motus corporis vectione & aëris mutatione ſereno cœlo omne punctum feret. Nolo de vino medicato repetere, quia averſum illius animum percipio. Decoctum quoddam mihi oſtendit Chriſtina Trönnera ſibi à Dn. Chariſio pro dyſpnœa communicatum ex Fol. Senæ, Rhab. Agarico, Manna, Glycyrrhiza, quod improbare non auſim, hac tamen cautione, ut parcior mi-

minorque ſit doſis, deinde ut corrigentia, inprimis carminativa, augeantur. Deus optimo Viro ſanitatem reddat, quod ex animo voveo. Nævum illum in capite filiolæ Illuſtris veſtri Holckii quod ſpectat, crediderim tutius auferri poſſe ſolâ ligaturâ arctâ fili fortis vel chordæ teſtudinis, qua interceptio fiat ſanguinis affluentis, adeoque ſublato nutrimento tali tandem facilè contabeſcat. Ne verò ſanguis affluere conſuetus interiorem quandam partem obruat, præcavendum levibus frictionibus revellentibus. In ſcapula verò qui tumor adeſt puerulo alteri, ſine magno periculo poſſet amputari & reſecari, ſi peritum Chirurgum fuerit nactus. Pauca hæc amiciſſimis tuis literis reſpondere volui breviſſimè, quia plura negocia nos jam diſtrahunt. Tu vale, mi Hammerice, & me ama, officioſiſſimamque ſalutem nuntia laudatis ægris Tuis noſtri amantiſſimis. Raptim Hafniæ 24. April. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXX.


Nova Musculorum & Cordis fabrica.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

APologiæ Prodromum Nicolao Kragio transmisi Tibi offerendum, spero ritè curatum. A Clarissimo Sylvio disputationum de novo impressarum, aliarumque de febribus exemplaria quædam accepi amicis offerenda, quos inter cum nemo mihi sit, quam Tu, Celeberrime Vir, majori veneratione colendus, hisce diebus Hafniam petenti amico tradidi Tibi exhibenda. Cætera, in cordis & musculorum versor scrutinio, sperans brevi, si sufficiens isti labori otium fata permiserint, me utriusque fabricam cum figuris absoluturum. In musculis quæ observavi, an ab aliis fuerint notata, Tua me infinita docebit lectio. Tacebo vasa, quæ necdum nisi pauca, eaque non magni adeo momenti exhibuerunt; quod vero fibras eorundem spectat, elegantem earum mirari satis nequeo structuram. Quamlibet solam considerans fibram, carnosam in medio, in utraque extremitate videbit nervosam, id quod & satis vulgare, sed omnium junctarum compositio mihi visa rarior. Carnosa namque portio non ab

uno

uno musculi extremo versus alterum recto ductu extenditur, sed inter latas tendinum expansiones fertur transversa, ita quidem ut carnosarum singulæ parallelum inter sese observent situm. Si enim ab uno musculi extremo versus alterum fieret secundum fibrarum ductum sectio, hæc se manifestam sistet structura.




AB Tendo per unam musculi superficiem se expandens.

CD Alter tendo per oppositam se superficiem diffundens.

EE Carnosa fibrarum portio inter utramque expansionem extensa.

Integri aliàs simplicisque hæc est fabrica.




GH unius tendinis expansio.

IK expansio tendinis oppositi.

LL carnosus venter.

Sunt & muſculi compoſiti, iique generis non unius, elegantiſſimi mihi viſi, quorum fibræ hôc modo diſpoſitæ.



P. tendinum alter qui in duas finditur expanſiones, ſuperior una verſus Q diffunditur, alter inferior verſus R ſe expandit.

M. alter tendo, qui per medium ventrem ſuas diſpergit fibras.

Ab N ad O & porro inter mediam & duas exteriores oppoſitas expanſiones parallelo ductu feruntur carnoſæ fibrarum partes.

Nec omittenda videtur quæ cuilibet muſculo peculiaris membrana, cujus fibrarum ſitus transverſus & inter carnoſas fibras diffuſio non parum ad motus explicationem conferre videtur. Sed de his, ut & de ſpeciali quorundam notatu digniorum muſculorum fabrica brevi plura, hæc enim tantum obiter Tibi volui ſignificare, ut, ſi quid de illis a Te vel ſectione obſervatum, vel lectione, liceret Tua informatione gaudenti, tum laboris compendium facere

ſum-

ſumptuumque, tum deſcriptionis rationem ſecundum Tua dictata dirigere. Quod ſubſtantiam Cordis ſpectat; evidenter, ut opinor, demonſtratum dabo, nihil in corde reperiri quod non reperiatur in muſculo, nec in corde deſiderari, quod in muſculo invenitur, ſi illa reſpexeris, quæ ad muſculi faciunt eſſentiam, id quod & de auriculis patebit verum. Erit & inde manifeſtum, nullas in corde dari fibras vel rectas, vel circulares, vel, ut Veſalius deſcribit, obliquas, ſed unius omnes generis eſſe, ſimplices puta, quales in quolibet alio reperiuntur muſculo, in eo tantum à reliquorum quibuſdam differentes, quod non ſecundum rectam lineam extendantur, ſed, ubi à baſi conum verſus oblique deſcenderint, iterum ſuperiora verſus dirigant curſum. Omnium autem, ut ſpero, fibrarum utramque ex autopſia determinabo extremitatem, ſimulque monticulorum ſeu lacertulorum uſum, valvularumque ortum, numerum, motumque, & vaſorum naturam ſpectantia non pauca. Videbunt hinc adverſarii Tui, qui figuras in Anat. Tua reformat (edit. Lugdun. an. 1651.) p. 245. expreſſas ſyſtolen cordis & diaſtolen nobis exhibentes exiſtimarunt, evidenti rationi è diametro repugnare, ſe ante victoriam ceciniſſe triumphum, cum ex

ex fibrarum structura resultans *actio* ibidem evidentissimè exprimatur. Sed fefellit illos de parenchymate cordis *minus* accurata opinio, qua illud se *vesiculæ* ad instar habere crediderunt, adeoque, cum brevius redditum intumescit, dilatari, cum longius concidit, angustius fieri. Quod vero ibi & ligatura, & dissectione & tactu demonstras, idem & ipsa fibrarum *evincit* fabrica, unde etiam fere omnium, quæ ibidem p. 249. à Te de cordis in suis motibus forma exponuntur, ratio reddi potest. Sed & evidens erit, conum non esse densissimum, sed ipsum ejus extremum, quo loco fibrarum superiora versus fit intorsio, in corde bubulo aciculæ capite tenuius esse. Septum vero an pervium sit, necdum licuit videre. Cavernulas sequutus clausas offendi; quid quod & exterioribus parietibus suæ sint cavernulæ magnitudine reliquis non cedentes, sed & innumerus ille fibrarum per septum decursus idem videtur dissuadere.

Vix hæc, satis, ut vides, properanti exarata calamo, cum ecce mihi à Te litteras, quibus etiam paucis, antequam de tabula manum, respondendum. Cavæ motum inspirationi respondentem à Domino van der Lahr credideram inventum, sed inde tribus illam deberi inven-

inventionem didici, Padburgio, van der Lahr, & Beckero, qui ſimul ſectioni tum temporis inſtitutæ intererant. Quod compreſſionem vicinarum partium in inſpiratione depreſſarum ſpectat, locum hic non poterit illa invenire ſuſpicio; cum & in collo & in abdomine ab omnium aliàs incumbentium vicinia liberata vena nihilominus ita evacuetur, ut latera ejus ſe mutuo contingant; nec quam preſſioni opponis, difficultas urgere videtur, cum non requiratur ut tunicas venæ in thorace pervadat aër; ſed tantum, ut in venis extra thoracem exiſtens ſanguis dilatatam intra thoracem venam ingrediatur. Preſſioni verò ut faveam, ſequentia quaſi cogere videntur. Extra omnem namque controverſiam eſſe puto, aërem, cum à pellente quocunque vim patitur, vel denſari eodem, in quo eſt, loco, vel alium in locum propelli: ad condenſandum autem magnam requiri vim mechanica docet, & experientia evincit condenſationem nunquam ſuccedere, niſi preſſum aërem ambientia corpora omnia ad reſiſtendum ſatis fuerint valida; quod ſi autem vel minima pars ambientis reſiſtendo fuerit impar, illico à trudente cauſa propulſus aër, qua elabatur, invenit rimam. Quod ſi itaque, dum diductæ à ſe mutuo coſtæ, deſcen-
dens-

densque diaphragma externo aëri vim inferunt, quantum exterior superficies aërem premit, tantum ei cedant quædam *in thorace* contentæ partes, necessarium *existimarem*, non densari aërem, sed eo pelli, *ubi* minorem invenit resistentiam. Quæ autem cedunt, illa sunt, quæ thorace distento dilatantur, ut pulmones, & thoracem intra existens cavæ truncus; ut itaque pulmones aër diductos implet, aut ipse potiùs non resistentes diducit, sic & extra thoracem existens sanguis cedentem cavæ intra thoracem tunicam ut distendat, eò tanquam versus locum sibi non resistentem propellitur. Quod si mea me hic fefellerit ratio, & à vero abduxerit, Tuis in viam reduci desiderarem rationibus. D. Hobokium suas Tibi in defensionem Blasii scriptas misisse litteras miror. Certè & sibi consuluisset & Blasio suo, si impressionem dissuasisset; jam vero ut Blasius, sic & ille demonstrarunt, illorum demum maximam esse temeritatem, quorum minima est experientia: nec credo in vastis sæpe voluminibus tot inveniendos errores, quot ibi in proprii inventi defensione committit Blasius, suoque Hobokius assensu confirmat. Miseret me Blasii, qui linguam ante manumque non potuit frenare, quam suis ipse scriptis suam publico manifestam reddidis-

didiſſet indolem honeſto homine parum convenientem. Quod equos attinet muresque, nec illorum inde crania, nec horum aperire licuit uteros. Pro promiſſa Diatribe gratias ago maximas. Salutat Te Clariſſ. Borrichius. Deuſingius antiquum obtinet & Celeberr. Sylvio graviſſima minatur; ſed bruta hæc fulmina ſuavi riſu ille Vir moderatiſſimus contemnit. Plura non licet addere. Vale & ama

T.

Leidæ ult. April. Anno 1663.

diſcip. Nicol. Stenonis.

EPISTOLA LXXI.

De muſculoſo Corde.

Nicolao Stenonis Leidam.

APologiæ Tuæ Prodromum rectè accepi, uti & miſſas magni veſtri Sylvii diſputationes uno volumini incluſas. Utrique gratias ago. Tibi inprimis, quo parario & autore mittuntur. Doleo verò vicem tuam, quod tot tantisque circumdaris adverſariis. Æmulatione hac honeſta aluntur ingenia plæclara. Optaſſem inter Te & Cl. Blaſium amicitiæ redintegrationem,

nem, ſed voto meo excidi, neſcio enim quomodo partium ſtudio deditus videor, Tibique credor magis favere. Quicquid ſit, ſcias me Tuum eſſe, & laudare *ſtu*dium Anatomes indefeſſum, quo magna nominis tui fama excellis. Egregia ſanè ſunt quæ de muſculis & Corde commentaris, digna quæ in publicum edantur. Manes Hippocratici Tibi pæana canent, quod derelictam *Coi* de corde ſententiam obſervatione tua præclara revocaveris, & muſculum revera eſſe ad oculum demonſtraveris. *Galenus* aliique poſteriores gratias agent, quod fibras unius generis cordi aſſignaveris. Similitudinem habere cum muſculis, non pauci in *Coi* defenſionem ſuſpicati non ita pridem ſunt. Tua opera Cordis ſubſtantia novò artificio rètexitur, & fibræ ſimplices in corde perpetuo mobili adaptantur. Et quia cochleatim fit fibrarum adductio, judice incomparabili veſtro *Lindano* Phyſ. Med. c. 6. obitur ea cum minori negotio: nam docent Mechanici, ſingulare eſſe in cochlea, ut minor vis ad ejus motionem proportione requiratur, quam in ulla alia machina. Omnia cætera muſculorum propria cordi facilè accommodaveris; ſed ſcrupulum motus injicit, prorſus in corde diverſus ab illo, quem muſculi reliqui exercent. Hic enim motus

motus voluntarius eſt, ibi naturalis, ex arbitrio noſtro non dependens, ſed perpetua ſanguinis influentia, etiam invitis nobis vel non cogitantibus, perennans. Unde ſui generis eſſe ſunt qui credant, ex eo muſculorum genere, ad quod diaphragma referimus, ubi mixti ſunt motus ex libera & naturali: cum quibus tamen facere non poſſum, quippe motus cordis omne arbitrium excludit, neque ex voluntate noſtra dependet, quanquam ſanguinis influxus vel tardari vel accelerari nonnunquam poſſit, quod in exercitationibus, vel vehementibus vel moderatis vel prorſus intermiſſis, videmus. Fibras ſimplices ſolas dari in muſculo cordis, ipſi tuæ experientiæ repugnat, quippe contrario ſitu duplicantur ex tua ipſius confeſſione. Dicis enim, ubi à baſi conum verſus oblique deſcenderint, iterum ſuperiora verſus dirigunt curſum. Duplices igitur fiunt, & quaſi circulares deſcendendo & aſcendendo. Præterea quia oblique deſcendunt, obliquas dari in corde fibras, minus rectè contra magnum *Veſalium* negas. Et tales eſſe debuerunt, ſi actionem cordis reſpiciamus. Hujus quippe motus, qui ſyſtole & diaſtole conſtat, ſive dilatatione & conſtrictione ventriculorum, diverſas fibras poſtulat, ut diverſi contrariique motus perficiantur. His verò

ſimilibusque dubiis facilè ſatisfacies, ubi meditatas de Muſculis & Corde obſervationes uberiori commentario illuſtraveris. Miror autem, *Hippocrati* id plerumque affingi, quod Cor muſculus ſit. Validum muſculum vocat *L. de Corde*, non ratione nervorum, à quibus præcipua muſculi denominatio, ſed carnis ſpiſſamento. *Lindanus* eruditiſſimus c. 6. Med. Phyſ. §. 71. muſculum vocat cor, ex *Hippocratis* mente, actione non tendine: ſicut enim actio muſculi conſtat perficiturque contractione & laxatione, ita & cordis. Non magnopere tamen de hac autoritate laboro, quia incertum eſt, an inter genuinos *Hippocratis* libros ille numerandus. Apud *Plutarchum* certè in Sympoſ. ad Philoſophum Platonicum refertur, & *Galenus* refert opinionem Platonicam de liquore in tracheam deſcendente ex ipſo hoc libro. Falluntur verò, qui contra Anatomen noſtram cor cum veſicula comparare audent, quos ex accuratiſſimis tuis inventis refellis. Parenchyma cordis carnis eſſe ſpiſſamentum *Autor* l. de Corde l. c. profitetur, ubi cor veſicæ non aſſimilatur, ſed in veſica, ſeu pericardio, tunica lævi contineri dicitur. De ſepto ipſe non ſemel dubitavi, an præter naturam fuerit pervium, quando foramina penetrantia monſtravit nobis. Foſſiculam

pilæ

pilæ instar observavit idem *Autor*, sed nec istam in alium sinum patentem narrat. Quicquid novi de his aliisque curiosa doctorum manus statuerit, avidè desideramus. Tui præ cæteris labores arrident; quia naturæ dicati, docti, & à cive nostro profecti. Macte hac tua diligentia, mi Stenone, perge his similibusque scriptis inclarescere, & me Tuum esse certò credas. In Phocæ Anatome *Paullinus* junior, jussu Regio, apud nos occupatur, ejusque sceleto conficiendo. Alia non occurrunt quæ scribam, nec occupationes sinunt. Vale feliciter & me ama. Raptim Hafniæ 25. Jul. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXXII.

De Pulmonibus dubia.

Thomæ Bartholino Hafniam.

SI cuiquam amici nomen debeo & cultum, certè Tu solus is eris; quô de idem velle & nolle audacter pronuncio. Magna sunt & immortalia Tua in Rempublicam merita, quibus Tu alter cœli Apol-

linei, penè dixerim, & Muſarum Charitumque Atlas, amicos tuos, ſidera veluti, animas & foves. Sed nolo in faciem videri Te laudare, mihi ſufficit ex *noviſſimis* Tuis non diſplicere Tibi amorem & operam meam, hinc rogo ut eodem animo erga me permaneas, Schenckiumque Tuum priſtino iſto affectu deinceps proſequaris. Hauboldo ad priores Tuas quas concinnaveram tradendas juſſi noſtris, qui Francofurti ſe id feciſſe reſponderunt, redditis una elegantiſſimis aliis Tuis, quarum de adventu in ſinum gratulor. Cæterum ad monita tua ſuperiora quæ denuò *adpinxi*, vides eum maximè in finem exſtare, ut limam ulteriorem ſubeant, ſicque veritati, cui uterque noſtrum hoſtiam debet, in re obſcura locus ſuus permaneat. Mihi ſanè ingenioſorum hominum & qui cum eruditione humanitatem excolunt, labores apprimè placent, nec aliud mihi propono in expendendis ejusmodi, quam ut magis magisque inſtigem, marcet enim ſine contradictore virtus. Ut autem ſcias quâ ego incedam viâ, ſeu qua methodo tractem aliorum ſcripta, ecce illud unicum ago, ut τὰ οἰκεῖα τοῖς ἀλλοτρίοις præponam, neque facile à veterum principiis ſecedo, quousque rei ſ. naturæ ipſius tum artis neceſſitas id permittunt, alias apum more ex

recen-

recentiorum flosculis optima quæque istis addo, fugioque quæ utrinque ἄτοπα καὶ ἄλογα καὶ ἄχρηστα sunt. Verùm quo dilabor? Historiam humorum succisivis horis congestam, & ceu vides vel τρία ἔπεα saltem ejus tibi offero, non ut probes sed ut castiges, modestiæ enim reprehensionis tuæ me libenter subjicio. Plura addidissem, ni veritus fuissem particularem operam ista desiderare, quam adhuc molior, destitutus hâc vice mutua ope scriptorum nonnullorum, quæ ad manus meas nondum pervenerunt. Qousque Helmontio subscripserim, citra laborem perspicies. Hominem æstimarem omni laude dignum, si à conviciis abstinuisset & ænigmata sua paulò tersius proposuisset. Solitus sum ipsum larvatum Paracelsum appellare, & veterum placitorum hostem fictitium. Fateor quam plurima esse, quæ ipsis etiam Cartesianis subtilitatibus anteferenda. Quam primum appulerunt Epistolarum Tuarum centuriæ cum diatribe ista Tua de natura & motu pulmonum ad nos, statim adferendas curavi, neque cessavi quousque transcursu aliquo perlustraverim. Vehementer placent, & mirari satis non possum indefessos & concatenatos Tuos labores, qui rebus tam arduis eruendis irrefracti præsunt. Malpighius

ghius tuæ solertiæ famam suam debet, quâ sine nil nisi tenebræ exstitissent epistolæ suæ, perfunctorio enim sudore eruperunt. Cartesii hominem mihi pariter comparavi, ex quo multa utilia collegi, ut ut aliquando cerebrum componat modo quo velit ipse. Vidi illum valvulas in extremitatibus nervorum statuere, quæ sententia, si rectè explicetur, neutiquam erronea est neque αὐτοψίᾳ destituitur. Sed mitto hoc. Sylvii Leidensis disputat: priorem partem vidi miratus hominis facundiam & inveniendi facilitatem. Verum, id quod tibi in aurem, ejus hypotheses aut merè sunt singulares, aut admodum generales, præsertim ubi Chymicorum postulatis & solutionibus & coagulationibus tantum inhæret. De Stenone & Boyleo multa mihi promitto, cujus fundamenta firmo nituntur talo. Bilsii ductum roriferum ad thymum se tàm variè torquentem propaginem lymphaticorum interpretor, cui quam plures pectoris affectus vitiato aut rupto imputo. Easdem in brutis demonstravi sub sectione publica. In muliere quâdam bronchocele laborante unicè hisce vasculis causam adscripsi. Lymphatica vasa in faucibus, palato, naribus ac gutture &c. plurima inveni. Laus æterna Warthono

fit

ſit & Stenoni, qui Te ductore, ad horum anatomen ſe contulerunt, fateri enim poſſum, labores eſſe duros admodum & difficiles. Sed ad diatriben Tuam de pulmonibus revertor, quæ ſalivam mihi movit copioſiſſimam, ut vellem vel unius horæ momento me conjunctum Tibi. Ut enim video, in pauciſſimis diſſidemus. Plura addam, quam primum ad ventris medii anatomicas Exercitationes me contulero. Interea quæ mens mea ſit, proximis nundinis obſervabis, ubi ſcholam partium abſolvero, quam diſputando publicè ſum aggreſſus, luci daturus.

Ut autem per tranſennam, quæ occurrunt, attingam, ſpumoſas cavernas pulmonum dudum examinavi, eſtque illud, quod proximè ubi de poris partium ſum acturus, hucusque enim ſilui, attigi, nimirum contextum partium mollium exſanguium affabrè conformatum, modò ſpumas, modò cavernas, ſpongias, veſicas, valvulas, &c. exhibere, quarum faciem obliterant ἐγχύματα, ſeu mavis dicere affuſus ſanguis, qui eſt eis fomenti loco. Unde tantam neceſſitatem ratus ſum exigere doctrinam de poris partium, ut ſine hâc vix poſſibile ſit uſus aſſignare earundem & actiones. Idem etiam in humoribus obſer-

vo, quorum conformationem mihi microſcopiorum delectus, & variorum liquorum miſcella liquidò oſtendunt. Verum de his alio die.

Quod autem exiſtimas, ex ſanguine non procedere horum originem, me turbat. Nonne ſanguis albeſcit, ſi tinctura ſua privatur, ſi aliis liquoribus permiſcetur? Si chylus rubeſcit alio ſubjectus caloris regimini, cur non viciſſim ſanguis, aliam vim ignis expertus? Et res clara eſt in ortu pullorum ex colliquamento. Quæ cauſa ipſum virum immortalem Harveum permovit, ut idem ſanguinis nomen & illi qui in vaſis ſanguinis eſt, & illi qui in concrementum ſpermaticum faceſſit, tribuerit. Non miror itaque quod Malpighius miratur, non vaſa ſanguinea pulmonum ſpectari in extremis ſanguinolenta, eo quod tali colore amplius non ſit opus. Sed cur rubent pulmones in adultis? Cauſam adferunt, aërem inſpiratum, motumque pulmonum. Eſt aliquid, aërem mutare humorum colores, ſed non indifferenter. Sanguineum colorem aër non mutat, ſed intermedios plerumque, qui aquei plerumque. Sed multi ſunt qui neque ab aëre moventur, & tamen albeſcunt. Exemplum habes in oſſibus, in cartilaginibus.

Ideo

Ideo neutiquam aëri, neque chyli acceſſui per ſe imputo alborem pulmonum, ſed calori ipſi animali, qui ab interno evolutionis principio & albam & cavernoſam ſpongioſamque pulmonum ſubſtantiam produxit, idque ſatis clarè lib. de princ. ab Hippocrate propoſitum.

Maculas nigras, quas rectè cum Helmontio ſignum & effectum corruptionis denomino, ortas eſſe ex circulatione interrupta, cum Pecqueto exiſtimo, eſtque id idem, quod videmus in ſugillatis & vexatis contingere, ubi partes cruentæ & lividæ, apertis iterum poris partium, ſuccum iſtum abigunt vel aliundè revehunt.

Spumoſum ſanguinem conciliat ejus fermentatio & aëris acceſſus. In ea enim ſemper ſum ſententia, in arteriis plus eſſe aëris cum ſanguine conjuncti quàm in venis. Et neſcio, quí eo devenerint veteres, ut repudiaverint aërem ex cenſu alimentorum, quem ego κατὰ προστασίαν τροφὴν cum Hipp. appello. Ego, qui ſæpius adhuc ſputo ſanguinis tentor, mihi teſtis ſum, ſpumoſum reddi ſanguinem quo pluries aërem attraho.

Ex ſanguine autem ſpumeo ſpumoſum oriri corpus, quis ambigit?

In ſectione ſecunda occurrit mihi veſicularum σύστημα, quod ego deprehendo

esse φατνίοις simile & cellulis aptum, quæ satis sunt angustæ in homine, eo quod à parenchymate, quod interpretor compaginem pulmonum universam, validè contineantur. Ut autem, quæ notaverim circa horum constitutionem, tibi clareant, illi qui tabe moriuntur ex sputo sanguinis copioso, monstrarunt molem vel dextri vel sinistri pulmonis insignem, quæ etsi primo intuitu nigricans apparebat, penitius tamen cultro dissecta, omnes istas vesiculas non dilatatas, sed mucilagineo humore, viscido & albo refertas exhibuit, quæ causa, ut non nisi λεπτὰ ægri toto decubitus tempore exspuant.

Unde de transmeatu istarum vesicularum hæreo nonnihil. In ulcerosis autem, cum ad suppurationem & corruptionem devenitur, κοιλίας cavitas oritur, quæ ex pluribus absumptis cellulis amplior redditur. Et hæc si exsiccari posset sufficienter, è vita non tollerentur tot phthisici. Verum rectè monuisti, plurimam lymphaticorum catervam hic spectari. Ita enim res se habet; ideò humidissimus pulmo. Accedit faucium & gutturis consensus, qui multum humiditatis pulmonibus affundunt.

Non membrana interior modo spongiosa est asperæ arteriæ, sed in extremis cartilaginibus vesicularum more expanditur, suntque quadrangulares & sexangulares

earum

carum figuræ ad ſuſtinendas veſiculas ordinatæ.

Pervios eſſe pulmones in omnibus animalibus, nemo, niſi qui cerebro deſtitutus, oculo & manu, aliter docere poterit. Cui fini? ut & ventri infimo aërem communicent, ad diſtribuendum chylum, & expultricis robur, tum calorem putredinalem eventilandum.

In reſpiratione thorax univerſus in momento non dilatatur. Sunt duo quaſi motus contrarii, cum diaphragmate reſpirationis principali particula ſe coarctante elevatur abdomen & pars ſuperior thoracis paulo introrſum trahitur, in exſpiratione concidit venter & extrorſum thorax anteriore parte movetur.

Hoc tamen plus quam certiſſimum eſt, aëris inſpirationem eſſe languidiorem, cum patula foramina ſunt, & perceleriorem, cùm occluſa. Moram tamen aliquam nectit aër inſpiratus, ut diſtemperet calorem ſanguinis, id quod non fieret, niſi paulum perduraret. Deinde miſtio hoc requirit.

Flatuum ex hypochondriis in thoracem adſcendentium mentio fit, quod eſt veriſſimum. Hiſtorias huc transfer quas in centuriis obſ. Anat. habes. His addam meam. Uxori meæ priori, quæ erat hypochondriaca, denique in peripneumoniam incidebat,

debat, quatuor ante obitum ſeptimanis, interdum manè, interdum veſperi, ante & poſt cœnam, moleſtiſſima obtingebat eructatio, adeò ut ne trecenti ructus pro vice, ſine intermiſſione ſufficerent. Hi ubi ſubſiſtebant, illa de anxietate vehementisſima conquerebatur, interdum deſipiebat planè, usque dum iterum per diſcutientia excitarentur. Sed manifeſte obſervo flatus in thorace per aſperam arteriam exeuntes in me ipſo.

Lindanus exiſtimat quæ tuſſi rejiciuntur in phthiſi ſæpe culpa ventriculi fieri, hinc ſe obſervaſſe in phthiſicorum corporibus integros pulmones, male v. affectum orificium ventriculi. De qua opinione tuum aveo judicium.

De motu pulmonum ita ſentio: implentur pulmones, ſed non follium inſtar, id quod experientia monſtrat. Eorum & diaphragmatis motus, eſt unicus motus. De hoc egi in Schola mea partium, quam etiam transmittam, & credo Tibi ſententiam meam gratam fore.

Obſervavi in animalibus brutis, tamdiu ſe movere pulmones, quamdiu diaphragma, & hoc quamdiu nervus ſextæ conjugationis adhuc aliquid virtutis affundit. Diſciſſo illo, protinus evanuit motus univerſus.

Metallurgi plerumque morbis pulmonum in-

intereunt, quos inter est, quem Paracelsus vocat *die Bergsucht:* in hoc affectu pulmones exsiccantur, & attenuantur chartarum more, quasi in fumo suspensi. Cogites inde, quod spongiæ vicem pulmones subeant, irrigando Zonam torridam thoracis, ut ajebat ὁ μακαρίτης Veslingius; tantus est horum usus quantus hepatis & lienis, sed in adulto potissimum & sanguineis. Non sibi contradicunt hi duo usus, inservire voci & refrigerare sanguinem.

Plura vetat occupationum moles & valetudo adversa, cui requiem debeo. Modò ut constaret Tibi de mea erga te observantia, neque enim ad prelum scripta hæc sunt, neque excocta satis, sed ut in buccam venerunt. Faxit ut ἀγαθῇ τύχῃ Deus Te servet literarum & artis decus immortale. Dab. Jen. d. 6. Maji. 1663.

Nobiliss. Excell. T.

Collegæ mei amice te salutant.

addictiss.

Properanti calamo ignosce, urget enim cui commendantur.

Joh. Theod. Schenck. D.

EPISTOLA LXXIII.

Purulenta sputa phthisicorum an ex ventriculo?

JOH. THEOD. SCHENCKIO Jenam.

NUllam ad Te scribendi occasionem prætermittam, quanquam alia urgeant negotia. Ita enim tui amore sum occupatus, ut perpetua apud me Tui sit memoria. Nec ullis libentius pennæ meæ operam condico, quam Tui similibus, hoc est, candidis amicis & eruditis, qui faciles se indulgentesque præbent rebus, quas aut vitæ necessarias, aut utiles, aut jucundas putamus. Refertæ sunt literæ, quas nuper partitis vicibus cum Humorum Historia generali ad me mittere dignatus es, pristina fide & rara eruditione. Non repetam singula; quæ ibidem sive in Exercitationum Tuarum Anatomicarum defensionem, sive ad Diatribes nostræ de Pulmonibus illustrationem fusè pariter & doctè consignasti, ne vel Tibi tuisque sententiis & opinionibus obicem ponere, vel mea pro Oraculis venditare videar, nec jam vacat plenam Epistolam Tuæ reponere, unum tantùm dubium libabo, de quo meum judicium exquiris, nempe an verus sit Lindanus, qui existimat ea quæ tussi in phthisi rejiciuntur;

tur, sæpe culpa ventriculi fieri, eo quod in phthisicorum corporibus pulmones integri, malè verò affectum orificium ventriculi observatum ab eo sit. Certè, si phthisis propriè sumatur pro pulmonum ulcere, seu corporis extenuatione vitio pulmonum, quo modo Medicis usitata est ea vox, à *Galeno* quoque tradita Comm. 7. Aphor. 16. *Aretæo* l. 1. Chron. c. 8. aliisque, quin in culpa sint pulmones, dubitari non potest, & totiens secta à nobis phthisicorum cadavera & ab aliis testantur, ut non immerito in his vulneratum pulmonem fateatur *Cælius Aurelianus* l. 2. Chron. c. 14. si verò de quavis atrophia corporis laxâ significatione sumamus, sæpe sani esse possunt pulmones, vitio alibi in visceribus naturalibus latente, præsertim in ventriculo, primæ officinæ patrono, cujus illustre exemplum ipse subministrasti lib. 1. Exerc. Anat. 7. sect. 2. c. 33. Apud nos tabidi hoc anno quamplures comparuerunt, & fatis functi sunt. Phthisici verò pleriqùe fuerunt, ex vitio pulmonum, quod ex signorum omnium syndrome indubie scimus. Una sola fœmina primæ notæ tabida fuit, & pro phthisica judicata, etiam ex sputo purulento. In qua tamen id singulare fuit, quod sine tussi aut screatu sputum illud in ore colligeretur satis copiosè semper post somnum

num ſeu nocturnum ſeu diurnum, nec tamen dubitare potuimus, quin ex pectore proflueret, nam capite non dolebat, benè cibum appetebat; niſi ſalivalia vaſa ſputum hoc effuderint. Ex ventriculo advocarem, ſi illius læſi ullum indicium extaret. Ventriculus in tabe pus effundit, & per fauces excernit, quemadmodum ex pure inter duas ventriculi membranas collecto aſthma vidit *Carolus Piſo* de Seros. Colluv. p. m. 196. Forſan in exemplo à Clariſſ. *van der Linden* allato, pulmonum robore purulenta materia ad abdomen fuit detruſa, & quia moram nullam fecit in pulmonibus, his ſalvis, ventriculum infecit pus. Id ut credam, inducor exemplo pueri phthiſici apud *Platerum* l. 2. Obſ. p. m. 437. cujus ventriculus tribus foraminibus exeſus fuit, ſeptumque foramine amplo perforatum à puris copia & acrimonia, quod ex thorace in abdomen defluens has partes & muſculos quoque abdominis ad ſuperficiem cutis usque eroſerat. Vel, ſi vice verſa ventriculus per pulmones tuſſi rejecit purulenta, ſingularis adfuit partium conformatio, ſicut in avium genere, ubi per patentes ductus tranſitus fit è pulmonibus ad abdominis cavitates, ſicut ex *Plinio* & *Harvejo* in Diatrib. ſect. 2. de Pulm. probavimus, quos in teſtudine magna etiam

ad

ad renes & vesicam usque productos observavit Illustris *Peireskius*, annotante *Gassendo* l. 2. de Vit. Peir. An talis fuerit homo ille phthisicus Lindani, divinare non possum, peneque cum *Apulejo* l. X. Metam. dixerim, *quod nemo novit, pænè non fit*. Plura in præsenti non permittunt negotia. Antequam finiam, optimus civis noster Benjamin Osvaldus ad patriam suam regressurus, me interprete, tuæ amicitiæ & Collegarum, quos officiosè saluto, se insinuat. Vale diu & feliciter, mi Schencki, & valetudinem tuam, de qua conquereris, cura diligenter, etiam publico bono, cui natus es. Scripsi occupatissimus Hafniæ 25. Aug. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXXIV.

De terra Solari, Crystallo, & Vitriolo Silesiæ.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ET alteræ M. Exc. T. Litteræ 10. April. currentis anni exaratæ felici sidere penates meos intrarunt, quæ eò gratiores, quòd, quod maximè votis expetieram, non

teras, ab eo profectas missasque, qui Silesiam magna fama, auro magis æstimanda, ditat & illustrat. Is tu es, mi Sachsi, cujus erudita scripta, amicitia constans & sincera, maximi thesauri loco mihi sunt. Vile est aurum si ad tuas animi dotes comparetur, quanquam tot mortales inescare soleat. Felix est patria vestra rerum pretiosarum proventu, felicior ingeniorum. Terræ autem solaris fragmenta non dubito & in patria nostra monstrari posse. Certè terræ sigillatæ Silesiacæ, quam ad nos afferre mercatores solent, affinem terram Cimbria nostra subministrat, quam Pharmacopoei & Chirurgi nostri peregrinæ substituunt pari eventu, eadem virtute adstringendi & sudores pellendi præditam. Eam ad Te mittere operæ non puto pretium, quia aurea vestra eo nomine præferenda, quod ex aurifodinis eruatur. Norwegia nostra mineram auri quoque non semel protulit, quod miraberis, perfectissimum metallum in frigida regione posse produci. Mineras talcosas multis granatis refertas, inde allatas, habeo, quas aurum condere ferunt, ex quo aureos Ducatos cudi curavit Augustissimus Daniæ Rex Divus *Christianus* IV. Altera verò minera in tractu Necnesensi ex pondere centenario dedit puri auri marcas 38, de qua aliaque simili mentionem facit in-

com-

comparabilis noster *Wormius* l. 1. Muſ. ſ. 3. c. 2. Frigore Septentrionali externo incaleſcunt terræ viſcera, ut etiam focos ſuos ſulphureos alant, & incendio ſæpe montes fument, ſicut ardens mons Hecla inter alios teſtatur, in Iſlandia inſula, cui à gelu nomen eſt, ubi etiam ſulphuris magna copia proſtat. Cæterum terra tua Solaris nonnihil colore pallidiore differt â terra Solari Ungarica, cujus fruſtum poſſideo, vidique olim non exiguam copiam in Pharmacopœa Regia Fridericiburgenſi. Simile huic fruſtulum, magni pretii & uſus, mihi donavit non ita pridem Medicus & Chymicus urbis noſtræ eruditiſſimus D. *Aſſuerus Payngk*, quod à Patre habuit Viro experientiſſimo D. *Petro Payngk*, Chymico olim Regio, qui id a *Rudolpho Secundo* Imperatore, in cujus aula vixerat antequam ad noſtram veniret, acceperat. Cryſtalli veſtræ an cum Italicis comparandæ, te interprete ſcire velim. Nam & ibi pro adamante ſupponuntur à ſubdolis. Candelabra ampliſſima tria in unico cœnaculo arcis Regiæ Hafnienſis quoque vidimus ex cryſtallo confecta, ſplendido lumine auguſtum cœnaculum colluſtrantia. Plurima cryſtalli Italicæ fruſta in Muſæo aſſervo. Unum longiuſculum manubrii forma, febricitantibus percommodum, ad æſtum leniendum

ſi manu teneatur. Quippe in vola manus refrigerato ſanguine per circulationem recurrente, cor refrigerii ſenſum percipit. Sphæræ rotunditatem aliis proficuam obſervavi. Sed utinam pro transmiſſis paria reddere poſſem, quæ tuæ curioſitati ſatisfaciant. Non certè deeſſent in Borea, quæ inter rara vobis numerari poſſent, ſicut veſtra ad nos delata inter pretioſa reponimus. Nihil tamen apud me tuâ amicitiâ pretioſius, quam æſtimo & æternam mihi opto. Vale, Vir Magne, & me ama. Hafniæ 10. Jul. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXXVI.

De veſiculis pulmonum, ranarum anatome, aëre in cor penetrante, veſicæ tunica, modo ſolvendi calculos per aquam calcis vivæ.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

REcepi nuper à Te miſſam magni amoris plenam Epiſtolam, magnæ & eruditionis & judicii Diatriben de Pulmonibus, cum

cum selectis Epistolarum Centuriis; omnia mihi acceptissima, & officiosis gratiis excipienda, eoque majoribus, quò à candidiori profecta animo, & manu ad seculi decus & Arctoi splendorem continuò vigilante. Nos hic, ex quo prodiit scriptum *Malpighii*, ranarum viscera diligentius perscrutati, loco pulmonum duas vesiculas crebrè offendimus, lineolis quibusdam seu cancellulis internâ facie distinctas, non autem, quales ille adumbrat, infinitas vesiculas minutas. Visæ sunt mihi duæ illæ pulmonariæ vesiculæ simile quiddam habere cum apum favis, ita apertâ cavitate versus interiora hiabant earundem eminentia interstitia; vesicula urinaria ranarum, præsertim mascularum, itidem duplex est, magnitudine à pulmonum vesiculis non multùm abludens. Vivaciorem bestiolam vidisse me non memini inter tormenta; Cor excisum cum pulmonibus & sepositum in mensa ultra horam systolen & diastolen suam manifestè continuavit, reliquo corpore, seorsum posito interea, se quoque per intervalla movente, præsertim circa dorsi extrema, ubi, quasi novum cor, novam systolen & diastolen moliebatur. Ab utero, si infletur, deprehenditur canalis variè intortus ascendere ad usque fauces, novo Naturæ artificio. Iterato jam expe-

rimento apud Dn. Swammerdammium obſervavimus aërem per follem in canis adhuc vivi pulmones adactum tandem cor, ejusque vaſa apertè ſubire, diſtendere, & bullas ibi in ſanguine creberrimas ſuſcitare. Follem ille confecit ex ventriculo moloſſi, adjunctâ ad portionem œſophagi fiſtulâ eburneâ, ad pylorum verticillo; crederes te tibiam utricularem cernere: fiſtulam arteriæ aſperæ vivi canis in jugulo apertæ inſerit, ligatque ejus fiſtulæ caput ſtrenuè, ſimul cum arteriâ aſperâ, adeo ut canis ejulare amplius nequeat, quòd anhelitus ejus non in os amplius feratur, ſed in capacitatem dicti follis, quæ ratio pro admiſſione & exſpiratione aëris rugas in folle jam format, jam explicat. Quo facto, preſſu cubiti aërem folle contentum paulatim in pulmonem canis adigit, iterum novo aëre follem replet, verſatoque verticillo iterum in pulmonem intrudit, idque continuat, donec vaſa cordis manifeſtè flatu intumeſcant. Canis interea ob non negatum anhelitum, ſed pænè duplicatum, vivit ſatis diu & ſatis ferociter. Exiſtimaverim hinc ſatis patere, aërem etiam naturaliter ſubire ſanguinem & cor, adeoque ad ſpiritus tum vitales tum animales conferre; quanquam enim hoc experimentum inter violenta, & inſolita Naturæ, cen-

ſeri

fieri possit, nullum tamen vas usquam ruptum nobis apparuit, nec ea vis facta pulmonibus, ut multum de statu naturali degenerarent. Quod *Dn. Jac. Hen. Paulli* de labyrintho Bilsiano aliquid commentetur, gratulor ipsi nobile argumentum. Ego sæpe in homine, sæpius in brutis bifurcatum ductum thoracicum observavi, non toto quidem itinere, sed jam non procul a capsulâ, jam non procul à claviculis, iterum tamen coire, quod speciem labyrinthi Bilsiani videtur quodammodo repræsentâsse; quia tamen non ita varios à se quaquaversum ramos sparsere isti circuli, visus mihi est Bilsius pro suo labyrintho tantùm æstimare superna ductus thoracici, ad claviculas, cum vasis lymphaticis à collo descendentibus quasi connexa, ex quibus ille ideam & figuram expressit suo genio, haud scio an ita Naturæ, convenientem. Servat *Swammerdammius* inter rariora sua ductum thoracicum spiritu distentum, molossoque exemptum, cui paulo infra claviculas duo crura enata sunt calamum scriptorium amplitudine æquantia, sed coëunt tamen in unum canalem ante ingressum in venam subclaviam. Ego per otium in vesicæ fibris investigandis aliquid operæ collocavi, sed illæ quò conspectiores sunt, & confusiores in vesicâ

integrâ & diſtentâ, eò minùs ſe oſtendunt, veſicæ corpore in tenuiſſimas membranas per artem diviſo. Unica illa veſicæ membrana lucida, ſæpe in quinque, aliquando & in ſeptem tenuiſſimas membranulas à me diviſa fuit, per internas membranas diſcurrentibus vaſis ſanguineis; hinc ſanguinem veſica ex ſuo corpore non fundit, niſi excsâ primum interiori veſicæ membranâ, hinc tunicâ vaſis ſanguinei. Veſica incocta acidis in mucilaginem abit tandem, in ſalſis incraſſatur patiturque ſe in philyras ſecari commodius, in oleoſis, ut & liquore ſalis alkali, ut Tartari herbarumque incineratarum, non incraſſatur, non abit in mucilaginem, ſed quaſi prunis candentibus impoſita aduritur, patiturque ſe quaſi in pulverem teri. Tentavi in hoc genere plura, ſed propter itineris varia obſtacula perſcribere jam nec opportunum eſt, nec omnia adhuc à me ita abſoluta, ut non ulteriorem limam mereantur. Arteriæ etiam, inteſtina, imò venæ ſe variè dividi patiuntur, inque multis cum texturâ veſicæ conveniunt, ſed cutis planè alterius eſt indolis, nec illam à variis liquoribus ſentit metamorphoſin, ſeque ita in philyris conſpici non permittit. Quod apud vos quidam calculum Dn. Lytzovii pro ſuppoſititio habuerint, non admiror, hîc enim Chirurgi,

rurgi, qui conſpexere, Dn. Barbette, aliique idem adhuc ſentiunt, & credibile eſt Dn. Lutzovium falli potuiſſe. Eum autem ſiliceum calculum ne ab ipſo Philoſ. lapide ſolvi potuiſſe exiſtimem, nedum à ſale calcis vivæ, quanquam conſtet Authoritate *Baſilii Valentini* aliorumque, nihil in calculo profligando utilius ſpiritu calcis vivæ; mihique iterum iterumque compertum, aquam calcis vivæ oſtreorum, mitylorumque ſolvere calculos ordinariè ab ægris exſectos in mucilaginem, ſi aliquot dierum leni fotu in calido ſimul detineantur. Oportet tamen aquam illam ex artis præſcripto eſſe paratam, id eſt ſale calcis illius bene prægnantem, alioquin non mirum eſt nihil mirum conſequi. Stamus nunc in procinctu itineris, cum Dn. Matthiade una in Angliam, hinc Galliam abituri, ſi Deo opt. max. placuerit. Dn. M. Magnus Blix, Nidroſienſis ſacerdos, apud nos Lugd. Bat. vivit cum uxore, apud *D. Sylvium* remedium quærens affectionis hypochondriacæ & obſtructionum alvinarum, ille ſale ſuo volatili occurrit copioſè quotidie ingeſto, de ſucceſſu (quem proſperrimum opto) eventus docebit. In nundinis noſtris, Haganiſque pauca rara & curioſa occurrerunt: Viſi nobis duo vivi ichneumones, vivus Caſtor, Coati, Chuſchus,

ſchus, vivus Leo Africanus 19. menſium, mas, ſed caſtratus, ideoque ſegnior impetu, nec villis horridus anterioribus; vivus Leo Americanus Africano minor, & adhuc generoſitate hebetior, ut ſolent id loci Leones, quippe in Americâ bene monet *de Laet* non Leonem, ſed tigridem inter animalia dominari. Sunt propterea, qui Leonum hoc genus non Leones, ſed ælu-ros Americanos nominant, quod æluri capite non malè referant Leones. Viſus & vir robuſtus, qui librarum quadringentarum & amplius incudem ferream villis capillorum occipitii in altum promptè elevaret, homo Sampſonicæ familiæ. Adfuit & fœmina illa trimammia (quam ſuperiori anno Goudæ conſpexeram) quam cum intentius hac vice ſpecularer, deprehendi ſiniſtram mammam inferiorem (nam erat & altera ſuperior, utraque lactifera, ſicut & illa, quæ ſola in dextrâ parte eminebat) areâ & tuberculo non muliebri, ſed virili mammæ ſimilem. Rogata cauſam reſpondit mihi, parentem ſuum inter initia matrimonii ſæpe per ludum & jocum mammam ſuam matri oſtendiſſe, hinc ipſam continuâ ejus mammæ imagine animo obverſante virilem quoque mammam, præter fœmininas, fœtui impreſſiſſe, nunc idem ex ſimilitudine matris, ſuis fœtibus

fœmi-

fœmininis contigisse, quamvis non omnibus. Cætera omnia, quæ hic spectata, trita & vulgata fuere. Lucem è tenebris Everhardi iterum cum D. D. Wormio transmitto, meliori fato, quam prior illà, adventuram. Quid de Celsi Notis aut variis lectionibus responderit D. van der Linden, D. D Wormio significavi; ille in suo Hippocrate edendo, itidemque Hartmanni praxi castigatius, sed resectis parergis, evulgandâ occupatur; D. *Vorstius* Mss. Theophili Græcum in Aphorism. Hipp. luci publicæ brevi exponet; *D. van Horne* suam Chirurgiam; qui omnes cum Dn. Sylvio officiosissimam Excell. Tuæ salutem denunciant. Lætor Sereniss. Regem mihi adhuc biennii peregrinationem indulsisse, Cl. Dn. Professores omnes unà Tecum, sacri Numinis tutelæ æternùm commendo, meque Tuo illorumque sueto favori. Salve Vir Excellentiss. & bene Vale. Lugd. Batav. 12. Maji A. 1663.

Excell. T.

Semper studiosissimus

Olaus Borrichius

mm.

EPI-

EPISTOLA LXXVII.

Convulſio aſperæ arteriæ. De fibris veſicæ. Prolapſus Cartilaginis mucronatæ. De macrocephalo puero.

OLAO BORRICHIO Leidam.

DUm in perforanda arteria aſpera in cane ad experimentum aëris recipiendi occupamini, mirari ſubit, patienter adeo laryngem annexoſque circulos, muſculos & nervos id tuliſſe. Cauſa admirationis hæc eſt, quod inſolitum nuper affectum viderim, laryngis nempe ſeu arteriæ aſperæ convulſionem, in Studioſo, cui nomen Lucæ, ad quem viſendum me ad ſe vocavit amiciſſimus noſter *Simon Paulli.* Huic cartilago ſcutiformis in parte nobis patente diſrupta eſt & divulſa, quod nimiæ vocis intenſioni adſcribit, cui Muſices candidatus à teneris aſſuevit; præterea anterior aſperæ arteriæ pars convulſionem patitur quotiens deglutire cogitur, cogitur autem ſæpiſſime à flatibus ex meſenterio adſcendentibus, à quibus ſuffocationis metus imminet, niſi deglutiat. Hinc fiſtula hæc pulmonaria diſtorta apparet, gibberis inſtar prominens, & prope claviculas introrſum retracta. *Hippocrates* aliquid videtur ſimile obſervaſſe. Nam libr. De intern. Affect.

arteriâ

arteriâ pulmonis convulsâ pus crassum undecima die expui prodidit. Convulsio sine dubio dependet à copula nervorum vasis pulmonariis annexorum, & quia communes sunt hi nervi etiam œsophago, in consensum quoque cum larynge trahitur, & ad deglutitionem impellitur. *Solenander* Sect. 2. Consil. 24. non absimilem historiam tradit, in quâ, quia ipse oculatus non fuit testis, affectos laryngis musculos orbiculares opinatur. Exercitata verò *Swammerdamii* vestri manus incommoda ista declinare potuit, quemadmodum in Laryngotomia inter annulos arteriæ innoxiè aperiri solet fistula ista spiritalis. Et si quid supervenisset, quia illustri experimento damnum compensavit, quanquam

mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,

assuetum jam tamen est genus caninum, caros pati posse cruores. Experimenta à Te in vesica facta, pulcherrima sunt, docentque quanto periculo vesicæ, ad lapidem frangendum vel acida, vel salia vel oleosa exhibeantur, injicianturque, quibus tamen lithontripticis gloriamur. Fibræ in vesicæ membrana media, an musculis eam afferant, ut cum *Aquapendente Walæus* existimavit, nolim disputare; ex tua dexteritate

ritate liquet, membranas quamplures ſuis fibris donatas, invicem poſitas, muſculi vicem implere poſſe. Hinc certè fibris illis læſis, & vim paſſis, quod à nimio motu venereo factum in Gujoto annotat *Ballonius* lib. 2. Ephem. urina ſupprimitur, quia muſculi actio in expellendo tollitur, vel mingendi ardor oritur ab iisdem veſicæ fibris corruptis, teſte *Platero* l. 2. Obſ. An huc furfuroſæ cuticulæ cum urina craſſa exeuntes in *Aphorism.* 78. Sect. 4. referri poſſint, in præſenti non vacat expendere, adeſt enim mihi mercator quidam, qui Coloniâ ad me venit conſilii cauſa. Illi jam oportet ut vacem. Dolet verò cartilago mucronata quoties manu premitur, unde corporis atrophia. Credo eſſe prolapſum cartilaginis quia ſæpius legendo & ſcribendo menſæ duræ pectore incubuit. Varia paſſim expertum ſe fatetur, pro cujusvis Medici conjecturâ. Animus eſt abiturienti commendare Cataplaſma ex emollientibus parti dolenti imponendum, deinde cucurbitulam ſiccam eodem loco affigendam pro cartilaginis attractione, denique potionem vulnerariam *Fallopii* cottidie, quando commodum fuerit, ad uncias quinque hauriendam. De reliquis domeſtici familiaresque ejus Medici provideant. Continere tamen me non poſſum, quan-

quanquam festinet calamus, quin macrocephali, filioli pastoris Tierbyensis, bimuli, nudius tertius ad me allati historiam Tibi pro homine Tuo Sampsonico remittam. Caput puerulo inusitatæ visitur magnitudinis, majusque & vastius quam pro reliqui corporis proportione, ut occiput expansis digitorum apicibus amplecti aut metiri non possim, nec frontem latissimam. Nativum cranii vitium judico, suturæ enim jam coaluerunt, solo bregmate aperto. Oculi profundè orbitis occultantur. Ineptus adhuc est ad intellectum, nihilque discere valet, quia forsan amplitudini capitis cerebrique fluidioris spiritus non sufficiunt. Autor fui, ne vi caput comprimeretur membranarum damno, levi tantum compressione sensim firmandum. Nec cucupham negligendam, qua cerebrum laxius roboretur. Sed omnis nimium longa properanti mora est. Vale igitur, mi Borrichi, ut postera crescas laude recens. Hafniæ 24. Junii, 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXXVIII.

De Parenchymate Pulmonum.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

TRansmissa mihi fuit, mense superiore, Amstelodamo sarcinula cum libris, quos mihi aliisque Viris Clarissimis destinaveras, ut ex inscriptione apparuit. Studiosum eum, cujus fidei eandem credideras, hactenus non vidi; si venerit, scito, vel solo Tuo nomine mihi fore acceptum. Exemplaria singulis distribui, & singuli gratias Tibi per me habent dicuntque ingentes. Ego præ cæteris Tibi obstrictus pro liberali dono, gratum animum non verbis tantum, sed & re ipsa præstabo, ubicunque dabitur occasio. Excellentissimus Vorstius, nostræ Facultatis, imo totius Academiæ, Senior, vivit etiamnum valetque, & anniversarias in horto instituit demonstrationes Botanicas. Consultius duxi eundem non reddere conscium tristis illius famæ de sua morte apud vos grassantis, ne forte putaret ab Aquilone malum sibi prædici. Perlegeram antea avidissimè omnes Tuas Epistolas, quia, bibliopolæ officinam pertransiens, forte fortuna meum quoque nomen in Indice conspiciebam, & mirabar me Principibus permixtum Achivis; unde nunc mihi gratulor

tulor Tibique gratias persolvo, quod honorificè mei memineris. Gratulor quoque Reipublicæ Medicæ, quod absolutissimam Tuam Diatriben præmiseris Cl. Malpighii dissertationi, ut pleniori vasculo nunc liceat nobis haurire Tuas aliorumque de Pulmonibus observationes. Nondum autem inducere animum possum, ut credam humanos pulmones ex solis vesiculis constare. Ranarum pulmones id manifestissimè ostendunt, ejusque observationis primus autor non est Cl. Malpighius. De Humanis pulmonibus, aut certè aliorum quadrupedum, jam olim idem prodidit Cl. Borellus in observationibus per microscopium habitis. Ego, si alia methodo res ea explorari non possit, valde metuo me posse unquam veritatem ejus rei indagare, quippe oculi mei vix juvantur ope microscopii, & quanquam varietatem aliquam video, distinctionem tamen non animadverto, quam alii credunt se animadvertere, quibus oculi melius favent. Omninò parenchyma, aut quod ejus vicem gerat, simul adesse, docet pulmonum resolutio ad vasorum ostensionem necessaria. Hactenus tamen judicium & assensum cogor suspendere, donec aliis phænomenis res clarior evadat. Mitto exiguum munusculum meæ Chirurgiæ, quam brevissimè conscripsi ad microcosmi imita-

 tionem.

tionem. Notæ & Additamenta mea in Veſalium hactenus jacent ob varias, quibus in hoc ſtatu diſtringor, occupationes, nam & conjux, præſertim gravida in præſens, & domeſticæ curæ animum meum avocant. Pro felici Tua ominatione de meo conjugio, eſt quod manus Tuas exoſculer, meaque conjux Te Tuamque, juxta mecum, ſalutat perofficiosè. Vale, Litterati Orbis inſigne decus, & me, ut ſoles abunde, amare perge

Excellentiſſimo Nomini
Tuo Addictiſs.

17/27 Lugd. Bat.
Jun. 1663.
Jo. van Horne.

EPISTOLA LXXIX.

De Exceſſu Adolphi Vorſtii, ejusque Theophraſto.

JOANNI van HORNE Leidam.

QUam vellem Te, amiciſſime Horni, vera narrare, vivere & ſupereſſe adhuc *Vorſtium* veſtrum, falſosque eſſe rumores de tanti Viri exceſſu apud nos ſparſos. Vivere ſe, etiam in contemptum famæ, non ita pridem mihi ipſe per literas indicavit:

vit: ſed rumorem fuiſſe ominoſum jam demum reſcivi. Abiiſſe enim ad plures pro certo narratur. Ad paucos mallem dicere, quia pauci ſunt & fuerunt, qui inter paucos felices & beatos cum *Vorſtio* numerari merentur, illo Medico multiſcio, & quod palmarium, honeſto, pacifico, facillimo, & humaniſſimo. Summa eruditio variæque ſcientiæ & linguarum notitia, quibus pectus illud candidum fulgebat, inter minimas dotes reputo, ſi ad Viri cæteras virtutes comparentur, quibus immortalis eſſe meruit. Dolet meritò Academia veſtra Seniorem amiſſum, Reſpublica Medica Anteſignanum, ego amicum à multis jam annis conſtantem, imò præceptorem, quod fateri non erubeſco. Succum enim ejus ſcientiæ olim hauſi in publicis prælectionibus, in botanicis demonſtrationibus, in familiari admiſſione, cujus nunquam ſine inſigni voluptate memoria mihi recurrit, ut taceam alia incredibilis affectus indicia, quæ mihi ex Italia reduci non ſemel teſtabatur, & abſenti poſtea ad extremam usque lineam conſervavit. Serio igitur tanti amici exceſſum lugeo, quo inter Medicos doctiorem hoc ſeculo non novi, quanquam in exercenda medicina, cujus erat peritiſſimus, fuerit plus juſto timidior, mo-

re prudentissimorum Medicorum, qui huic aleæ non libenter se exponunt & inter tot cautiones, quas infinita autorum lectio suppeditat, cauti incedunt, dum alii triobulares Medici consilia præcipitant & quævis obvia remedia cuivis morbo prompta manu ex manica depromunt, vel una fidelia omnes morbos extergunt. In veterum lectione, si quis alius, fuit versatissimus, damnavitque sæpe & apud me conquerebatur, quod juvenum plurimorum cruda & novitiis autoribus tantum addicta studia in publicum hoc seculo protrudantur. Unde recentiorum inventa laudare quidem solet, sed serò amplecti. Tanta tamen moderatione inter diffidentes recentiorum animos, arbiter electus, intercessit, ut exemplo *Scipionis* integro certamine eos reliquerit. Nam ni ita esset, unus *Vorstius* vel notitia rei, vel auctoritate ita de *Deusingio* & *Sylvio* meritus, finire nutu disceptationem, qua inter se summi illi Viri hactenus commissi sunt, potuisset. Sed hæc ad gloriam ejus spectant, & modestiam, quæ tanta in hoc Viro fuit, ut famam summam merere maluerit quam habere. Seniorum gloriæ succrevit, & ad suam gloriam majori famæ aviditate consurgentes alios lætus aspexit, quod de *Fabio Magno* Romanæ

næ Historiæ disertissimus *Autor* prodidit. Nuper adeò in litteris ad me ultimum scriptis, cui respondere non potui nuntio fatali perterritus, & corporis & animi vigorem in ætate hac eundem adhuc sibi remanere beatus senex gloriabatur: sed invida fata optimo seni felicitatem hanc invidentia vereri videbantur, ne fortuna nimia & constantior quam velint res humanæ huic faveret. Igitur rumorem apud nos sparsum, utinam in æternum mendacem, invitis omnibus qui Boream incolunt, quique *Vorstium* noverant, ratum habuere, contra Seniorum Romanorum sententiam, qui negabant olim ad rumores à privatis temere confictos, Senatus Consulta facienda esse. Tu verò, qui beatum *Vorstium* amare quoque soles, & de Republica Medica benè mereri, urge apud hæredes editionem *Theophrasti*, in quo multum olei & operæ consumpsit *Vorstius*, cujus quoque spem nobis non semel fecerat, ut tandem, quod diu ille parturiit, illi pariant. Neque enim dubium est, quin tot annorum cura & labore perfecerit, in quibus & *Furlanus*, & *Gaza*, & *Bodæus*, imò *Heinsius* authorem destituerunt. Ego, desiderio incredibili amissi amici confectus, plura non scribo, sed illi levem terram precor, & Tibi cæterisque ævi nostri luminibus, qui supersunt, *Vorstii*

noſtri famam, annos, animum. Hafniæ Cal. Dec. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXXX.

In Sylvium invectiva.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

MEas cum faſciculo, quas ſub hyeme curaveram per Clariſſ. D. Blaſium, at non niſi vernante anno ad T. Excell. transmiſſas, (ut audio,) deveniſſe tandem ad manus tuas, ſpero; admiſſa verò à Te benevolo affectu, quæ Inclyto Tuo Nomini dicaveram, nec alio, quam quo à me prodierunt, animo æſtimata, confido. Arbitrii Tui planè facio omnia: Tu, ſi quid diſplicet hactenus, corrige, emenda, cenſe, pro Tua humanitate ac candore; contradicentem deinceps judicio Tuo non amplius me audies: qui & hactenus nequaquam contradicendi ſtudio quicquam tentavi, ſed inquirendæ veritatis. Si cum Tui ſimilibus, Humaniſſime Vir, negotium foret, quoties publica functio ad indaginem rerum ac veritatum hinc inde curioſos impellit, quàm ſuaves forent

Bonorum

Bonorum Collationes! quam volupe foret amicè redargui! At seculi mos est conviciis grassari, ac calumniis aliorum affectare gloriolam. Hunc animum, hoc studium in Sylvio quoque nostro experior: in quo profectò nequaquam adeò sylvestrem animum inesse credidissem; à quo nequaquam tam acerba exspectassem. Hæret diutius per moram Typographi sub prelo mea *in Sylvium Echo*, seu *Sylvius Heautontimorumenos*, cui sortem ocyùs rependere decreveram: Interusurium interim postulare justitia & æquitas videbatur, quod alio prelo propediem paratum; aliaque adornata, quæ hominis ineptias ac nugas discutiant, quæ redux, Deo favente, è Patria atque Cliviæ Ducatu, quo causæ graviores sub feriis canicularibus imminentibus me evocant, Typographo committam; interea, dum absum, per Amici curam, quæ prelo commissa expedientur. Profecto magis stolidum Professorem, at interim superbum, hactenus non vidi, in quo, dum suspiciones, opiniones, ac conjecturas ipsius expendo, ne vestigium quidem eruditionis solidæ ullum invenio. Ut sua passim experimenta crepat; sic Empiricum merum esse, ratione omni ac judicio carentem, ejus scripta loquuntur: quin imò, ni sensu communi careret ille sensualis Philosophus,

nequaquam *solo externorum sensuum judicio* passim veritates rerum dignoscendas urgeret. Ea dementia est hominis, ut ea quoque, quæ ex Tuæ Excell. scripto repetii, propriisque Tuis verbis expressi cursorio charactere, quo dignoscantur à meis, illa imputet mihi, indeque crimen calumniæ confingat; quæ interim à Tua Excellentia in ipsius honorem sunt dicta. Profectò magis stupidum animal inter homines non vidi; ac nisi in Sylvis Bestia habenda sit, certè Puerum demonstrabo. Interim novit Deus, nequaquam mihi animum fuisse, contra Sylvium quid agere, (utpote veterem commilitonem,) quamvis animum ejus minus probum novissem, & sequiora pridem in me molimina; ad quæ me nullam occasionem dedisse, sed potius ejus optasse amicitiam, conscientia mihi testis est, atque ipsemet καρδιογνώστης Deus! Sed mitto nunc talia: Ac Latorem harum, aliquandiu meum Auditorem & Discipulum, Excell. Tuæ de meliori nota commendo. Vale Vir Excellentiss. ac favere perge Tuo

Excell. Tuæ
omni studio & affectu
deditissimo
Ant. Deusingio mm.

Gröningæ
Pridie. Cal. Jul.
1663.

EPI-

EPISTOLA LXXXI.

De Uteri ruptura, & innocentia Sylvii.

Antonio Deusingio Gröningam.

SEgnior ſum in reſpondendo quam vel humanitas Tua, vel ſincera, quæ inter nos viget amicitia, expoſcit. Culpam igitur deprecor, quod officio meo defuerim, negotiisque impeditus ſubinde urbe abfuerim, nec ad gratiſſimas tuas reſponderim. Noli credere alium mihi interea fuiſſe animum, quam Tibi addictum, quem amare omni jure debui voluique Medicæ Reipubl. ingens ornamentum, & primum in amicitia. Ampliſſimas ago gratias, quod ea facilitate publicè privatimque exceperis, quæ de *Hepate Defuncto* commentatus ſum, ut in ſententiarum diverſitate, amicus tamen animus conſpiret amiciſſimè, & tam rationibus eruditiſſimis quam affectu prolixo & ſincera voluntate mecum certes. Certè, quanquam antiquum Hepatis munus amplecter, volupe tamen foret diſſentire, ut promptam tuam & eruditam pennam in Naturæ augmentum mutuique amoris ſtabilimentum provocarem. Non poſſum non felicitatem meam agnoſcere, quod tam benevolum adverſarium nactus ſim, qui,

ne

ne rationibus quidem inferior, superior tamen est humanitate. Rem ipsam inter nos controversam in præsenti non tangam, partim quod per alia negotia non liceat, partim quod nolim Te tuasque cogitationes aliis, ut video, destinatas, divertere, nec consultum duco istam serram reciprocare, ne propter argumenti affinitatem *Blottesandæi* partibus immiscear. Stat enim sententia, omnia quidem pro Hepatis jure experiri, sed sine tuis ingratiis. Dabitur forsan alias occasio [NB.] cœptam telam pertexendi, si quando ad experimenta otium perduxerit. Quando id futurum sit, *Deus* novit. Vitæ enim summa brevis spem me vetat inchoare longam, ut in posterum malim alios eruditiores de his aliisque differentes audire, quam scenæ interesse. Tempori aliquid dandum, ut tanquam ex specula prospiciamus quid aliorum ab incude hac recentium observatio pro controversiis his illustrandis contulerit. Tuam interim ingenii promptitudinem admiror, quod ubique per amplum medicinæ campum pari felicitate progrediaris, excutiasque accuratè quicquid sub calamum venerit. Multum Tibi debet Ingeræ nostræ Partus mirabilis, quem diffusa Tua eruditione clariorem reddidisti; multum Tibi & ego debeo, cujus precibus inductus occasionem

dedisti

dedisti curiosis in partus insoliti arcana penetrandi, ut evidenti testimonio constet, quantum facilitas Tua & humanitas, Naturæ mihique indulgeat. In Resolutione Tua doctissima nihil fere omissum quod ad rem faciat, nam

dicenda tacendaque calles.

Non ita pridem Dissertationem conscripsi *De Insolitis Partus humani Viis*, in qua accuratius Ingeræ nostræ historiam expendi. Fervebat illa sub prelo quum Tua Resolutio ad manus meas perveniret, gavisusque sum impensè, quod conjecturæ nostræ passim à Te probarentur, quanquam locorum distantia impeditus, nec pennam ego tuam, nec tu meam potueris vellere. In uno tamen textu dissensus quidam est, ut in epistola responsoria monui, quam Te non accepisse reor, sed prorsus amicus, sicut inter amicos decet. Existimavi ego, gemellos extinctos in utero hæsisse, donec apostemate rupto per partes excernerentur, quod fusè ibi probare mihi visus sum. At aliam video esse tuam conjecturam, æque quidem probabilem, sed dubiis nonnullis involutam. Credis infantes validiores perrupisse ipsum uterum atque in abdomen proruisse, ibidemque extinctos in putrilaginem temporis tractu abiisse. Dubito tamen de

de uteri ruptura violenta, cujus nulla indicia urgentia invenio, neque enim symptomata observata fuerunt quæ vulneratum uterum comitari solent, à *Celso* l. 5. c. 26. notata; neque uterus rumpi debuit, quia satis adhuc capax pro retinendis gemellis mortuis, neque, revera ruptum fuisse, sonus ullus vel crepitus indicavit, imò in utero tot annorum spiramentis hæsisse, aliorum exemplorum fide suspicamur, ut taceam, interea nunquam concepisse, quod vacuo utero facilius tentasset Natura, quam oppleto. Nihil tamen horum mordicus tuebor, quia non deest quod responderi possit, pauca tantum pro sententia mea defendenda adduxi, ante à me scripto consignata quam Resolutio Tua adveniret, ne credas dato studio contradicendi me cepisse voluptatem, aut data per uteri rupturam à Te defensam occasione, abrupisse me amicorum animorum concordiam. Quia de hoc argumento ortus sermo, occurrit forte locus *Senecæ* in Hercul. Oet. Act. 5.

—— nefas est ubera atque uterum tibi
Laniare, qui me genuit. ——

Lugentium morem fuisse ubera laniare, ex antiquitate notum est. Sed uterum an laniaverint, vel laniare potuerint, fateor me ambigere, nisi forsan uterum hic de veste uteri

uteri regionem tegente acceperit Philoctetes. Ex Troade ejusdem discimus, in luctu utero tenus patuisse artus, & veste remissa sinus fuisse substrictos. Sed relictis his locis, de quibus sententiam tuam aperies, quando per occupationes licuerit, quibus publicè distringeris: mallem his aliisque eruditum tuum calamum impleri, quam tot Apologiis, quæ à præclaris ingenii monumentis te avocant. Doleo sanè vicem artis nostræ, quod illi pacato animo calamoque vacare non possis. In primis doleo, quod inter Te & *Sylvium* literarium bellum exarserit. Ægerrimè fero tantos Medicinæ Antistites, tantos amicos meos, inter se aculeatis scriptis committi. Utinam superesset beatus *Vorstius*, ille pacis amor, ut has inter vos componeret lites. Ego, si ad incendium istud restinguendum operam conferre possem, optimè de Republ. Medica me meruisse putarem. Utriusque exacerbatos animos video, & ex suspicionibus infelix odium natum. Quin subinde injusta ab adversario tuo patiaris, nolim dubitare, sed & illi nonnunquam fieri injuriam, patere quæso per amicitiam nostram, ut tibi candidè & amicè exprobrem, nulla quidem tua culpa aut malitia, quam à Te abesse dejerarem, sed interpretum, sed dissidia seminantium, quibus male precor

extra

extra insulas vestras relegandis. Ita memoria lapsi sunt, qui Tibi, in odium forsan *Sylvii*, persuadere conati sunt, primum *Sylvium* non fuisse, qui Leidæ circulationem sanguinis Harveanam propugnarit. Sanctè testari possum, me Leidæ præsente, publicè privatimque Cl. *Sylvium*, etiam beato *Walæo* repugnante, motum sanguinis circularem per rationes & experimenta ursisse, donec eundem etiam *Walæus*, veritati experimentorum cedens, publice defenderet. Non eo animo hæc dicta volo, ut Te amicissimum irritem, quem æqui verique constans amor semper commendavit; sed ut candidum animum erga amicum utrumque, quem nollem ulla parte offendere, apertè videas, simulque detesteris illorum studia, qui non satis sibi cognita pro certis verisque Tibi narrarunt. Perspecta mihi est Tua prudentia, quam ita etiam justissimæ iræ attemperabis, ne ex ingenti magnorum virorum dissidio Respublica Medica capiat detrimentum. Meo consilio non eges, quia ea sapientia pectus eruditum instruxisti, ut monitore opus non sit, amici tamen tui, quo es candore, voluntatem æstimabis Tibi amicisque communibus addictam. Si injurias passus es, passus forsan & ille est, sed neutri imputandum, quod mente non mala, animo non

non malo commissum. Litis tamen arbitrium in me non suscipio, ne in me faba cudatur. Utrique tantum in memoriam revoco illud *Juvenalis* Sat. 13.

—— —— minuti
Semper & infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio —— ——

Dum inter homines sumus, colamus humanitatem, non timori cuiquam, non periculo simus: detrimenta, injurias, convicia, vellicationes contemnamus, & magno animo brevia feramus incommoda. Quo sapientis *Senecæ* consilio, ne longior sim, finio, Teque, magne Deusingi, in plusculos annos felicissime vivere & valere opto; qui Te serio amat æstimatque

Hafn. 20. Novemb.
1663. T. T.
Th. Bartholinus.

[NB.] Cl. *Deusingii* argumentis Hepati Defuncto in Disquisitione Ulteriori oppositis responsum deinde fuit à me in Concertatione De *Hepatis Exautorati Desperata Causa* Sect. 1. edit. Hafniæ 1666.

EPISTOLA LXXXII.

Commendatio amici.

CAROLO DATI Florentiam.

NUnquam alacrius mihi calamus decurrit, quam cum Tibi ſcribendum, adeò pronam mentem manumque experior ubi tuorum meritorum recordor. Quanquam pauci effluxerint menſes, ex quo literulas ad Te miſi; tanto tamen libentius calamum reſumo, quanto carior eſt is, qui repetitæ ſcriptionis autor eſt, ad vos iturus Nobiliſs. Frid. à Lente, Muſarum delicium. Dudum ille & patriæ noſtræ & Magno Parenti, Sereniſſimi Regis noſtri Cancellario & Conſiliario intimo, dedit generoſæ indolis ſpem, quam curioſà jam peregrinatione per meliores Europæ partes, inprimis Italiam veſtram, meliorum familiaritate, augere conſtituit & ad ſummum perducere. Nihil ad præclaros conatus ſibi defuturum ſperat, ſi tua acceſſerit amicitia, de qua ipſum ſecurum eſſe juſſi. Patre natus eſt, in quem virtus & fortuna omnia munera ſua effuderunt; & ipſi filio, qui virtute comite ad vos progreditur, tutum erit, quod ex animo opto, omne veſtigium. Quod ſi igitur primum in amicitia locum huic conceſſeris, nihil à ſolito candore alienum

num facies, & me Tibi porro ad quævis amici obsequia obstringes. Vale, Vir Illustris, & me quod facis, amicumque quem jam tuo favori insinuo, amare perge. Hafniæ 10. Jul. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXXXIII.

De experimentis Bilsianis dubitatio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

COmmendari Vestræ Excellentiæ à me quoque petiit juvenis hic, qui hasce defert, Ulricus ab Elten, Auricæ in Frisiâ Orientali oriundus, & antehac Academiæ Juliæ, nunc verò ab aliquo tempore Nostræ Civis, moribus cultus & eruditus. Ego, qui Excell. Vestræ sincerum mentis candidæ cultum, quo erga Celeberrimum Bartholini Nomen feror, dudum pandere desideravi, ut hujus Juvenis desiderio deesse nolui, ita avidè hanc Clarit. Vestram compellandi occasionem arripui. Itaque uti hunc Medicinæ Studiosum de modestiâ ac literis melioribus Vestræ Excell. favori & benevolentiæ commendare haud immeritò possum, & vestrâ gratiâ non indignum corm

 se

ſe exhibiturum confido, ſic & Ego indubitata mei erga Excell. Veſtram cultus documenta per haſce literulas exhibere laboro. Sanè à quo tempore vel prima emendatæ Rei Anatomicæ ac Medicæ ſpecimina, ac iterata reformatarum ac illuſtratatum illarum Artium eruditiſſima Excell. Veſtræ monumenta mihi licuit pervolvere ac ſtudiis uſibusque meis applicare; indefeſſos Clarit. Veſtræ pro Republ. Literariâ, ac ſpeciatim Medicâ, labores, ſtupendam Eruditionem, illuſtresque Virtutes infucatâ admiratus ſum veneratione, ac conſtanti etiamnum veneror admiratione. At poſtquam Excell. Veſtræ placuit me vel ore Amicorum, vel literis ad Cl. D. Deuſingium, Collegam meum, datis, amicâ dignari ſalute; lætatus ſum ex animo, gratulatusque mihi maximopere, humi adhuc repentem Nominis mei famam ad tantæ Celebritatis tantique faſtigii Virum pervenisse. Unde cum perſuadere mihi vix auſim, meam circa Infantum Oſſa infantiam, aut informe de Fœtu Muſſipontano ἔμβρυον, &c. Excell. Veſtræ fuiſſe lecta aut examinata probatave; credere malim, ſolennem generoſarum ac eruditarum Mentium erga quoſlibet erudiri aut erudire cupientes propenſionem, aut ſpeciatim quantulumcunque de meo erga Rem Anatomicam
Studio

Studio rumorem, hæc benevolentiæ Veſtræ expreſſiſſe indicia. Me quod attinet, ut grato eadem amplexus ſum animo, ita perenni eorundem recordabor voluptate. Interim ſi mea qualiacunque opuſcula vel ſuperficiariâ lectione, vel preſſiore examine aliquando non dedignatam fuiſſe Excell. Veſtram comperero, non tantum memet audebo pluſculum tollere humo, ſed etiam ſublimi me vertice vel ipſa ferire ſidera exiſtimabo; ac ad amicam aliorum juſto ac ſapienti veſtro judicio ſubmittendorum excitabor audaciam. Imò illam jam animo meo confidentiam conciliavit Benevolentiæ Veſtræ fiducia, ut vel aliquam meæ ſpei ſpem Veſtræ facere Clarit. audeam; nempe palmarium Bilſii Bilſianorumque pro Hepate redivivo, Chylique ad illud motu experimentum ac argumentum, quod necdum mihi deſiit eſſe ſuſpectum ac invalidum, certiori me ἀυτοψίᾳ fallaciæ (ne dicam, falſitatis) convicturum, ſimulac poſt depoſitum Recturæ Academicæ onus, intermiſſis aliquandiu extiſpiciis me licuerit reddere liberiùs. Utinam ſaltem feliciori ſpem meam bearet eventu Deus! Utinam, quod mox à primâ Bilſiani experimenti notitiâ mentis percepi oculis, tandem oculatis confirmare manibus, & aliorum ſoli fortè rationi nimium tribuentium aut

fallacibus experimentis Hominis illiterati nimis facilè credentium oculis palam possem exhibere! Sed quorsum me rapit Veritatis inquirendæ Zelus? Hæc tam arrogantis audaciæ temeritas Virum gravem ac modestum ab incepto arceret amore. Excusabit tamen illam, ut confido, Excell. Vestra, calamique mei libertatem, pro innatâ sibi erga Veri sectatores benevolentiâ, benignè interpretabitur. Hac spe plenus, desino in sincero ad Deum opt. Max. voto, ut Te, Celeberrime Vir, Reip. Literariæ, Medicæ ac Anatomicæ superesse cum gloriâ velit diutissimè; Teque obnixè rogo, ut hanc cultus erga Te mei contestationem ex candido profectam esse pectore Tibi persuadeas. Vale, Decus Orbis, nec favore Tuo dedignare

Celeberr. Vestræ Excell.

Cultorem & Amicum

Dabam raptim die 4. Julii, st. Jul. Anni 1663.

Henricum Eyssonium, Med. Doct. & Prof. ord. in Acad. patr. Gron. & Oml.

EPI-

EPISTOLA LXXXIV.

Anatomicæ exercitationis laus.

Henrico Eyssonio Gröningam.

IMpensè mihi gratulor, quod me Tibi amicum volueris, cujus amicitiam diu tacitè optavi. Neque enim per amicos tantum meos rescivi, sed ex scriptis Tuis didici, quantum sibi de Te Respublica Medica promittere possit, gratulatusque sum Arti nostræ, quod ad illam operas tuas omni laude dignas contuleris. Certè illud seculum terimus, quo medicæ artis incrementa lentè exeunt; festinatur in damnum, & quod dolendum, inter placidissima terror existit, & mala, unde minimè expectabantur, erumpunt. Deo sit laus, qui præclara ingenia ad artis nostræ subsidium animat, excitatque ad experimenta. Quod tuum quoque, Vir Clarissime, esse institutum, gaudeo, & eruditis monumentis publicis De Ossibus Infantum, De fœtu Mussipontano, & in Collegio Anatomico non ita pridem testatus es. Quo nomine quoque data occasione magnum tuum in Anatome studium publicè laudare non desinam. Nihil tamen æquè, ut cum *Seneca* loquar, oblectaverit animum, quam fidelis amicitia, quam Tibi sincero animo repro-

 mitto,

mitto, & quia præparata jam sunt pectora, eandem strenuè exerceamus. Utinam ad extispicia revertaris, ut sensuum fide de experimento Bilsiano constare queat. Ego his vacare non possum, & rude jam videor donatus, aliorum tamen labores, tuosque inter primos, avidissimè expeto & expecto. Doleo, quod publicum dissidium ortum sit inter Magnum vestrum *Deusingium* & Celeberrimum *Sylvium*. Quia utrique amicus, vellem inter eos amicitiæ redintegrationem, etiam publico nomine. Tu suggere consilia, qua es prudentia, ut benè de Medica Republica merearis. Tentavi ego nonnihil, sed quo successu, videbimus. Stoicorum Principis præceptum memini, ut Princeps non tantum salutis, sed etiam honestæ cicatricis curam agat. Quod irritatis doctissimorum horum Virorum animis ingerendum: nam, quod de Civili bello *Lucanus* dixit:

Bella gerunt nullos habitura triumphos.

Tu, Vir Excellentissime, interea optime Vale cum tuis, & me porro ama. Raptim Hafniæ 21. Nov. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA LXXXV.

Institutum Rhodii in edendo Celso.

Carolo Offredo Patavium.

QUanquam multas alias ad Te scribendi causas habeam, si veteris amicitiæ memoriam recolo & inusitatam tuam humanitatem; unius tamen amici Nobilissimi, quem vides, amor paucas has ad Te lineas expedivit. Generoso & vere nobili impetu Frid. Lente, ad magna natus, Italiam vestram invisere constituit, ut hausta domi a Magno Parente omnis virtutis semina ad maturitatem perducat. Nihil verò sibi antiquius putavit, quam ut Clarissimis Orbis vestri & Lycæi luminibus innotesceret, inprimis incomparabili *Octavio Ferrario*, in cujus laudes quævis ingenia recta se ferunt. Facilè exorabis Virum Magnum, ut etiam mei causa, laudatum nostrum *Lente*, haud lento gradu in virtutis stadio pergentem, intimiori amicitia dignetur. Frustra essem si Te, amicissimè Offrede, pluribus exorarem, qui nos nostrosque quasi connatâ quadam voluntate amare soles. Quicquid officii in hunc hominem contuleris, mihi in solidum imputabo. De Celso verò Rhodiano quid suades? In manus meas incidit. An manu mittendus sit, apud

 me

me deliberabo. Verbo monebis, ſi, præter Varias Lectiones & Lexicon, beatus *Rhodius* Emendationes, ad quas nonnunquam provocat, ullo ſcripto conſignarit, & an ulla ſpes eſſe poſſit eas videndi. Nam in ſchedis meis nusquam comparent. Inſtituti verò ejus rationes circa editionem *Celſi*, ſi ſupervixiſſet, has invenio ſparſim ſignatas. 1. Univerſi operis *Argumentum* breviter conſignandum, redditâ ubivis ratione Connexionis, ut methodi artificium eluceat. 2. Capitum index ab Aldo petendus. 3. Variis Lectionibus juxta fidem Codd. M. SS. quorum undeviginti lecti, & excuſ. ſubjiciantur: Hypercritica, ceu receptæ lectionis Vindiciæ. 4. Obſcura brevibus Notis explicentur. Omiſſa ex opt. ſcriptoribus ſupplenda. Rectè tradita Medicorum conſenſu roborentur 5. Illuſtrium locorum cum Hipp. Harmonia ubique ad libri oras ponenda, ut autor in ſuos quaſi fontes derivetur, pariter cum Galeno, ad veritatis dogmaticæ illuſtrationem. 6. Sententiarum Index methodicus ſecundum Artis Capita præmittatur, additis libro & capit. 7. Subjiciantur bini Tractatus: Prior de Autoris vita, inſtituto & ſtylo; Alter, de Menſuris ac Ponderibus vett. Med. Rom. 8. Indices ſeparatim concinnentur: 1. Celſi, juxta libb. ſeriem, capp. & Rerum Alphabet:

phabet: item Verborum & Locutionum cum Glossis: 2. Annotationum Alphabet: quibus præmittatur peculiaris eorum Syllabus, qui citantur. Utinam susceptum opus ipse perficere potuisset optimus *Rhodius*, nec publicam expectationem morte sua destituisset. Confusa jam omnia reperio, & perpauca quæ ad rationes supradictas exigi possint. Plura non addo, ne animum tuum avocem, quem integrum Lentio nostro devovebis. Vale, & magnum *Ferrarium* ex me saluta, uti & Cl. *Molinettam*. Salutant Te *Fratres* & Consobrinus *Fuiren*. Hafniæ 29. Jul. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA LXXXVI.

Octo Observationes Practicæ. De Carnibus Lucentibus quæstio.

Thomæ Bartholino Hafniam.

QUam ad te scribendi denuo jam à longo tempore quærebam opportunam occasionem, eam Serenissimi Principis Daniæ hac transeuntis in patriam reditus,

tus, & Clarissimi Viri Dni de Legard, Serenissimi Principis Medici, comitas mihi obtulit, qui literas, quas ad te vellem scribere, tuto deferendas se curaturum pollicitus est, imò se illas in manus tibi tradendi spem mihi fecit, quem favorem ideò ambivi, quod longissima dissiti locorum intercapedine, mutuo literarum prohibemur commercio, & ideo an literas, quas via ordinaria decem abhinc annis aut circiter ad te scripseram, receperis nec ne, me fugit, quibus non solum quod me olim, dum Monspelii degebam, in amicitiam tuam recipere non dedignatus fueras, sed insuper me tibi non parum obstrictum confitebar, quod benevoli tui erga me affectus publica monumenta extare volueris in lucidissimo illo tuo *De Luce animalium* libro consignata, qui admirandis quidem historiis refertus est, sed magis admirandus est non tantum ob masculum illum & nervosum stylum quo totus contextus est, sed potissimum ob rationes illi sane novas, qui alienâ quadrâ tantum norunt sapere, Magistri alicujus authoritati velut ad Cippum alligati, apud alios, qui veritatis nucleum & intima essentiæ rerum viscera perscrutantur, judicio meo antiquissimas, cum suam veritati, quæ ipsa est antiquissima, originem acceptam referre debeant,

&

& ut de me loquar, apud me, cæteris omnibus, quas unquam conceperim, antiquiores. Sed si forsan superiores illæ meæ literæ ad Te scriptæ interciderint, ideo ne, malo fato, tibi fiam ego ignotus, qui me, aut saltem nomen meum omnibus qui doctissimum tuum librum legerint, toti inquam orbi literato, notum voluisti, & illis ornasti, aut potius onerasti præconiis, quæ cruda adhuc & imperfecta studia, cum vix adhuc à limine Apollinis fana salutassem, nec sustinebant, nec merebantur, postquam me examinum alcam subeuntem in Celeberrima Monspeliensium Medicorum Academia, præsentia Tua cohonestare haud fueras dedignatus, quam studiorum meorum juvenilium honorificam mentionem, ex affectu potius Tuo, quam effectu aliquo vero dum metior, me tibi vel eo nomine devinctissimum esse, & maximas debere gratias, confiteri teneor; unde etiam, altius ita inclyti tui nominis animo meo hæsit memoria, ut nulla vel locorum vel temporum distantia potuerit obliterari, etiamsi, quod facis, singulis veluti diebus, oculis nostris, vel potius toti orbi literato, non illuxisses doctissimis tuis scriptis, Cedro dignis & ære perennioribus, & nemini, nisi in Rep. literaria omnino

omnino ſit peregrinus, non dictus fuiſſes Magni Parentis Major filius, qui illuſtris nominis hæreditatem à parentibus corrivatam illuſtriorem quotidie & auctiorem facis. Si verò aves quædam, quæ nocte volant ſeroque trahunt à tempore nomen, noctuinis & conniventibus oculis, tuo nomini ferendo non ſint, ſed inſtar canum ad ſplendidiſſimi ſyderis radios oblatrent, dum ſe produnt, fulgorem tuum magis ac magis vel inde probant. Sed ex diverticulo in viam. Ad te ſcribendi liber tuus doctiſſimus (De Luce Animalium) cauſam & occaſionem mihi ſuppeditaverat, partim ut tibi gratias agerem, ob honorificam in libro illo nominis mei, infantiæ inquam meæ & balbutientium ſtudiorum meorum mentionem, partim ut ſententiam meam, tuæ conformem, de re admirandâ, cujus ego fueram teſtis oculatus, tibi aperirem: nam cum pro ratione muneris profeſſorii in philoſophicis, quod in Academia patria nactus ſum exornandum, agitanda mihi eſſet quæſtio Philoſophica pro more ſolito, dum agerentur anniverſaria noſtra ſolennia Academica coram Magnificis Conſulibus & Senatoribus, Venerando Synedrio, Viris aliis Doctis, in magno auditorum ut ſolet fieri tunc temporis concurſu, nec dignius

dignius occurreret argumentum, quam carnes illæ agninæ in macello Monspeliensi vænales, noctu lucentes, & illius materiæ tractationem suscepissem, commodum advenit, ut paucis diebus ante sciverim, Tractatum super hoc argumento, à Te fuisse adornatum, & in lucem editum, quem cum sedulo quærerem, forte fortuna εὐδαιμόνως unicum exemplar superstes & vænale in officina cujusdam Bibliopolæ reperi, ex cujus attenta lectione doctior evasi & summa voluptate me inde perfusum sensi, quod tecum conformiter in pluribus sentirem, ut ideò tui pro honore debito crebram mentionem fecerim. Quïd super hâc re conceperim & collegerim ad te mitto, ut quædam, quæ tua sunt, agnoscas. Multa tamen ex illo tempore de natura lucis in mentem meam venerunt, peculiarem esse dispositionem agnoscendam puto in corpore quod luminosum dicitur, quanquam nullum luminosum nisi virtualiter agnoscam, cum ita dicendum putem nisi quatenus ex certa partium dispositione oculos nostros & nervos opticos ad recipiendam ejusmodi impressionem dispositos faciunt corpuscula illa virtualiter luminosa & actualiter lumen ex oculis nostris & aliis organis visoriis exprimentia. Quidni E.

ejus-

ejusmodi & cognata in corporibus lucidis, in carnibus lucentibus & aliis partium dari poteſt diſpoſitio, ob quam radios ejusmodi de ſe mittant, unde certo modo organa viſoria feriunt & inde lux ſentiatur & fiat corpus luminoſum. Sed quid ludicris noſtris luſibus te moror? qui talem diſpoſitionem nactus es, ut in æternum illuſtriſſimum nomen tuum & ſplendiſſimum toti orbi literato illucere debeat. Deum ſupplex veneror ut tu diu nobis illuceas, nomen enim tuum jam æternitati conſecratum eſt.

Sed à Philoſophicis ad Medica. Rariora quædam, quæ mihi medicam artem exercenti obſervanda contigerunt, pauca tamen pro temporis anguſtia, ad Te mittere conſilium eſt.

1. Mulier quædam octogenaria, à duobus circiter annis, menſtruas purgationes patitur ἐντάκτως cum ſanitatis commodo & εὐφορίᾳ.

2. Obſervati ſunt infantes aliqui, quos in utero materno febricitaſſe, certiſſima erant τεκμήρια. demortuorum totius corporis habitus, maculis quibusdam rubris & lividis diſtinctus erat, unum in utero vagientem Mater diſtinctiſſimè audiverat octo ante partum diebus.

3. Pater

3. Pater meus octo abhinc annis, cum ſeptuaginta quatuor annos natus erat, ex altiori loco decidit in caput, & graviſſimam cerebri commotionem paſſus eſt, cui utriusque brachii fugax paralyſis ſtatim ſucceſſit, ex perturbato ſpirituum animalium motu, paulo poſt in vomitum & λειποψυχίαν incidit, quam excepit febris continua graviſſimis ſtipata ſymptomatibus cum linguæ nigredine: univerſalibus partitis remediis, & ad affectus dictos aptatis, indeſinenti applicatione pullorum columbinorum & gallinaceorum, & pulmonum calentium è vervecibus recenter & ad lectum ægri jugulatis, 2. adhibitis occipitio cucurbitulis, quod remedium dolorificum eſt admodum, & ideò multis nominibus laudandum in Apoplexia, tertiò applicitis toti capiti raſo veſicatoriis & ulcera diu aperta ſervando, continuato litu baſiliconis cum certa proportione cantharidum, veluti ex orci faucibus ereptus fuit, paulatimque convaluit, & proſpera utitur valetudine, niſi quod inde auditus gravitatem, & majorem ac majorem viſus hebetudinem, ac tantum non cæcitatem jam patitur. Cæterum valens eſt & robuſtus.

4. Paucis abhinc ſeptimanis ſeptuagenario Seni medicas manus attuli, ſanguinem mejenti, nullum dolorem niſi in renibus,

 ſed

ſed admodum obtuſum & levem, ſentit, corpus facillime in omnem partem flectit & incurvat, nulla tentatur nauſea vel vomitu, neutrum crus ſtupore afficitur, gravia corporis ſubit exercitia, is uncias tres ad minimum caruncularum & membranularum ſimul cum urina cruenta minxit, cum dyſuria, vix enim exibant carunculæ, & ægrè ibat lotium, nullum unquam pus obſervatum fuit, in renibus tamen vel in altero ſaltem rene ulcus judico, dolorem graviorem in lumbis, antequam urina fieret cruenta, expertus eſt, urina meo quidem judicio, continuo præterlabens, non patitur materiam ſubſiſtere, ut in pus mutetur, ad id ſiquidem requiritur παραμονή.

5. Anno proximè præterito, mercator hujus urbis temperamento birioſo in melancholicum & aduſtione bilis degenerante donatus, ictero ſæpius & tandem graviſſime laboravit, varias febris ὑποστροφὰς ſæpius paſſus, & in tabem fere deductus eſt, tandem verò cum de ipſo omnino conclamatum eſſet, & nulla videretur affulgere ſalutis ſpes, veſicas & cyſtides ſibi invicem connexas & concatenatas humore quodam pultaceo repletas ovi columbini magnitudinem æquantes, majores quaſdam, alias minores, tanta copia, certis tamen intervallis, per alvum excrevit, ut implendæ pelvi

pelvi sufficere potuissent; cujusdam ignari suasu usus fuerat sale tamarisci &c, renuentibus Medicis, potionibus vulnerariis. Excretis illis sacculis, ab ictero & febrium subinde recurrentium insultibus liber evasit, & à febre lenta, qua sensim conficiebatur & contabescebat, jam sanus degit.

6. Paucissimis abhinc diebus vocatus fui ad oppidum vicinum Duillion ut inviserem ægrum febre continua decumbentem, quem leipothymia graviter vexatum, hinc inde sese jactantem cum dyspnœa & facie Hippocratica reperi, eum in periculosissimo statu statim judicavi & attentius omnia pensiculando maximum in præcordiis ardorem observavi, potissimum e regione umbilici quæsivi an aliquod pondus sentiret, annuit æger, jussi ut corpus in alterum latus verteret & observaret an non aliquod pondus cum corpore simul devolutum sentiret, ægre corpus suum vertit æger, & pondus illud, ut dixeram, manifestissimè expertus est, judicavi inflammationem ibi subesse, & humorum putrescentium & inflammationem facientium συστροφὴν, στοχασμὸν probavit eventus, applicatione fotuum emollientium & frequentibus enematibus injectis, & aliis præstitis remediis successit tanta fœtidissimi puris per alvum excre-

tio, ut fidem ſuperet, intra tres ſeptimanas integrè inde convaluit continuato uſu potionum traumaticarum quæ apud nos celebres ſunt.

7. Expertum eſt nobis remedium, crudus mercurius ſine metu propinandus ad laborioſum partum, niſi malus infantis ſitus laboris ſit cauſa, miror! cum ſi non venenatus ſit, vim habeat catharcticam, & diarrhœa puerperis pernicioſa & plerumque lethalis ſit: attamen de experientia mihi notiſſima loquor, & ſine noxa ſed cum feliciſſimo ſucceſſu ſemper exhibitum.

8. Laudani illius ſine opio toties & tantis virtutibus præditi & tot laudibus à Quercetano decantati potiſſimum in hoc pro nobili virgine conſilio deſcriptionem ex propriis authoris manuſcriptis habeo. Præparatio impenſas exigit & laborem, cui vacare per otium non licuit.

Paucula hæc ad te ſcribere vix potui. Utinam animum erga Te meum æque ex effectu atque ex affectu conteſtari, & *tibi* probare poſſem. Faxit Deus ut diu & perdiu in Reip. literariæ commoda, cujus ſingulare & illuſtre decus es & ornamentum, vivas. Vices meas doleo quod tanto locorum diſſitus ſum intervallo. Si quidam

dam veſtrates aut amici huc veniant peregrinandi cauſa, potiſſimum ſi aliquandiu hic ſint commoraturi, ut ſæpe fit, & illos velis mihi commendatos, omnibus meis obſequiis & officiis experientur quanti Te faciam, qui, ſi nil aliud poſſim, ſaltem virtutum tuarum & laudum me habebis, etſi invitus, habebis tamen præconem. Ἔρρωσο.
Dabam Genevæ 5. Julii anno 1663.

Tuus totus & ad omnia obſequia
paratiſſimus, & ubique devotiſſimus
Daniel Puerarius.

EPISTOLA LXXXVII.

De Lucis in animalibus cauſa. Obſervationes Medicæ aliis obſervationibus illuſtrantur.

Danieli Puerario Genevam.

Antiquum obtines, mi Puerari, & poſt tot annorum lapſum nihil à modeſtia ſolita, nec ab amore, quo olim me proſequutus es, nec ab humanitate propria remittis. Eruditione autem & matura de rebus arduis judicandi promptitudine & ætatem ſemper & nomen ſuperaſti. Benè

 tibi

tibi ſit & omnia proſpera eveniant, quod veteris amicitæ memoriam repetas. Mala autem internuncio illi precabor, qui priores ante decem annos ſcriptas literas ad me non pertulit. Felici jam auſpicio in comitatu Auguſti Principis noſtri, gentis noſtræ delicii, Doctiſſimo Legardio fautore, Tuæ exoptatiſſimæ afferuntur, lucis plenæ & medicæ experientiæ. Amo Te multum, quod ea, quæ de Luce Animantium olim conſcripſi, & laudaveris in publico Magnorum Reipublicæ veſtræ florentiſſimæ Virorum Conſeſſu, & ſequutus ſis, ingenioque Tuo & eruditione illuſtraveris. Splendorem lumini meo addidiſti, ut Te inter ſplendidiſſimos aſſereres, & famæ meæ laborumque fautores. Lucem animalibus eſſe inſitam aſſerere auſus ſum, nec ſententiæ pœnitet. Faces faſcesque virgarum cornibus boum præligabat olim Annibal ad fruſtrandum hoſtem. Natura verò nobis faces æthereas ſive lucem intimis viſceribus inſevit, quæ tum demum emicat clarius quando per putredinem vel ali m corporis reſolutionem ruptis quaſi repagulis ſe exſerit, & diffundit, quod in agnina carne Monſpelienſi & Patavina, in piſcibus putridis & lignis liquere poteſt. Ita aromata pleraque, inprimis piper, nec ſaporem

rem ſui nec odoris præſtantiam exſerunt, niſi contundantur univerſa compage diſſolutâ. Nec ligna, nec ceſpites bituminoſi, nec ſtramina lucent, niſi accendantur, adeoque ſubſtantia diſſolvatur ſolida quæ lucem tegebat. Illuſtrant hanc rem cadavera nonnullorum gratum odorem ſpirantia, qui in vivis non ſentiebatur. Inſita enim principia, per putredinem è carcere ſuo liberata, ſuam virtutem produnt. Exempla hujus odoris grati ſumminiſtrant *Leonardus Donatus* Venetorum Dux, *Wilhelmus* Epiſcopus Roëſchildenſis, *Olaus* Rex Norwagiæ, aliique de quibus *Maurocenus*, *Saxo Grammaticus* noſter & *Snorro Sturlejus*. Hinc carnes animalium ita lucentes plerumque contagioſi morbi inſequuntur, quia putredini obnoxia corpora. Et quotiescunque ſplendores ſimiles vel oculis obverſantur vel ex capillis proſiliunt, in propinquo eſſe ægritudines conſtat, de qua re plura non proferam, quia alibi juſta diligentia omnia abſolvi. Injurius tamen videris in Floram Gallicam, quæ in tractu Narbonenſi plena manu opes ſuas campis eliminat, & rorem marinum, thymum, ſalviam, pulegium, aliasque præſtantiſſimas herbas agnis pro eſca exponit, quaſi harum plantarum eſu inflammentur anima-

lia, lucisque igneæ occaſio emergat. Enimverò tantum abeſt in detrimentum animalium cedant herbæ iſtæ campeſtres, ut delicatiſſimæ potius exinde carnes menſis civium inferantur & ſapore & præſtantia ſanitati proficuæ. Sunt præterea ex illo genere, quæ putredinem arcent magis quam promovent, adeoque quanquam calorem intus augeant, impediunt tamen ne in flammam ſeu apertum lumen per putredinem erumpat. Poſteriores tuæ de Luce cogitationes ingenioſæ ſunt: an veræ, neſcio. Diſpoſitionem in objecto facilis concedo, neque enim quævis corpora vel lucida vel ad lucendum apta. Illa tamen diſpoſitio internum lucis principium ſupponit, ſine quo ad lucendum neutiquam diſponi poteſt. Id docet lapis Bononienſis, qui calcinatione diſponitur ad recipiendum lumen, idque ſulfuris innati beneficio, quo alii lapides ſimili modo calcinatione diſpoſiti, vel ipſe hic Bononienſis inveteratus, ſi careant, quamvis diſpoſitionem habere videantur, ad lumen tamen recipiendum & diffundendum inepti ſunt. Ita ſtellæ ad lumen diſpoſitæ ſunt, quia luminoſæ actualiter ſunt. Lucret. l. 5.

Largus item liquidi fons luminis æthereus ſol
Inrigat aſſiduè cœlum candore recenti,

Suppe-

Suppeditatque novo confeſtim lumine lumen.

Ab oculis ea dependere non poſſunt, quia exinde tantum luminis exprimi nequit, & qualescunque ſint oculi, qualisque nervorum opticorum in variis diſpoſitio, ſemper eadem facie lux & color apparet in objectis. A mille obſervatus Mars ſingulis rutilus videtur, quanquam eandem ſingulis oculorum diſpoſitionem eſſe, vix credi poſſit. Unde rectius laudatus ante *Lucretius* l. 4.

Eſſe in imaginibus quapropter cauſa videtur
Cernendi, neque poſſe ſine his res ulla videri.

Quod de luce partibus innata, realiter, non virtualiter lucentibus quoque dixerim. Quam lucem realiter ineſſe corporibus, etiam Deo creatori credimus, cujus oraculum eſt *Gen.* 1. 14. Fiat lux, rebus ſcilicet inſita, non ex oculorum arbitrio dependens, ſed revera exiſtens. Hujus varia indicia dedi in Libris *De Luce Animalium*, paſſim in variis elucentia. In *Anatome Reformata* lib. 2. c. 6. magnum illius uſum eſſe credidi in cordis motu promovendo. Quo conſpirant recentiorum nonnulli, qui de flamma cordis commentantur. Certè magnum argumentum præbent cicindelæ, quarum pars poſterior, ubi cor ſitum, ſola ſplendet ſimul & palpitat. Sed lucem hanc tuæ induſtriæ relinquam, quia claro inge-

nio fulges, neque nebulas illi dubitationes meæ, quæ ad istam lucem non assurgunt, offundent, quia de luce ista mea vix cogitavi ex quo in lucem publicam Liber ille meus prodiit, neque jam ad calamum revocassem, nisi occasionem dedisses elegantissima Tua de eodem argumento Dissertatione, quam cum literis exoptatissimis mittere placuit. Ab hac luce digressus Medicis observationibus clariorem epistolam reddis, meque beas. Redderem Tibi similia, quæ passim multorum annorum experientiâ collegi, nisi publicè in Historiis, in Epistolis, in Opusculis variis, hactenus editis, legerentur, & jam ad plenam Epistolam impleta esset penna. Percurram amico oculo historias tuas, ut illustrentur, ne materia amico Tibi respondendi desit.

1. Plethoricas fœminas ordinarium menstrui fluxus tempus aut antevertere, aut protrahere experientia nos docet, si nempe sanguis calidior vel serosior exitum urgeat. Puellis ante decimum fluxisse, inter exempla memini, quæ eapropter ante tempus viro maturæ videbantur. Incertum quoque est tempus, quo cessare menstrua illa evacuatio solet, pro varia sanguinis urgentis qualitate & viarum aptitudine. Hinc etiam post sexagesimum annum genuisse quasdam, exemplis probat *Schenckius*, Observationum

rararum

rararum Oceanus. Fieri id naturæ ſolatio, ſi abundet ſanguis, inde ſcimus, quod alias vias quærat ſi ordinaria deſit. Hinc bonum eſt ſanguinem è naribus profluere. 5. *Aph.* 33. quod de alia quacunque via rectè explicat *Galenus*, & de ſudoribus, oculis, ore, hæmorrhoidibus, aliisque exempla novi. Ad octogeſimum tamen annum rariſſimè vel ſanguis abundat, vel viæ in ſenibus patent, ipſa Saræ confeſſione *Gen.* 18, 11. ut adeò divini aliquid ſubeſſe debuerit quod conceptio fœtusque ea ætate ſucceſſerit. Et quanquam ætas illa ſanguine nonnunquam luxuriet, ut in hiſtoria tua, tamen ineptus cenſetur ille, niſi miraculum acceſſerit, qui fœtum alat conformetve. Diverſitas tamen temperamentorum hic exceptionem admittit, ut in re diſſimili non præter rem olim *Cato* dixiſſe fertur, nullam legem ſatis commodam eſſe omnibus. An autem fidem mereatur *Valeſcus de Taranta*, qui l. 6. c. 12. de curand. morb. de Prioriſſa narrat in monaſterio Monvero, quod in ſenectute menſtrua receperit, abundè ut in juvenibus fluentia, mammillas elevatas, nigros capillos, dentes molares, faciemque pulcram, mei arbitrii non eſt decernere. Similis certè eſſet hæc Prioriſſa tuæ vetulæ, quia utraque benè ex fluxu illo

illo habuisse dicitur: & auguror, quia εὐτάκτως & cum εὐφορίᾳ fluit, longiorem adhuc ætatem.

2. Consensu & incommodo morborum matris in utero fœtum affici, ejusdem inordinato motu in gravidis observavi. Nec mirum, quia à matre nutrimentum haurit, calore febrili accensum. Vidique exclusos fœtus à matre febricitante debiles, & universo corpusculo quasi excoriatos. Quibus injuriis in utero expositi si vagiant subinde, mirum non est, & hujus vagitus alia exempla adduxi *Cent.* 1. *Hist. Anat. Rar.* 1.

3. Pater Tuus Paralyticus ex casu, *sanitatem* suam nativo robori & tuorum remediorum felicitati debet. Solent enim esse hujusmodi casus periculosi, etiam in junioribus. Causam aperit *Valleriola*, qui de Paralysi cruris dextri & brachii sinistri post vulnus capitis levidense, sine cranii fractura aut rima orta, *l.* 3. *Obs.* 1. narrat, è regione partis vulneratæ inter cranium & duram meningem pus non quidem copiosum sed lividum & fœtens inventum. A commoto tamen sero ventriculis & principio nervorum incumbente, verius resolutionem istam deduxerim, quia copiosior in senibus ejusdem seri proventus, & hanc Paralyseos causam frequentior defunctorum sectio

ſectio aperuit. Curatio quoque tua per veſicatoria confirmat. Timendum tamen ſeni ab Apoplexia, ſi ſerum univerſa organa ſenſus motusque interiora inundaverit, quemadmodum in nervis auditoriis & viſoriis occepit. Forſan tamen ex caſu illo corpora ſtriata medullæ oblongatæ concuſſu valido obliterata ſunt, quam paralyſis cauſam ſæpius in cadaveribus invenit *Williſius* ingenioſus, in nuperrima Cerebri & exacta Anatome c. 13.

4. Septuagenarii ſenis ſanguinem & caruneulas mejentis hiſtoria lucem mutuatur ab *Hippocrate* 4. Aph. 75. 76. utriusque enim affectus ſedes & cauſa in renibus quærenda. In Aphorismo vero 76, delenda omninò disjunctiva particula ἢ, quicquid hic præter mentem *Coi* moliatur *Galenus* in Commento. Jungit enim *Hippocrates* l. De Nat. Hum. ſine disjunctione, σαρκία μικρὰ τριχώδεα, carunculæ velut pili. Talesque ſe quoque vidiſſe teſtantur *Thriverius* Com. ad Aph. *Hollerius* in Schol. l. 1. cap. 52. Morb. intern. De pure quæ addis, clara ſunt.

5. Obſtructionem meſenterii globuli, quos excretos vidiſti, ſæpe inducunt, varia materia repleti. In meſaraicis eos in ictero obſervavit *Helmontius* in Sextup. Digeſt.

Digest. n. 56. ut alios taceam, Atrophiam quoque ex aliquot mille verrucis circa epar, mesenterium & intestina enatis vidit *Ph. Salmuth* Cent. 1. Observ. 5. Tuæ observationi, quæ est inter rariores numeranda, respondet niger ille servus laqueo suspensus, apud *J. Phil. Ingrassiam* lib. de Tum. tr. 1. cap. 1. in cujus mesenterio strumæ circiter LXX. visæ, præter quas in glandulis existentes, totidem ferè externè intestinorum crassorum tunicæ adhærentes tumores propria membranula vesiculæ instar contenti cernebantur, utriusque autem generis tumores, varia quantitate, & magni & parvi erant, atque inter extremos qui ad ovi gallinacei magnitudinem pervenirent; & minimi ciceris parvitate quamplurimi intermediæ quantitatis gradatim visi, qui singuli dissecti, nonnulli lapideum gypsum, nonnulli verò glutinosam mucosamque materiam, & interim liquidam quandam substantiam continebant, ut postremo ac novissime genitus tumor liquidiorem, antiquior verò solidiorem substantiam p.æ se ferret. Quem autem locum in mesenterio occuparint sacculi illi tui, vel quo modo abrumpi & excerni potuerint, Oedipo non Davo opus erit. Vero simile fit, quia ad tabem vergebat mercator, vel

venas lacteas mesenterii istis vesiculis fuisse obstructas, & deinde vel naturæ conatu vel alio irritamento abruptas & expulsas. Refert enim *Hildanus* Cent. 1. Obs. 70. in puellæ tabe extenuatæ cadavere, mesenterium undique refertum tumoribus duris; scirrhosis atque steatomatibus, præcipue circa vasa & venas, quæ ad venam portam protenduntur. Mesenterii quoque obstructionem ictero generando sufficere, ossea ejusdem constitutio apud *Jo. Rhodium* nostrum Cent. 2. Obs. 96. fidem facit: sine dubio, quia sanguis per portam hepati inferendus, ibidemque à bile purgandus, à suscepto itinere avertitur, restitatque eo impedimento bilis ne ad percolatorium suum perveniat. Infestari his globulis actionem fermenti fellis, *Helmontio* linquo & explicandum & defendendum.

6. Dejectiones purulentæ vel à superioribus proveniunt, vel ipso abdomine. A thorace pus in pleuritide & phthisi per alvum expurgatur, quod non semel observavi. Ex læsis inflammatisque artubus idem advertit *Paræus* l. 10. c. 12. & l. 16. c. 49. Solet & interdum putris sanies profluere in Dysenteria, quia intus intestina exulcerantur *Celso* l. 4. c. 15. quem fluxum saniei continuum triennio observavit in Aretino

Aretino quodam *Benivenius* Obſ. c. 96. Pus iſtud in involucris inteſtinorum acervatum vidit *Hollerius* in Schol l. 1. c. 43. & in ſolo recto inteſtino cæteris illæſis *Jo. de Lamoniere* c. 7. de flux. Dyſent. Internam faciem ita affecti hominis detexit in Anatome Dyſenterici beatus *Falcoburgius*, præceptor in hoc ſtudiorum genere olim noſter. In inteſtino colo & recto apoſtemata hinc inde aderant, quædam rupta, ubi & lacerata inteſtina. In meſenterio glandulæ nonnullæ tumidæ pomi inſtar, quæ apertæ pus expuebant fœtidum, quale ex Dyſenterico vivo prodierat. Hinc ſciri poteſt, unde pus in inteſtinis ſine illorum læſione coacervatum fuerit, apud *Hollerium* & *Lamonierium*. Obſervavi in generoſo Viro puris profluvium quotidianum, quo tandem macie confectus obiit. Hiſtoriam ejus pertexui *Cent*. 4. *Hiſt*. 96. Quanquam per ſectionem non patuerit pars affecta, ſuſpicatus tamen ſum vel meſenterium vel pancreas ulcere putrido corruptum fuiſſe, quale annotavit *Jac. Aubertus* Exerc. 44. in Fern. nec abſimile *Highmorus* l. 1. p. 2. Disque Anat. c. 8. In tuo ægro puris fluxu decumbente, exiſtimo in hepate fuiſſe abſceſſum ſeu vomicam pure plenam, unde elevatis vaporibus putridis vel inquinato ſan-

ſanguine in corde calor p. n. accenſus, & leipothymia inducta, & à tumore diaphragma premente dyspnœa. Locus umbilici id confirmat, & pondus quod ſentiit, & ardor in iſta regione moleſtus. Tuæ verò ſolerti arti & induſtriæ aſcribendum, quod rupta vomica & expurgato pure convaluerit. Gallum Tibi Æſculapio ſuo debebit, ſi gratus eſſe velit. Solent enim hujusmodi abſceſſus nobiliorum viſcerum jugulare, ſicut aliàs obſervavi, & in Romano vidit *Panarolus* Pent. 1. Ob. 37. qui inflammatione hepatis laborans poſt XV. dies magna puris graveolentis copia per alvum excreta paulò poſt expiravit, & vomicam in hepate cum maxima puris coacervatione diſſectori Larcheo, Chirurgo perito, monſtravit. De purulentis fluxibus, ne longior ſim, ſatis dixi.

7. Crudus Mercurius tam pellere fœtum poteſt, quam lumbricos, quia naturæ noſtræ adverſus, & vi exitiali præditus autore *Dioſcorid.* lib. 5. cap. 70. partes ad expulſionem irritat. Tutum tamen non omnibus cenſeo, inprimis debilioribus. At robuſtiores Mercurio duce non indigent ad Lucinæ labores, niſi alia pro matre ſpes evadendi nulla ſuperſit, etiam fœtus detrimento. Sed tuæ experientiæ non diffido, quia nec mihi nec publico imponis,

&c idem factitare obstetricres Goritienses narrat *Matthiolus* in Diosc. l. c.

8. Quercetani Laudanum tot encomiis laudatum, si ex schedis authoris genuinum nobis dederis, laudem quidem majorem mereberis à me, quam ipse *Quercetanus*, quia propalas amico, quod omnibus occultum ille voluit, more sectæ, cui addictus erat. Verè cum P. *Monavio* Epist. 238. apud *Scoltzium* dixerim: Quercetani oracula aut ænigmata non intelligo, nec scrupulosè inquiro. Sino mortuos sepelíre suos mortuos. Te verò, mi Puerari, veteri amicitia colende, laudare non desinam & amare, quod officia tua amicis tam benevolo animo offeras. Captabo occasionem, ne de voluntate tua videar dubitare, vel certè in filiorum tandem adventum differam. Interea vale, & longiori epistolio ignosce, quo testari volui, quam prolixo obsequio Tibi velim esse obstrictus, cui à tot annis benè precatus sum. Tuus esse non desinam, quanquam frequentiora literarum commercia cessent. Scripsi Hafn. 14. Mart. 1664.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA LXXXVIII.

De impostura Lithotomi Raousi.

Thomæ Bartholino Hafniam.

AUreæ nostræ Messi multa interseritur Zizania, fucorum quippe omnia plena; imposuit nobis in Anatomia Bilsius, in Medicina abituriens hinc Burrus, in Chirurgia Lithotomus Gallus Raoulx, cujus diabolicas artes ex adjunctis vides; quem nominant Ipelarium Juvenem Amstelodamensem, vel manu tangere nolebat priusquam ipsi solvisset fl. 2500. id est mille imperiales. Digna sunt ut nobilissimo genere & virtute Viro Dn. Hugoni Lutzow communicentur; ejus calculum putatitium, silicem esse, evidentissima probant signa; quod post subitaneum ejus discessum Medicis & Chirurgis nostris indicavi; nolebam autem afflicto proboque Heroi addere afflictionem, sperans istum nebulonem calculum quidem extraxisse, sed magnum pro parvo supposuisse; talem enim, parvum scilicet, ipsum judicavit & adhucdum judicat indies in arte sua incrementum sumens Lithotomus noster Harlemensis Salomon Verkaemer. Non potui hæc Tibi strenuo veritatis indagatori non significare. Age quæso gratias Dn. Paulli pro docto suo li-

 bello;

bello; in plerisque omnibus rem acu tetigit, paucissima sunt quæ aliter nobis hic videmur observasse. Vale & redama Te semper magnifacturum amaturumque

Amstelodami 14. Aug.
1663. Paulum Barbette.

EPISTOLA LXXXIX.

Dubitationes de Lithotomi ejusdem arte.

PAULO BARBETTE Amstelodamum.

QUæ binis literis de Lithotomi Galli impostura scripsisti, mira nobis visa sunt. Quum primùm ad nos ex itinere redux esset Nobilissimus Lutzovius noster, varia expertus est judicia de calculo quem exsectum monstravit, plerisque in aula pro fictitio traducentibus. Certè non ovum ovo similius, quam iste calculus est pyriti, adeò ut & scintillæ exinde eliciantur, & cotis vice esse possit. Rogatus ego sententiam, pro supposititio habere primâ fronte ausus non sum, quia similem prorsus calculum in Musæo servarem ab homine exsectum, si vera narravit amicus, qui illum mihi olim dederat, meminerimque me legisse apud Schenckium calculum silicis duritiei

ritiei alicui fuiſſe extractum. Augebat fidem ægri nobiliſſimi confeſſio, quod peracta ſectione magnum levamen ſenſerit & longum iter ſine magno impedimento perfecerit; præterea comites illius affirmabant, vidiſſe ſe factam ſectionem. Dubius exinde fui propter inſolitam calculi ſubſtantiam, nec ſatis aſſequi potui, qua Naturæ arte in corpore humano ſilices duriſſimi poſſint concreſcere, niſi ad monſtra in Medicina confugiendum. Non ita pridem calculi complures ſatis magni & duri, ſaxo ſimillimi, ad Sereniſſimam Regiam Majeſtatem miſſi ſunt ex Cimbria, qui excreti dicebantur ex puero, quia fidem ſuperabant calculi, juſſu Regio puer ipſe adducitur & arcta cuſtodia in arce alitur. Sed quanquam ita edoctus puer aliquoties convulſiones ſimularet prævias, nihil tamen ſucceſſit, nec ullum calculum excrevit, quia remotis amicis ſuis cuſtodiebatur. Hinc cognitâ impoſturâ, ſingulari Sereniſſimi Regis Clementia puer innocens dimiſſus & artificio honeſto traditus. Ita ſæpe ſpe lucri illudunt nobis mortales. An idem de Calculo Lutzoviano judicandum, dies docebit. Ipſe certè Lutzovius conſtans adhuc eſt in ea ſententia, dolum malum abeſſe, quanquam iisdem jam moleſtiis vexetur, quibus olim ante ſectionem, quod in reſi-

 duum

duum calculum refert, quia duplicem illi antea vester, nisi fallor Harlemensis Lithotomus prædixerat. Ut adeò, si fraus ulla subsit, negligentiæ Lithotomi vel avaritiæ potius adscribendum, quod alterum in vesica calculum una eademque opera non extraxerit. Fallaciam in operatione non subfuisse duplici argumento sibi Lutzovius persuadet, quod calculum vesicæ digitis primum ad vesicæ collum protruserit Raoulx, deinde per mediam horam obambulare siverit. Ad hæc, si astu aliquo silicem per intestinum rectum ad locum sectionis protruserit, vulnusque per intestinum rectum transierit, mirum esse cur nullus sanguis prodierit, cur tam cito vulneratum intestinum consolidatum fuerit? Hæ sunt rationes quibus permotus Nobilissimus Lutzow non audet dexteritati Raoulx diffidere, à cujus solertia novam salutem adhuc sperat. Utinam voti fiat compos! Interea dum ipse Raoulx præsentibus arbitris in arte exercitatis artis suæ dexteritatem & sinceritatem dederit, quod propediem facturum fama fert, meum de eo judicium suspendam, memor Senecæ l. 2. de Ira cap. 22: *Quædam falsa, Veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus. Veritatem enim dies aperit.* Successum solitâ tua humanitate ad me quæso perscribe, ut

ut confidentius Tuæ sententiæ, quæ rarò fallere solet, subscribam, & me porrò Tibi addictum amare perge. Vale, Vir Eruditissime, & publico artis nostræ bono perenna feliciter. Scripsi raptim Hafniæ 21. Augusti 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XC.

Imposturæ Lithotomi Raoust confirmatio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NIsi, Vir Magne, judicio Tuo magna semper tribuissem, res tantæ sequelæ nunquam tantâ fiduciâ ei subjecissem: nec tam credulus, crede, sum, ut incompertis velim subscribere; nec tam parum fido bonis bonorum Inventoribus, ut ut Novatoribus, quin ipsis tribuenda tribuam decenter. Annus est, & longè ultra (tantum dabam laudato à bonis, sed simplicioribus, Artifici:) quo ego non Lithotomus anxiè sudavi, quâ meliori & huc usque nobis incognita sectione Raousiano modo possemus miseros nostros ægros calculo liberare; cu-

jus meæ curæ testes possideo varia scripta & responsa, sed non poteram mihi inde vel Anatomicus vel Practicus satisfacere. Dei tamen providentiâ factum, ut hac nostra solicitudine malo Raousiano in bonum ægrotorum mutato, melius nunc à Lithotomo Haerlemmensi secentur Calculosi, (Apparatu sc: semper minore, majorem enim quamdiu vixero, concedam nulli) quam unquam sciam audiverimque hac in urbe factum à quocunque: quod alibi probandum, à Te vero nunc non quæritur. Nobilissimum autem Lutzovium cum aliis multis deceptum, qui prioribus Banningii non credit, facilè credet Heuschii ad fratrem suum, primarium hac in urbe mercatorem, literis. Nebulonem Raoulx tanti fecerat noster Heuschius, ut se itineri fastidiosissimo pessimæque arti Raousianæ commisisset, nisi frater homini Lutetia Paris. ubique præsens, nequitiam ejus divulgasset. Ante octiduum legeram quod Gallicè scriptum mitto Extractum, abhinc scribit Banningius ipsum Raoulx insalutato hospite discessisse. Quæ pius Lutzovius infert, parum nos morantur: Primum ejus argumentum mihi, non ipsi favet; Calculi enim in collum vesicæ protrusio difficilior, imò potissima totius operationis pars est, & tunc Lithotomi, præcipuè in adultis, sibi

ſibi valdè metuunt a laborantis motu, reſilit enim illicò; à ſphynctere verò inteſtini recti etiam ambulando retinetur facilè, in quem protruſus erat, loco. 2. Scribunt Galli, Raoulx inverſos primum digitos in anum immittere, & contorſione poſtmodum ſic extendere vel inflectere membranas ut interiores non amplius correſpondeant exterioribus, ut nec cuti: ſic facilè curatur vulnus & pauca] fit ſanguinis effuſio. In fiſtulis ani manuum operâ curandis non ſemel vidi nec dimidium ſanguinis cochleare effuſum, curatum autem vulnus 10. in aliis 14. die; quod non mirum; mirum autem, vulnus colli veſicæ, urina ſemper madidum, intra octiduum ita conſolidari poſſe ut nullum poſtea ſequatur veſicæ collive ejus ulcus. Noſti inſuper deceptores vario modo decipere varios; dolores vero calculoſorum cum non ſint continui, facilè credunt ad tempus ſe levatos ægri, ut ſic non ſenſus, ſed circa ſenſus erret ratio. Doleo hæc tam vera; crede mecum tempori, credeque mecum, Virum prudentem eſſe Vatem. Scribat Schenckius quicquid, ſedulus revera Scriptor, volet: in corpore humano Lapides per laminas, & nullo alio concreſcunt vel augentur modo; neque lapſum ferunt ex alto; durities vero & pondus falſitatem ſemper detegent cuivis tecum

omnia accuratius observanti; priora nostris secula nec malitiâ nec simplicitate peccantibus caruere. Summas interim pro Humanissimis Tuis habeo gratias, quibus revera me Tibi magis, si quid superesse potuit, obstrinxisti; quæ tam occupato Tibi, digna in posterum videbuntur scribi, semper calami mei arcebunt segnitiem. Vale interim & animitus salve. Dabam Amstelodami 15. Septemb. 1663.

Celeberrimi Nominis Tui
Devotus Cultor
Paulus Barbette Medicus.

EPISTOLA XCI.

De asthmatico Sene responsum.

FRIDERICO HAMMERICO Elsingoram.

REverso ex itinere offeruntur literæ Tuæ optatissimæ, quibus statum ægri optimi exponis. Contuli consilia cum Excellentissimo nostro D. *Mothio*, qui Te humanissimis verbis resalutat. *Riverii* Observatio 21. Cent. 3. utrique lecta est, & quia Looch suum tantis laudibus effert in asthmate senis septuagenarii, non possumus illius usum, spe alicujus levaminis, dissuadere.

ſuadere. Duplam vero doſin præſcripſimus:

R. Radic. enul. camp. ſacch. cond. Drach. vj.
Sacch. cand. Unc. j.
Syr. de hyſſop. Unc. iv.
Gumm. Ammoniac. aq. Vit. diſſol. Dr. j.
m. f. Looch.
Sign. *Bruſtſaft*.

Cæterum quæ de pedum ſudore refert internuncia, non diſplicent, credimusque diſſipari bono omine & evacuari ſerum ad partes illas decumbens. Qui naturæ conatus ſi vel promoveatur culcitris commodis pedibus circumvolutis, vel ſaltem non impediatur, ſperamus nullum majus damnum imminere ex decubitu illo moleſto. Cætera tuæ prudentiæ committimus, & cum optimo ægro, ſalvere Te jubemus & valere. Hafniæ 4. Aug. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XCII.

Obſervationes variæ curioſæ in itinere Anglico.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QUanquam ambulatoria magnam partem vita mea, ex quo ultimas Lugduno Bat. ad Te tranſmiſi, non indulſerit literis aliis vel tempus, vel adeo materiem ſatis, meo judicio, dignam, quæ Muſas Tuas interpellaret; officii tamen mei erit, ne hîc quidem interquieſcere, occurrentibus præſertim nonnullis, quæ, ſi nil novi Tibi apportent, vetera tamen in memoriam revocabunt. Atque, ut inde ducam exordia, Lovanii relatum mihi, proximis menſibus laudabili conditione vocandum eò *Dn. Bilſium*, ut Academiam illuſtrem ſecandi arte reddat illuſtriorem; emeruiſſe hanc Spartam dextris aliquot coram Dn. Marchione de Caracenâ ſectionibus in vivis beſtiis adminiſtratis; neque tamen ideo patefactum iri ſecreta ejus omnia omnibus, ſed revelanda duntaxat Dn. Gutſchovio loci Anatomico, ea lege, ut is vivo Bilſio artem non profanet revelando. Sunt qui exiſtiment theſauros illos in carbones tandem abituros eſſe. Ego rem in ſuſpenſo relinquam. In Arçe Lovanienſi, tamdiu illuſtri Puteano habi-

habitatâ, profundissimus quidam puteus oculos auresque nostras morabatur, ut qui non distinctissimâ duntaxat echo voces quaslibet etiam polysyllabas redderet, sed & immissos lapillos, qui inter lapsus initia sine strepitu deferebantur, ubi ad profunda ventum, eo fragore exciperet, ut tonitruum reboantium stridorem imitarentur. Bruxellis apud Patres societatis Jesu aurum potabile nobis conspectum, Verlarii opus non ignobile. In horto Varandæo inusitatæ magnitudinis Struthio occurrebat, qui sicubi caput attolleret, virum mediocri insidentem caballo (quod *Plinio* olim notatum) proceritate æquabat non difficulter. Nec inter vulgata numerabamus echûs Bruxellensis artificium, quippe decies & eo amplius vocem spiritu virili prolatam recantans. Gandavi Pater à S. Vincentio, jam octogenario major, sed adhuc vegetus colloquio nos suo beavit, etiam hac ætate in Mathematicis plura & præclariora minatus. Brugis ossa Caroli Boni, quem Danici sangvinis Principem ibi inter Sanctos retulere, quo decuit, honore venerabamur. Ostendæ, Neoporti, Dynokerkæ, Caleti, in illâ Martis palæstrâ, quid admodum spectaremus præter munimenta, milites, arenas? Gravesandæ in Angliæ pomœriis, cum aliud forte non

non esset, quod agerem, occurrentem suo infortunio talpam ferro destinavi, in quâ istæc notata: 1. lobi pulmonis quinque aderant. 2. ventriculus intersectionibus albicantibus distinctus. 3. lien immediatè ventriculo adhærens, similis canino. 4. hepar subpallidum puncticulis luridis resperſum. 5. lobi hepatis quinque. 6. vesicula fellis conspicua, felle tamen vacua. 7. renes succenturiati minuti, albicantes. 8. testiculi intra corpus absconditi. 9. pedes anteriores glabri, humanæ manus æmuli, quinque digitis, ungvibusque totidem acutissimis, quibus terram effodit, armati; posteriores pedes priorum quidem similes, sed longè minores. 10. lingva quasi cyprini nobilis. 11. dentes acuti 12. rostrum suillum. 13. sed quod primarium, oculorum in externâ capitis parte vestigium nullum (unde forsan initium fabulæ, quæ talpis visum denegat) in interiori tamen, remotâ pelle, duo visi rotundi globuli nigrantes cum appendiculâ nerveâ in cerebrum eunte, cujus beneficio globi illi extra pellem facile poterant exseri, retrahique pro arbitrio, namque foramina intus erant conspicua satis, extra pilis intermicantibus, perfunctoriè spectantium aciem non difficulter eludunt; in illis oculorum globulis humor aqueus

aqueus copiosè satis natabat, cæterorum non nisi tenue vestigium. Londini conspecta nobis *Anna Macallame* pæne sexagenaria, si propriis ipsius verbis fides habenda; nondum quinquagenaria, si picturæ ejus, quam mitto, credendum, quanquam ego fœminæ ipsi, ut jam canescenti potius crediderim, quam Pictori quidlibet audenti. Hæc ergo canâ & plenâ barbâ virum plane mentiebatur. Nasci cœperat ea barba ab anno ætatis tricesimo; interea duos enixa fuit infantes; menstrua non nisi ante hos decem annos substitere. Mammæ ei vastæ, sed mammillarum dextra subarida, quæ vix infantem nutrierat unqvam. Vox illi audax & virilis, lingva Scotica. Meruit rei novitas oculis quoque Regis, Ducisque Eboracensis subjici. Viltoniæ apud illustrem Pembrokianam arcem hospitæ nostræ nondum quinquagenariæ mystax creverat nigricans adeo copiosè, ut, nisi vestimenta muliebria dissvasissent, virum esse omnes existimassemus. Sed antequam Londino exeamus, expendenda venit amplissima quædam viri pauperculi hernia, quæ spectata commiserationem movit & pæne stuporem. Namque modio nostrate vel duplo majus scrotum omnia viscera cum ventriculo simul videbatur in se continere; quæ etiam moles,
vere-

veretri pellem infernam ita secum in consensum raptaverat, ut vix leve ejus vestigium appareret partis, quâ vir erat. Venæ cæruleæ per informem illam molem discurrentes pollice meo ampliores erant, & nutrimentum corpori debitum in suos convertebant usus. Nihilominus aliquot annos miser ita traxerat à 13. jam annis solo potu victitans, facies interea nec cadaverosa, nec flaccida; sed videtur imminens gangræna malo & vitæ brevi colophonem impositura. Monstrabatur & nobis gallina viva tribus pedibus horridula. Vidimus tangentem 230. hominum strumas Regem; eventum Medicus nobis astans ominabatur felicem, quod rara Sereniss. huic Regi in curando isto malo sit dexteritas. Illustris *Boyleus* nullo fatigatus sive labore, sive sumptu alacriter pergit, nec dubito quin si centum haberemus Boyleos, totam Naturam brevi videremus patefactam. Observavit ille non ita pridem varia, quorum gustum aliquem hic præbebo: 1. magnetis incandescentis, & post refrigerati facile esse polos invertere, adeo ut quæ pars ante quadrantem horæ se in Austrum vertebat, post spectet Septentrionem, & è contrario; quod an cum Cartesii meditationibus ad amussim conveniat, alii viderint. 2. Si usu gannanaperidis non omnes sanentur quar-

quartanarii, in Medico propinante veriùs quàm in medicamine hærere culpam. 3. cani se præsente, à D. D. Jolivio, exsectum lienem, eo successu, ut saluberrimè post vivat. 4. Viperarum sanguinem & cor, etiam dum vivunt, esse verè frigida, hinc suspicionem nasci, utrum respiratio præcise ad refrigerandum cordis & sanguinis fervorem conferat, an secus. 5. Ranam post ablatum cor, integram adhuc horam vixisse & in aquis discursâsse; eandem nullo modo ferre exemptionem cerebri, simul enim cum cerebro vitam ei auferri. Contrarium in calidioribus animalibus contingere; pulli enim gallinacei jam in plumas induti, atque ita ovo exempti cor integram horam palpitare manifesto motu, post caput forfice præcisum; hinc nasci dubium, an motus animalium à cerebro dependeat &c. 6. Muscas majores bombycinas non modò post ablatum caput vivere, & volare, sed & generare: marem quidem post truncatum caput fœminam comprimere non posse, fœminam tamen decollatam alacriter marem admittere, & aliquot post horis ova confertim parere. 7. In littore Hiberniæ piscem observari magnitudine Scombri, cujus cor inversæ figuræ; apicem enim (cui annectitur arteria magna) spectare caput, basin vergere deorsum. 8. liquorem lym-

phaticum, calore per ſpeculum cauſticum immiſſo, in conſiſtentiam tranſire inæqualem, ſingularis odoris, ſolere etiam ſtrepitum edere exſiccato humore. 9. propinatam cani eam opii doſin, ex quâ homo ſubitò obiiſſet, nec ullum evidens attuliſſe corpori detrimentum: eandem feli propinatam, biliosum animal egiſſe in rabiem. 10. Viperarum fel, caput, viſcera à cane hauſta eſſe ſine omni noxa. 11. Poſt infuſam in arteriam canis opii tincturam, illum mox in vertiginem, & poſt paulo in ſoporem incidiſſe, paulatimque ex eo tempore mirum in modum cœpiſſe pingueſcere. *In* alterius moloſſi arteriam infuſum crocum metallorum minutâ quantitate nil invexiſſe damni; cum autem doſis ad nunc. ij adaugeretur, miſerum ſimul evomuiſſe animam & omnia. 12. In mammis fœminarum exulceratis (non autem cancroſis) in fiſtulis toto corpore ſparſis, in catarrhactæ malo nihil felicius propinari, quam ſuccum, decoctumve millepedum. 13. Calculum humanum urinam & ſudores promptè exigere, quin & in peſte excellentioris eſſe uſus, quam decantatum illum Bezoardicum lapidem. 14. Veram plantarum (ceu vocant) eſſentiam, ſi aſſumatur aliquot vicibus, efficere ut ungues manuum, pedumque excidant, ſine dolore; ut gallinis plu-

mæ

mæ veteres delabantur, renascentibus novis; ut vetulis menstrua, post diuturnam stationem, iterum profluant. 15. In desperatâ hæmorrhoidum exulceratione nihil esse præsentius auro fulminante (postquam cum fl. Sulphuris iterum, iterumque exarsit prius) si cum ol. amygd. dulc. illinatur. 16. In exulceratâ vesicâ multum præsidii sperari meritò posse ab illo Vitrioli symphatico pulvere, si saniosa urinæ eo aspergantur, & convenienter tractentur. Læsas agnorum ungulas etiam sanari unguento armario. 17. Quendam famulum suum quando cultros acuit, ob ingratum illum in aëre stridorem, cruentari gingivis, atque sanguinem inde profundere. In dysenteria, statuendum in sellâ ægrum, supposito thuribulo, quod accensum recipiat Zingiberi, malumque cessaturum. In colicâ præsentissimum auxilium reponendum in clysteribus ex fumo tabaci immissis. 18. Diuturnam cæcitatem centurionis Battevile plenè sublatam fuisse ptarmico Mercuriali ad granum j. per nares quotidie assumpto. Ptarmici præparatio hæc erat. Rec. Mercurium vulg. & Ol. Vitrioli efficacissimum, fiat præcipitatio, unde spiritus vini semper recens, vicies quinquies destillatione evocandus. Eodem modo cancrum

mammæ fœmineæ percuratum. Sed nimius ſum, & publico jam iſthæc cum pluribus Dn. Boyleus, ſed Anglicanâ linguâ communicat. Rarum illud Tradeſcantinum Muſeum inſpexi, quod jam ob mortem poſſeſſoris ſenſim obſoleſcit, nec cum Wormiano conferri meretur. Nihil ibi rarius dracone ſeptem capitibus inſigni. Dn. Pellium Londini conveni beato Longomontano olim ſcriptis infeſtum cum Amſtelredami viveret, nunc Eccleſiaſten. Medicorum hîc numeroſiſſimus proventus; maxime dolet irrepere hîc quoque in eadem ſacra imperitiſſimum quemque, idque impune. Narravit *D. D. Möſeler*, inſignis & Medicus, & in Orientalibus literator, frequentari magis quendam nuperum ex cerdone Medicum, quam eruditiſſimos quosque & experientiſſimos practicos; ea ſcilicet ubique delirantis vulgi inſcitia eſt. In cervina porticu Hamptoncourtii monſtroſum caput nobis conſpectum, alterâ ſui parte bovem referens, alterâ quaſi cervum, cornu etiam dextrum à ſiniſtro diverſiſſimum; diu tamen vixiſſe horribile animal biceps præmonſtrator noſter aſſeverabat. Vindeſoriæ inter excelſos illos ordinis aureæ periſcelidis Equites inſignia ſacratiſſimi Principis noſtri latè præfulgebant. In Oxoniæ vi-

cinis

cinis ad vias nihil frequentius carduo cruciato, cypero triangulari, dipſaco, ſcandice, conſolidâ majori &c. ſponte naſcentibus. Sed quod novum, in collegio Corp. Chriſti Oxoniæ taxus naſcitur, quercum rigidam amplitudine æquans, cujus fructum ſe comediſſe narrabat Mag. Party ſine ullo valetudinis diſpendio. Alioquin res Botanica apud Oxonienſes remiſſius tractatur, niſi quod *Bobertus* quidam, in horto olim Regio Hafnienſi olitor, hortum ibi Phyſicum excolendo (ſic Botanicum appellant) ſpartam hanc utcunque tueatur. Illi in protegendis à frigoris injuriâ plantis familiare eſt, capacibus vitreis campanis herbarum delicatiores ſupponere, non, ut noſtri, tectis feneſtrarum more plumbo intercurrente junctis ſubjiciunt, adeoque frigus plumbi cum calore ſolis ſimul communicant. Illius in horto roſa mundi, ſc. bicolor illa, & denique petroſelinæ vites largo proventu ſurgebant. Quod ad Chemica, multum in iis profecere Oxonienſes, præſertim ex quo Sthalius Germanus eam artem publicè ibi tradere cœpit. Vulgata tamen pleraque ſunt, ſi unos *D. D. Willisii* (qui de cerebro nunc commentatur) & *D. D Dichiſohnii* labores exceperis. Ferrum in ſua principia levi methodo ita

 diſſol-

dissolvit D. D. Willis ut omni liquori vim suam statim communicet, id quod me quoque præsente in aquâ simplici non infeliciter attentavit, recepit enim statim aqua vim acidulis non absimilem; quanquam sine omni corrosivo ferrum priùs à se dissolvi constanter asseveret. Sed ne cogitemus solum Bilsium sibi sua reservare arcana, etiam hoc in secretis retinet Willis, nec ulli hactenus sustinuit revelare, lucri haud dubie inde emergentis odore illectus. D. D. Dichisohn strenuè se in illa exercet palæstrâ. Salem mineralem gustandum mihi obtulit sacchari dulcedini æmulum, sine ulla mixturæ Saturninæ suspicione, à quibus tamen ille natalibus profectus sit, non difficile videtur ex arte conjicere. Notum illi quoque, ceu narrat, totam aquæ vulgaris substantiam, sed non nisi longo tempore, in terram calci similem commutare. In calculi affectibus laudabat ceu decantatissimum remedium, aquas antinephriticarum herbarum aliquandiu cum calce ovorum bene calcinatâ excoctas. Laboratorium Regium, quod Londini mihi patuit, illustre est, moderatore Dn. Le Febure animatum, in quo tamen præcipue placuit novum pro igne lampadis conservando instrumentum æreum. D. Wallisius Mathem.

Oxon.

Oxon. raro invento ſurdos loqui docet, imò & mutos, duobus jam experimentis inclareſcens. Viſus mihi apud ipſum nobilis juvenis, qui neſcio quo infelici caſu anno ætatis quinto ſurdus redditus eſt, & poſt ſex ex eo menſes mutus, jamque totis viginti annis ne verbum quidem potuit pronunciare. Huic D. Walliſius in ſchedula literas ſyllabasque præſcribit; hinc recitat ipſe, ad motum ſimilem in alterius linguâ provocans: nec opinione ſuâ fruſtratus juvenem hunc nunc eò quoque redegit, ut quædam ſatis diſtinctè eloquatur, licet needum audiat. Simile quiddam ab Hiſpano olim Medico factitatum memini me jam ante legiſſe in *Fr. Valleſii* ſcripto de ſacrâ philoſophiâ. Bibliotheca Oxonienſis publica jam luculentè eminet, ex quo Seldeniana adjuncta eſt. In Catalogo conficiendo laboratur, ſed opus longi laboris erit, & plurium annorum. Inter rariora bibliothecæ nihil tam me affecit, quàm rariora illa Britannorum numismata, quibus Haraldi, Canutique noſtratium, tum quoque harum inſularum Regum nomina impreſſa exſtabant. Theatrum Anatomicum cum Lugduno-batavô nequaquam conferendum. Merebantur aſpici duo vaſti crocodili, alter ex Nilo, ex Jamaicâ alter, allati. Item

cranium humanum ex Hiberniâ allatum, totumque usneâ ſcatens. Oſtendebatur quoque calculus humanus magnitudine capitis annui pueri, item cauda Vaccæ Indicæ alba, ſetoſa inſtar equinæ, eaque duplo major; Item cranium humanum in anteriori parte quatuor tuberculis eminens, iisque pertuſis largo foramine. Cæteroquin nihil in Anatomicis obſervare licuit Oxonii novum aut hactenus inauditum. Extra urbem per clivum rivulus decurrit, cruſtâ lapideâ ramos arborum injectos obducens; neque enim, quod aliis viſum, lignum vertit in lapidem, ſed, quod evidenter animadverti, ligna primum obtegit lapideâ membranâ, hinc ligno ſenſim putreſcente, & abeunte in limo ſimilem maſſam, lapidea illa cruſta paulatim arctiùs cogit, & cavum jam ante ligno oppletum ſua mole infarcit. Ad pagum Inſton ſenex nobis adfuit centum & quinque annorum, pedibus adhuc expeditus. Ibidem in nativâ ex ſaxo cavernâ (grottam nuncupant) boleti minuti ex ſolido ſaxo molari pronaſcebantur, ſine ullâ notabili rimâ, cui radices infigerent. Sed quia, præter inſtitutum, ſcribendi haud ſcio an cacoëthes me in obvia & avia rapit, addendum & iſtud cenſui: relatum mihi nuper à Medico ex

Jamaicâ

Jamaicâ reverſo, Iliacam paſſionem malum illic endemium crudeliter regnare, ſeque in aliquot ſubjectis, quæ iſta lues confecerat, à morte cultro apertis, obſervâſſe, inteſtina non in ſe invicem ſpiræ modo contorta arctari, cæterum duplicata in ſe involvi, haud aliter ac gladius vaginæ inſeritur aut vitrum anguſtius capaciori ſolet includi. Obiit ſuperiori menſe obſtetrix poſt plurimos in illo artificio tritos annos, atque à pollinctricibus deprehenſa eſt non fœminæ, ſed viri arma gerere. Superiori hebdomade Oxonii magnifico funere elatus eſt D. D. Juxon, Archiepiſcopus Cantuarienſis; præferebantur vexilla plura inſignibus demortui inſcripta, haud ſecus ac ſeculari Principi; ſed nobis nil jucundius, quam 82 decrepitos ruſticos funus antecedentes ſpectare, (totidem enim vitæ annos numerabat) qui omnes lugubri ſyrmati involuti & capitis tegmine in acumen tenuiſſimum, acutiſſimumque deſinente ſuperbientes novi generis Capucinos mentiebantur. Comitia Oxonienſia (ita dies honoribus Academicis diſtribuendis deſtinatos appellant) magno apparatu celebrata; Doctores in omnibus facultatibus, etiam in Muſicâ, (ſoli Medici hac vice præter conſuetudinem inhonori) rariſſimo in aliis Regionibus exemplo creati; nec à terræ

filiis (id est duobus morum censoribus ad hoc munus electis) cessatum; in omnes præsertim Docentes liberrimâ grassabantur linguâ, & levissimum quodque superiori anno admissum erratum salsis arrodebant morsibus, ne ipso quidem Cancellarii Vicario Blamfortio, cùm præsens esset, intacto. Ea gentis consuetudo est. Sed linquenda Oxonii palatia. Per campestria Glocestriæ cùm illuni & pluvia nocte iter instituеremus, lampyridum fulgor oculos nostros ad se pertraxit, idque non sine aliquo profectus incremento; nam ubi collectas aliquot ejusmodi bestiolas in proximâ casulâ attentius specularer, hæ mihi natæ observatiunculæ: 1. Magnitudo & forma lampyridi pæne eadem, quæ vulgari apiculæ, nec color diversus; alæ tamen desiderantur. 2. Sex ei pedes, & duo versatilia cornicula, qualia cochleæ, quibus iter prætentat; caput ceu muscis orbiculatum. 3. Corpus ei ex octo squamosis concretum annulis; soli duo extremi annuli, qui caudam constituunt, infernâ parte albicant, ex quibus tota illa & admirabilis lux proficiscitur, ad quam in tenebris quoque literas non difficulter legebamus: quid quod chartæ puræ inclusa lampyris per mediam chartam lumen spargeret, ac si candelam chartulæ inclusam vidisses. 4. Adhæret

noctu

noctu foliolis graminum, posticâ & infernâ corporis parte aëri obversa. Lux illi quasi flammæ subviridis, quæ in liberâ luculentior, quàm captivâ. Hæc an cum Aldrovando, Mouffetto, Jonstonoque conveniant, ignorare jam cogor libris destitutus, cum veritate congruere oculi mihi fidem fecere. Glocestriæ in æde sacrâ marmoreum mortarium capiti statuæ Equitis Britanni jam diu exstincti suppositum mirabar strepitum continuè ebullientis leniter aquæ imitari. Sciscitatus causam ab æedituo responsum tuli, equitem dictum, dum in vivis esset, adversus pauperes liberalissimum, consuevisse in eâ, quam appellabat, ollâ cibos percoquere pauperibus gratis offerendos, hinc strepitum illum in miraculis habendum. Ego licet plenam ebullitionis causam non protinus caperem, ad miracula tamen in talibus confugere indoctus, existimavi aërem, dum in acuto mortarii apice vicinoque ei canaliculo aëri pervio rotatur, in se velut collidi, fervorisque imagine credulis illudere. In Monumethensi Comitatu, qui Walliæ, seu Cambro-Britanniæ pars est, divites ferri venæ nobis conspectæ; ad Savum flumen albi marmoris. In propinquis Savo montibus, mensarum saxearum infinita multitudo,

tudo, à naturâ ita expolitarum, ut ars melius non poſſit; alterni menſarum lecti, alterni argillæ, iterum, tertioque menſæ, iterum argilla, jucundo admodum ſpectaculo. Briſtoliæ thermas bibimus, ſed eæ non niſi tepentes æſtate, hyeme fervidiores; ad calculi mala & ſcabiem laudant, & uſurpant incolæ. In rupibus proximis adamantes, amethyſti, aliæque gemmæ, ſed, ſi cum orientalibus conferantur, adulterinæ. Flumen, quod Briſtoliam alluit, quindecim ſolidis ulnis noſtratibus ad acceſſum, receſſumque maris, quotidie attollitur, & rurſus deſcendit, raro naturæ impulſu. Bathoniæ thermæ nobis intratæ, ſatis eæ fervidæ, ſed cum Aquisgranenſibus tamen calore non certantes. Frequentantur magno Britannorum concurſu, nec minus emolumento. Vis medicatrix illarum in ſulphure, nitro & bitumine potiſſimnm reſidet. Limus thermarum luridus quodvis argentum terſum, mundumque, ſi affrices, colore aureo tingit, non admodum fugaci. Sunt mihi, quos curioſitas mea ibi inauravit, nummi, faciem auri adhuc retinentes, ſine illis livoris ingrati notis, quas aliàs ſulphurea affricta ſolent aſpergere. Ad Vellenſem urbem horrendum ſpecus, ſed nativum, ingreſſi (incolæ Ukis-

Ukis-hole nuncupant, ego Ugartilochiano illi apud *Saxonem* nostrum similem speluncam arbitror) aquam puram & insipidam lentè destillantem sensim in saxum verti observavimus, dependebantque saxea illæ stiriæ (quarum aliquas retineo) glacialibus simillimæ per omnes pæne rupis horridæ rimas. Comitum aliis præ horrore loci, capilli surgebant, aliis fluebat toto corpore sudor, licet omnia alioquin ibi satis frigida, mediis tantum frigoribus incalescere antrum dictabant accolæ. Rogati, anne calculi dolores sentirent vicini, quòd rivus mediam illam rupem subterlabens potum ministret incolis, responderunt multo se minus affligi calculo, quam quamvis aliam in Angliâ gentem. Quinimò sustinent affirmare, illam ipsam antri hujus Trophoniani lympham, si potetur, calculos & præsertim arenulas largiter exigere, in stranguriâ autem non ea aliud præsentius esse remedium. Paries ibi unus, nec is procul à januâ speluncæ, præsertim admirabilis, quasi infinitis adamantibus distinctus ob intermicantes spathii (ita metallurgi hoc genus splendentis saxi appellant) angulos, quibus hinc inde sparsim adhærebant lapideæ stiriæ, non informes illæ sed aliæ triangulares, nonnullæ laterum quatuor, quædam

iterum

iterum hexagonæ; nitri massas dixisses, nisi sapor vetaret: erantque illæ stiriæ adhuc fragiles & subaqueæ, quamdiu rupi adhærebant, sed à nobis in aërem translatæ post aliquot horas in solidum saxum obdurabantur. In jugo Mendippeo non tam me oblectavit fodinarum plumbi copia, quam quod spectare liceret antiquam quandam molybdænam jam ante centum annos excoctam, exhaustamque nunc iterum à metallurgis ad novos ignes cum insigni fructu vocari. Relictæ enim ab antiquis post exustionem scoriæ annorum tractu iterum se veste plumbeâ induerant, incursu aëris, particularumque in eo natantium, uti suspicor, efficaciâ redditæ prægnantes; id quod terris nitrosis, post extractum salem omnem, paulatim contingere, nulli obscurum est; bismutho idem in Misniâ accidere, ut, cum effossa vena nil argenti contineat, post decursum annorum aliquot, si aëri, ut arceatur pluvia, relinquatur in commodis vasis, argentum excoctoribus reddat non minima copiâ testis est *Petr. Albinus* eruditus Chronic. Misnensium Mineral. Auctor. Cæterum ne miraculum à gente nostrâ jam olim in Angliâ relictum transiremus, in planitie Salisburiensi ingens Danorum monimentum, ex saxis vastissimis templi ferè

ferè rotundi more erectum oculis lustravimus, cum Britannis omnibus mirati, quo artificio saxa illa viginti octo pedes alta, crassissima quoque & ex artis lege secta, potuerint illic loci statui, cum nec in totâ viciniâ ad milliaria aliquot saxa inveniantur nisi minuta, nec *Vitruvii*, *Fontanæve* machinæ videantur corporibus vastissimis vehendis, transferendisve suffecturæ. Molis auctores alii hactenus fecere alios; fuere qui Romanis tribuerent, & nescio qnod Dianæ templum (quod rectius in Sylvâ Dianæ in Monumethensi comitatu, ab incolis *Forest of Deane* appellatâ, quam & nos peragravimus, quæsivissent) animo figurarent. *Inigo Jones* scriptor luculentus tempore Constantini Magni erectam opinatur in honorem Dei Cœli. Verum *D. Gualth. Charleton* Medicus Regius opere, quod hoc primum anno prodiit, insigni, nostratibus tam nobile opus ingeniosis argumentis motus asserit, Wormianis, Stephaniique monimentis similibus roboratus. Titulus libri: *Chorea Gigantum, or the most famous Antiqulty of Great Britain, vulgarly called Stoneheng, standing on Salisbury plain, restored to the DANES.* In Arce Comitis Pembrokiani, Wiltoniæ, Musicam hydraulicam audire contigit, multarum avicularum minurientum concen-

tui

tui ſimillimam; Salisburiæ in templo totâ Britanniâ ſplendidiſſimo (in quo tot marmoris gtiſei inquilini columnas numerare licet, quot horas numerat ſolidus annus) ſpectatum nobis cadaver marmoreum Doctorem Salisburienſem, haud ſcio an Medicum, referens, qui, cum infortunato conatu quadraginta dierum inediam, quâ Salvator noſter inclaruit, imitari fruſtra inſtituiſſet, decimo ſeptimo abſtinentiæ die ſuccumbens hæredibus id dedit negotii,

Ut ſua marmoreo ſignarent fata ſepulchro.

Sed ut ex diverticulo Londinum revertar, *D. D. Gu. Charleton* aliud adhuc & luculentius Danicæ Antiquitatis monumentum in Comitatu Viltonienſi obſervavit, alteri Salisburienſi pæne gemellum, ſed gigantei magis laboris, in quo *erecta* ſaxa ad 36 pedes in altitudinem porriguntur; quoddam etiam ad 40, cui Kong-Stool nomenclatura, plane ad genium lingvæ noſtræ. Topographiam mihi oſtendit. Stant in orbem diſpoſitæ cautes (Ætnæos fratres diceres) ſed certa lege, circulus minor majori incluſus; in quo Regum noſtrorum quendam tumulatum ſuſpicabatur Vir ingenioſus: Multa ille adhuc in re Medica molitur, quæ affecta mihi monſtravit, librum de ſtructu-

ſtructura Muſculorum ; de ſectione artificioſa Muſculorum ; de Reſpiratione piſcium ; de adulteriis Vinorum ordinariis, eorumque remediis, &c. Inprimis plena ingenii ſunt, quæ de piſcium Reſpiratione commentatur non tam rationibus, quam experimentis edoctus. Lienem ante ſex jam annos cani exſecuit, adhuc valido & Bathoniæ bellè viventi, niſi quod ex intervallo in maciem quandam tenuetur, & ſubitò iterum pingveſcat. In Collegio Medico ſtatua Dn. Harveo ex albo marmore ſurgit, titulis honoratis circum fulgentibus ; In pedio hæc leguntur : *Gulielmo Harveo, Viro monumentis ſuis immortali hoc inſuper Coll. Medic. Lond. poſuit, qui enim ſangvini motum, ut & animalibus ortum dedit, meruit eſſe STATOR PERPETUUS.* Collegii inſpector *D. D. Merret*, ut vir doctus, curioſusque eſt, ita balſamis corporum Bilſianorum parum tribuit, ratus nec ſibi adeo defuturum tale artificium, ſi mereri laborem res videretur ; id quod ne gratis locutum arbitrarer, in medium produxit viſcera omnia felis excrementis adhuc ſuis turgidula, & annorum jam aliquot decurſu ab omni corruptione levi ſuo artificio defenſa. Sed cum de cerebri, pulmonumque &c. conſervatione quiddam obducerem, non viſus mihi fuit

experientiâ viſcerum omnium corporis ſatis præmunitus; nihilominus in phialâ hermeticè clauſâ embryonem maſculum oſtendit, qui jam ab anno 1656. in liquore certo incorruptus natavit; magnitudo illi, quæ pollicem meum medium vix æquaret; ſexus adhuc diſcrimen conſpicuum; caput toti pæne reliquo corpori mole par, & oculi tertiæ capitis parti. Collegium (aut, ſi mavis, Academia virtuoſorum, quo jam titulo honorantur, ſceptro quoque inſigniti) Naturæ ſocios circiter centum jam numerat, omnes eruditos, & experientiæ deditos, Comites, Barones &c. Rex ipſe Præſidis nomen amat. Sociorum nemo poſthac quicquam in lucem emittet, niſi prius communi ſuffragio approbatum, ne aliorum, præſertim vitilitigatorum ungves reformidet. Diebus Mercurii convenitur, diſputatur familiariter, conferuntur experimenta, fit decretum, quod Protocollo inſcribitur, proditurum foras, ſi iterata lima anni unius, alteriusve prius attriverit. Secretarius Collegii eſt *D. Oldenburg*, Germanus, vir eruditus. De frigoris naturâ quædam jam commentatur ex conſilio Collegii Dn. *Boyleus*, exquiſita haud dubiè, quæ viri generoſiſſimi dexteritas eſt. Microſcopicas etiam adjunget obſervationes figuris magnitudinem animalium, qualem

lem ostendit microscopium, examussim repræsentantes. Hinc conspecta musca oculorum multitudine Argum referebat, cynips cornutum aprum, pediculus parum abest quin vastam aliquam ex Africæ desertis testudinem, ita squamis loricatus apparebat. Dn. D. Wilkins ex sociis quoque Collegii Alphabetum nobis Generale, sive, ut amabat loqui, characterem Philosophicum ostendebat, inventum suum, cujus beneficio viri docti, labore non multo conceptus suos invicem communicare valeant, sine ullo addiscendarum linguarum variarum tormento. Quo sinu excipiatur inventum illud à publico, si prodierit, solus eventus docebit. Ea sanè visa est mihi sagacitas inesse iis, quos ego familiariter cognovi, Collegii illius sociis, Dn. Cancellario *Digheo*, *Dn. Boyleo*, *D. D. Wilkinsio*, *D. D. Charletono &c.* ut, nisi à transmarinis ingeniis summâ diligentiâ obviam eatur, Britanni posthac omnibus palmam dubiam faciant, non paucis eripiant. *Dn. Boyle* & *Dn. Charleton* de T. Exc. perhonorifice sentiunt, meoque calamo officiosam Tibi denunciari cupiunt salutem. Sed ne illud negligam, oberrat jam per plateas Londinenses miles, qui cum annis abhinc septendecim in sinistro hypochondrio supra ingven

globo trajectus fuerit, colo dilacerato interna intestini illius portio in tantum coaluit, ut pòst semper per hypochondrii dicti hiatum excrementa reddat, redditisque iis, fasciâ propendentem exterius coli portionem compescat, donec iterum stimulantibus aliis fæcibus viam remotâ fasciâ permittat. Ita lacero colo 17 totos annos vivendo complevit, valetudinario propior, sed nondum tamen viribus defectus, licet cruentam illam coli portionem quotidie invitus aspiciat. Visus hîc alioquin apud Agyrtam anser quadrupes, novo luxuriantis Naturæ instituto. Sed excedo Epistolæ modum, & restabant nihilominus addenda quædam, de quibus forsan coram. Tu vero, Experientissime Collega, ex his animum metire hominis inter quotidianas occupationes & jactationem itinerum distracti, faveque, uti soles,

Virtut. Tu: & Exc.

veneratori, atque Amico

Londini 10. Aug.
A. 1663. Olao Borrichio.

EPI-

EPISTOLA XCIII.

De caufis Iliacæ paffionis, & Anatome nova ex cadaveribus morbidis.

Olao Borrichio Londinum.

PRonum Tuum affectum exofculor, tot documentis mihi perfpectum. Utinam parem rependere poffem. Certè nunquam parem voluntatem & benè merendi conatum apud me defiderabis. Salvum Te cum Comitibus in Britanniam, felicem illam meliorum ingeniorum infulam, perveniffe, gaudeo. Multum Tibi debeo, quod itineri me quoque intereffe volueris adeò jucundo, adeò utili, dum ea amico calamo ad me perfcribis, quæ curiofis oculis ibidem luftrafti. *Boylei* in primis illuftris obfervationes perplacent, tanto Naturæ interprete dignæ. *Charletoni* quoque Clariffimi in patriam noftram candorem laudo, quod ad authores fuos antiqua illa campi Salisburienfis & Viltonienfis monumenta retulerit. Optarem ut promiffam Pathologiam ea dexteritate abfolveret, qua incepit felicitate, cujus perficiendæ Tu illi author fis, fi adhuc apud Londinenfes moraris. Quæ in lampyridibus obfervafti planè veritati funt confentanea, fimiliaque prorfus vidi in lampyridibus

in Provincia Narbonensi. Barbatæ illius fœminæ icon, quam misisti, externâ facie sexum splendidè mentitur. De simili barbata, ex Hallandia huc advecta, jam ante scripsisse memini, utriusque sexus insignibus ornata, quanquam propriè fœmina sit, quippe clitoris ad penis virilis longitudinem excrevit, cætera quoque similis illi, si perforata esset. Iliaci affectus ratio à Medico ex Jamaica reverso in dissectis observata placet & vera est, sed non sola. Vera est & aliorum observationibus consona. *Columbus* enim l. XV. de Rar. in Anat. animadvertit intestinorum tenuium mutuum ingressum spatio ampliore, quam sit digiti longitudo in nonnullis, quos dolor iliacus enecaverat. Dissecuit quoque *Plempius* Fund. Med. ult. edit. c. de Mes. quandam volvulo denatam, cujus superior intestini pars in inferiorem inserebatur. Eodem modo intestinum in cavitatem intestini descendisse in Iliaci Anatome invenit *Panarolus* Pent. 1. Obs. 50. Cæcum verò, una parte impervium, ileo insertum, obstructionis hujus princeps causa est. Debemus hanc observationem *Hildano* diligentissimo, qui *Cent.* 1. *Obs. Chir.* 61. invenit in aperto pueri ileo defuncti corpore intestinum cæcum contractum, in intestinum ileum sese insinu-

ſinuaſſe, idque oppleviſſe adeò ut nihil ex ſuperioribus inteſtinis ad colon permeare poſſet. Monetque idem, in omnibus, quæ rei hujus indagandæ cauſa inſpexit, hactenus ſe obſervaſſe, principium & originem hujus morbi fuiſſe circa inteſtinum cæcum. Modus, quem ſibi concipit, ibidem legatur. Sed ſolam hanc inteſtini ab alio inteſtino obſtructionem pro cauſa volvuli admittere non poſſumus. Spiræ enim modo intorta, aliorum fide digniſſimorum diligentia notavit. *Riolani* ſummi Proſectoris eſt experimentum, revolvi in iliaca paſſione inteſtinum inſtar digiti chirothecæ reduplicati. Videndæ Animadverſiones ejus ad *Veſlingium*. Clarior eſt experientia *Henrici ab Heer* Obſ. Spad. 24. in puella ileoſa. Invenit in fine ilei quinque inteſtini complicationes maximas, ita ut ad longitudinem ejus digiti, in qualibet complicationum, ileum convolutum eſſet, quodque peſſimum erat, hic infernè ſurſum repetebat; alibi ſupernè deorſum implicabatur. *Panarolus l.* c. ſecundam hanc volvuli ſpeciem conſtituit, cum inteſtina aliquo modo connectantur, ut obſervavit ipſe, tanquam in fune madefacto, qui poſtmodum convolvitur. Tertia his addenda, nempe inteſtinorum totalis obſtructio à flatibus, vel alia materia,

quæ, velut farcimen, farciat, & prorſus tranſitum obturet. Tantaque ſubinde fit inteſtinorum diſtenſio, ut in ampliſſimam molem dilatata rumpantur, fæcesque in abdominis cavitatem effundant. Utramque hanc ſpeciem conjunctam viderunt *Platerus* & *Riverius*. Ille l. 3. *Obſerv.* in puero XVII. annos nato refert, inteſtina tantopere diſtenta fuiſſe, ut femoris craſſitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compreſſione disrumperentur, aliis verò locis adeò convoluta, intorta & implexa, ut nulla illic nec excrementis nec flatibus deorſum pateret via. Apud *Riverium* Cent. 3 Obſ. 26. in cadavere Guilielmi Patris inventum memoratur inteſtinum ileon tribus complicationibus convolutum, & quaſi compactum in unam maſſam circa finem illius: reliqua inteſtina ampliſſima brachii magnitudine; præterea inteſtinum gangrænа affectum ſuprà complicationem perforatum, ex quo tota excrementorum colluvies in abdomen effluxit. Fiſſura hæc inteſtinorum in duobus iliacis notatur *Benivenio* Obſ. c. 76. ex quorum uno recentes uvæ proruperunt, fœdumque lectu eſt quod prodit *Henricus ab Heer* Obſerv. Spad. 2. inteſtina brachii craſſitie ſponte crepuiſſe, Anatomicumque & viciniores tantâ alvina-

alvinarum fæcum mole obruisse, ut vestes illorum nemo adstantium internosceret. De flatu quoque testatur *Dodonæus* Obs. Med. c. 37. Induratas fæces caloreque compactas addit *Panarolus* Pent. 3. Obs. 29. quibus intestinum in plures partes divisum tubera æmulabatur. Consentit *Hippolitus Boscus* Lect. 1. de Fac. Anatom. in materia assata & quasi lapidescente, & inter mali causas numerat tumorem vesicæ inclusum cùm materia sebacea intestino recto, & scirrhosum colo adnatum. Ultima species causam enterocelen agnoscit ileo in scrotum descendente, cujus exemplum recitat in Jo. le Charron *Ballonius* l. 2. Consil. Med. 24. in Annot. & fusius describitur à *Formio* Chirurgo Monspeliensi Obs. 15. ad *Riverium*. Omphalocelen ad hanc quoque classem refert *Platerus* l. 3. Observ. Plures igitur sunt causæ volvuli, quam Medicus ille Doctissimus ex Jamaica redux sibi persuasit. Quod ille prodidit, in cadaveribus observavit eo morbo defunctis. Omnia quoque exempla à me adducta ex eodem fonte manarunt, quem in locis affectis cognoscendis consulendum suadeo. Hæc enim sacra securius apud dissectiones cadaverum peraguntur, quam in cerebro Medicorum. Diu talem Anatomen ex cadaveribus morbo defunctis meditatus sum. Forsan tamen

Hh 5 illa

illa mecum morietur. *Harveo* simile opus in mentem venerat, uti testatur Exercit. 1. ad Riol. Sed nihil tale in publicum emisit, quod dolendum, fortasse cum aliis lucubrationibus Cedro dignis furto surreptum. Optandum seriò, ut ad hanc curam se Prosectorum industria demitteret, quibus in Nosocomiis cadaverum copia suppetit. Hujus Anatomes auspicium sibi juniori optavit *B. Eustachius* de Ren. Adm. c. 45. & laudes recitat *Al. Deodatus* Valetudin. p. 117. sed addit: aliquem Medicum, cui talia curæ sint, reperiri non esse hujus seculi dotem. Ego certè unam hanc Anatomen pluris facerem quam centum alias. Ad quam operam Nosocomiorum Medicos & Chirurgos, qui plures illique in arte exercitati sunt Londini, Parisiis, Romæ, Neapoli, quando itineris ratio Te, amice exoptatissime, illuc perduxerit, animare ne cesses. Fama ad nos pertulit, vanas esse Lithotomi Galli *Raoux* artes, adeoque calculum potius supponere, quam exscindere. Induci tamen non potest Nobilissimus Lutzovius, ut imposturam credat, quanquam eisdem calculi difficultatibus adhuc prematur, quas ante sectionem passus est, ut illum revidendi spem habeat pro iterata sectione. Ubi Lutetiam perveneris, in rei veritatem inquires accuratius, & nisi

grave

grave fuerit, salutabis officiosè Clarissimos Medicos *Guidonem Patinum*, ejusdem filios, & *Jacobum Montelium*. Dissertatio mea De Insolitis Partus Viis tardo gradu apud Typographum nostrum procedit, quia iisdem typis exscribitur Pars altera Commentariorum in Danielem Archiepiscopi nostri Eminentissimi D. *Johannis Suaningi*. Multum Tibi debemus, quod Nepotis mei Mathiadis curam amicam geras, quam satis deprædicare non potest. Erimus debendi rei. Hisce vale, mi Borrichi, & diu feliciter vive, ut, patriæ redditus, publicam spem expleas. Salutant Te Collegæ omnes. Raptim Hafniæ 3. Sept. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XCIV.

Ad oppugnandum Hippocratem exhortatio.

Thomæ Bartholino Hafniam.

EX diuturnâ ac variâ lectione, Democriteâ etiam contemplatione, animadverto, plures Aphorismos Hippocratis: à particularibus experientiis collectis; curationibus, juxta priscam Medendi Methodum, ac validiora purgantia institutis; judica-

dicationibus ſimiliter ſecundum ſymptomatum ſupervenientium conſiderationem perperam pronunciatis: fuiſſe exortos, atque digeſtos in regulas quaſi univerſales ad morem receptum veterum. Cum itaque hujusmodi aphorismos Medici curioſi & lyncei in dubium vocarunt, & impugnarunt; creduli verò Hippocratis aſſeclæ illos ſemper & ubique pro veris agnoverunt: à tot retrò ſeculis usque ad hæc tempora, Medicorum Practicorum perpetuæ & infames ſæpe rixæ exortæ ſunt, non citra Artis Medicæ extremum contemptum, atque multorum ægrorum incomparabile, *vitæ* miſerè finitæ, diſpendium.

Rem ita ſe habere, Archiatrorum propriis verbis demonſtrabo. Quod ſi Excellentia Tua inſtituto meo annuerit, veritati adſtiterit, mortalitatis commoda promovere ſtuduerit, hunc meüm laborem publicis typis exſcribi curabo, in boni publici promovendi gratiam: ne decipiatur poſteritas, æger perire permittatur, atque præproperè præcipitetur pulverem in ultimum. Salve, Vir honoratiſſime, ſurge ad divina in ſummaria cauſa veritatis.

21. Auguſti 1663.
Lubecæ. Exc. T. ſtudioſiſſ.
Georgius Fridericus Laurentius D.

EPI-

EPISTOLA XCV.

Hippocratis Defensio.

Georgio Frid. Laurentio Lubecam.

PRæclara tua in Rempublicam Medicam merita dudum orbi literato innotuerunt, meque in tui venerationem pertraxerunt. Ingens jam onus in Te suscepisse, ex humanissimis literis & jam olim ex Exercitationibus eruditissimis intellexi; nempe ut Magnum Medicinæ Magistrum *Hippocratem* in Aphorismis à via aberrasse ostendas: meque iccirco hortaris ut instituto tuo annuam. Quanquam verò is non sim, qui institutis tuis ad seculi utilitatem susceptis remoram injicere præsumam; tamen quia communis præceptoris reverentia nos ad illius defensionem quasi lege obstringit, amicè exorandus es, ut mitius cum Divinis Viri Manibus agas, quem antiquitas tota suspexit, quique teste *Galeno* l. de Art. Bil. c. 7. honestus fuit ac probus, neque ambitionis aut gloriæ sed veritatis amator. Huic igitur divino autori, sicut inculcat M. *Cordæus* Com. 7. in l. 1. Hipp. de Muliebr. non nisi iniquo maximè animo injuriam

riam inferri unquam, quisquis eſt veritatis amator, patietur, quum in ejus ſcriptis nondum errorem ullum, etſi obſcura pleraque, animadvertant plerique omnes. Fulmen eſt *Valleſii* in Comm. Progn. *Pereat, qui Hippocratis oracula perſtrinxerit.* Non dubito multa illum ignoraſſe, quod ſeculo imputandum, nec nego nonnulla videri veritati minus conſentanea, quæ emollienda, ne pereat Viri authoritas, adeoque univerſa Ars Medica malè audiat. Excuſandi ſunt illius errores, potius quam incuſandi. Aphoriſmos quod ſpectat, quanquam *Theſſalus* olim librum compoſuerit, quo falſi eos convinceret, & *Julianus* 48 volumina ſcripſerit, ut ψευδεῖς eos oſtenderet; tamen ſola autoris authoritate ſe hactenus ab invidia tutati ſunt. Sed qui moderatiores eſſe voluerunt, *utplurimum* eſſe veros conceſſerunt. In quam ſententiam ipſe *Galenus* benignè interpretatur enunciationis Hippocraticæ perpetuitatem Comm. 6. Aph. 58. ſi dictionis formam ſpectemus, quamvis non ſemper res ipſæ ſimiliter, ſed aliquando aliter etiam, licet rarò, eveniant. Benignius eſt judicium nuperi Explanatoris Romani *Matthiæ Naldii* Medici Cubicularii Pont. *Alex. VII.* cujus conſilium eſt in opere Romæ 1657. edito demonſtrare, *Hippocratis* ſententias, quas

quas Aphorismos appellant, non ad Medicos erudiendos esse scriptos, sed ad instruendos quos Medico absente, vicaria illius opera officioque fungi necesse est, id quod ex singulis Aphorismis Sect. 1. probat. Si forsan liber iste ad manus tuas nondum pervenit, mitto explicationem Aphorismi 11. in quem Exercit. 20. doctissimè ipse commentatus es. Tuis tamen laboribus demorsos ungues sapientibus nihil derogo, quibus solidâ ratione & invictâ posteriorum temporum experientiâ Aphorismos *Hippocratis* magis illustrare in Te suscepisti, quam morosè refutare: ideoque qui jam alter seculi nostri censeris *Hippocrates*, rogandus es publico nomine, ut doctas tuas in *Hippocratem* lucubrationes eo applausu typis committas, quo hactenus oracula tui Hippocratis, orbis consensum meruerunt. Sic Te Deus publico bono, cui natus es, diutissimè florente senecta servet. Vale & me ama. Hafniæ Cal. Dec. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPI-

EPISTOLA XCVI.

Fermentatio ventriculi impugnatur.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

SI veneranda antiquitas illis, qui nimium laudabantur, cum ratione metuere potuerit à fascino; næ literæ vestræ, singularem benevolentiam spirantes, hominem hunc & scriptorem proletarium illi obnoxium reddere quiverint. Fascinum licet eludere nos docuerit Philosophia sanior, illiusque quàm securos reddiderit ratione verborum, inculpato animo prolatorum; tenuitatis tamen & infantiæ conscientia trepidare nos compellit. Tu quidem Vir Excell. (pauca commodato accipiam à Sidonio Apollinari lib. 8. ep. 10.) *Ingentes præconiorum titulos moribus meis adplicas. Sed si pudoris nostri fecisses utcunque rationem, Simmachianum illud te cogitare par fuerat: ut vera laus ornat; ita falsa castigat.* Conor multa, & ad quæcunque animum applicui, penitissimè cognoscere anhelo: sed obstat utplurimum rei non modo cognoscendæ difficultas, sed & ingenii hebetudo, quæ quòd non juvetur aut à mutis magistris, aut per liquida experimenta; (libri apud me cum trissyllabici jam diu sint, non permittunt aut ingredi officinas librarias,

aut

aut experimentis vacare) animo veri ſtudioſo non modo dolor, ſed ſubinde quoque obvenit deſperatio, conando tamen aliquid, quod & pulchrum ſit aliquo prodire tenus, probare me laboro vobis Vir Excell. & paucis aliis hoc ſeculo, quibus ex prima cavea datum eſt intueri & diſcutere illa, quæ nos, nimis quàm audaces, perituræ chartæ illinere audemus. En vero muſteum, conatuum inverecundorum fœtum Numerium! qui ſi ab Excell. veſtra tollatur, Deo Nixio gratulabor, ut mea patior à quovis diſcuti, auſus fui liberè aliorum opiniones examinare de operatione, quæ non tam meretur ad naturæ arcana referri, quàm ad chymicorum fornaces, qui cum viderentur in ſua Fermentatione νέγωτιας inveniſſe, per hanc (ſi Deo placet!) Jovis machinam, ſecretiſſimas Naturæ operationes explicare ſuſtinuerunt. Ex amicis in Gallia didici, D. Galateau, magnæ famæ Medicum Burdigalenſem, pariter patrio idiomate inſtituiſſe diſcutere ſcriptum D. Willis de Fermentatione; librum nondum accepi; ſi alicubi conſentiamus, non tam mihi, quàm veritati gratulabor. Ad coronidem vergit Tractatus de Sternutatione, juxta novas obſervationes Dn. Sneideri adornatus, omniaque complectens, quæ ad materiam hanc pertinent:

itemque tractatus de Butyro, quod licet ad res obvias pertinet, ſingulares tamen difficultates omnia curioſius ruſpanti procuravit. Simul iterato prodibunt Exercitationes Sacræ, ſuis & vindiciis munitæ, & altera parte auctiores. Audebo propediem hæc ſcruta Excell. V. offerre, ut hominis, ferme ad diſpendium valetudinis laborioſi, ineptiis ſe oblectet. An proavi Obſervationes dias oras ſeculi hujus delicati mereantur ſubire, Excell. V. dijudicare poterit ex tribus, quatuorve, quarum, occaſione eorum, quæ circa Fermentationem ſe offerebant, mentionem feci. Duas propemodum Centurias hujus commatis exhibere poſſem. Tandem, ut dubio procul Excell. V. innotuit, contigit τὸν πάνυ Sylvium quoque committi cum noſtro Collega Medico, prævideo multa, nos tamen vix hiſcere audemus, aſſuefacti à multis annis præfinitò loqui. Homo imperitus, ſuperbus, & cui ἐυρυμεῖα χολὰ ἐνὶ φρινὶ κάθηται, quid non audet? Vellem liceret ex mutuis his Eriſticis ſcriptis, nobis (qui ſumus φιλομαθεῖς) proficere: quemadmodum à ſcriptis Excel. V. ſemper doctiores diſcedimus. Deploro hominum pertinaciam, quod in gratiam cujusdam Bilſii, hominis ὀυτιδανοῦ, nunquam viſi, ſed cæco animi impetu, ad commendationem ho-

hominis Politici, mente haud ſemper conſtantis, æſtimati, tantum ſtrepitum excitent; ut malint univerſam remp. literariam turbare, quam errorem fateri. Deus talibus ſaniorem mentem largiatur: ſimul Excell. V. bono communium ſtudiorum longum ſoſpitet, &, vel parte annorum meorum beet. Vale, & ſalve, Vir ſumme, ab eo qui perpetuo manet

Excell. V. cultor ſincere devotiſſimus

Ocyſſime Gröningæ.

Mart. Schoockius.
1663.

EPISTOLA XCVII.

Fermentatio ventriculi ex Hippocrate defenditur.

Martino Schoockio Gröningam.

FErmentationem Tuam oppidò eruditam accepi, & pro ea gratias ago, non tantum quod ingenio magno & promptiſſimo ingeniis aliorum nimium fermentationi tribuentium occurreris ſtrenuè, ſed quod bene-

volum tuum animum & affectum in tanto disputationis fervore integrum mihi conservaveris & illibatum. Quanquam vero rem in plerisque acu tetigisse videris; tamen cur fermentationem à chylificatione prorsus excludas, causam nullam video, præsertim si ea temperantia adhibeatur, quam in *Reformata Anatome* nos adduxisse ipse, Vir Magne, probe monuisti, nempe quod coctionem ciborum præcedat, adeoque facilitet aptaque reddat alimenta ingesta ad concoctionem. Ex chymicis inductus fui in hanc suspicionem, putredini & fermentationi herbas exponunt, ut exinde, quia per minima resolutæ sunt particulæ, spiritus efficacior igne eliciatur. *Hippocratem* pro ea sententia laudavi ex libro *de Veteri Medicina*, nec adhuc video, alium ex illo sensum posse elici. Credis tamen, Vir eruditissime, Medicæ familiæ principem loco dicto, de ventriculo noxia aliqua qualitate affecto sermonem habere, adeoque ex eo non procedere argumentum ad ventriculum integrum sanumque. Sed pace tua, mi *Schoocki*, Hippocrates de sanis loquitur, illorumque ventriculo, sicut manifestè indicant textus præcedentes: Inquit enim: Quod non minores afflictiones ab intempestiva vacuatione, quam à repletione hominibus contingant, probe disce-

discemus, si in sanis (ὑγιαίνοντας) rem expendamus. Declaraturus enim, ut explicatione *P. Martiani* utar, Hippocrates hoc axioma, non minus ægrotantes ab intempestiva evacuatione lædi, quam ab incongrua repletione, illud sanorum exemplo demonstrat, qui, si à consueta diæta recedant, manifestè læduntur, tam scilicet qui plus solito assumunt, quam qui minus. Igitur de sano ventriculo loquitur *Cous* noster, ut ex illo argumentari possit ad ægrotum. Nec mens *Hippocratis* est, ventriculum male affici, quod sit ἐζυμωμένη. sed quod fermentato, h. e. in actione fermentationis nativa naturaliter occupato, cibus novus priore nondum concocto superaddatur. Naturalis enim illi est fermentatio & effervescentia, sed præter naturam & ventriculi etiam commodum, repletio nimia, vel inanitio. Ita & Interpretes omnes mecum sentiunt. Doctissimus *Zuingerus* in Notis, læsiones ventriculo sano accidere docet, non ob fermentum, sed vel repletione, quia cibo priore nondum concocto alium superingessit, vel inanitione, quia cibo prioro jam absumpto, alimentum corpori non suppeditavit. Supra laudatus *Martianus* pro *Hippocratis* hoc controverso loco illustrando, hanc conclusionem deducit:

Consuetæ diætæ permutatio homines sanos lædit, Ergo multò magis ægrotantes. Consequentia probatur: Sanorum hominum, qui à præfata mutatione læduntur, si magis offenduntur, qui debiles sunt, quam robusti, sed ægrotantes proximiores sunt debilioribus corporibus, Ergò hi etiam magis offenduntur, &c. Ut constet communi consensu, apud *Hippocratem* ventriculos sanos dici fermentatos, hoc est fermentantes, ut explicat *Foesius*, quo etiam judice, fermentari cibi dicuntur, qui ad concoctionem præparantur & subiguntur, dum calore agitantur, & permixta multa materia flatuosa attolluntur ac intumescunt. Hunc & mihi & ex parte quoque Tibi faventem ideò adduco, ut fermentationis necessitatem ex *Hippocrate* à me defensam videas, & fermentationis explicationem sine fermento pro Te interpreteris. Reliqua non vacat expendere, quæ rara eruditione de Fermentatione immortalibus chartis consignasti: Solo *Hippocrate* jam ergo contentus, & tua amicitia, quæ sincera est prorsus sine fermento, sine bile. Non dubito quin videris quæ nuper de Fermentatione Wittebergæ edidit *Martinus Kergerus* Medicus Lignicensis eruditus. De Sternutatione & Butyro quæ promittis, avidè expectamus, ubi-

ubique enim Polyhistor regnas. Vive igitur diutissime, Reip. literariæ emolumento, meque amare ne cesses, qui Totus sum Tuus

Hafn. 21. Nov. 1663. Th. Bartholinus.

EPISTOLA XCVIII.

De curatione fœdi profluvii alvi.

Thomæ Bartholino Hafniam.

POstremam tuam accepi propria manu nostri *D. Biermanni*, cui paucis ecce respondeo. Laus sit Deo Opt. Max. quod vivas & valeas: utinam in multos annos. Febrifugus ille pulvis multos fefellit, nec vera esse possunt quæ de illo mentiuntur & impune fingunt tot nebulones mercurio addicti, nempe Seplasiarii, pharmacopœi, chymistæ, Loiolitæ, & alii lucripetæ, qui hoc unum agunt & student, ut aliquem decipiant novitatis suæ studio, & rem agant pro modulo virium: mihi tamen nunquam imposuit istud figmentum, utpote qui à novitatibus abhorreo, æquè ac à fraudibus & imposturis Artis, quæ sunt hodie multi-

plices. Hic habemus novum ac eruditum librum Cl. Viri *Sam. Bocharti*, de Animantibus sacræ scripturæ intra mensem, alterum speramus æquè bonum, nempe *Diogenem Laërtium* cum notis & Commentariis variorum eruditorum. Hic habemus nobilem Danum *D. de Rosecrantz* periculosè decumbentem, ex diaphthora pulmonis & atonia hepatis, cum fœdo & fœtido alvi profluvio, lentaque febre, quæ vires ejus ex diuturni morbi contumacia languidas miserè atterunt: ex arte & methodo multa illi fuerunt adhibita remedia: sed *nihil author Apollo subvenit*. Consultores habui viros peritissimos *Petrum Hommets* & *Paulum Courtois*, nec quidquam profecimus:

Cessere Magistri,
Phyllirides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Vale & me ama. Amicos omnes tuos resaluto. Parisiis die 13. Aug. 1663.

Tuus ad omnia
Guido Patin.

ITerum ad Te scribo, ut scias D. Vestrum *Rosencrantz* melius habere. Ex consilio optimorum virorum, quos mecum ad ejus curationem adhibui, nempe *P. Hommets*, & *P. Courtois*, utitur lacte asinino horis matutinis,

tinis, & bellè procedit: exquisitam servat victus legem; aliquando repurgatur ex decocto cichorac. cum paucis foliis & Syr. de Cichorio compos, cum rheo: facilius capit somnum, dejectiones crassescunt, melius quam ante hac se habet ad ea quæ offeruntur: Collegæ mei, ambo peritissimi, de morbo melius sperant: libere dicam & verè: *Si Pergama dextra defendi possent, etiam hac defensa fuissent.*

Tandem igitur convalescit Dei Opt. Max. opera, cum *Hippocrat. & Galeno*, manu Medica, Phœbique potentibus herbis: per aphorismos Hippocratis, & divinam Galeni methodum. Fuit illi secta vena, fuit repurgatum corpus sæpiuscule, usus est lacte asinino & caprillo. Hesterna die illi valedixi, proxime rus abituro ad neoterismum tibi procurandum, per aëris & loci mutationem: quod illi spero summè profuturum. Utinam per Te habeamus *Corn. Celsum Jo. Rhodii*: age igitur & seriò cogita de ejus editione, ad quam seriò suscipiendam Te supplex invito, & hortor ex animo. Utinam Deus Opt. Max. ad hoc Tibi firmam valetudinem & animum idoneum indulgeat. Adhuc expecto *Th Fienum* de signis Morborum Lugduni nuper editum. Tuos Fratres, Te & Tuam saluto, cum liberis, si qui sint. Vale igitur Vir Cl.

& me, quod facis, amare perge. Optimum Virum saluto, Cognatum tuum, *D. Wormium*, cui utinam aliquo modo utilis esse possim. Parisiis die Veneris 7. Sept. 1663.

Tuus ex animo

Guido Patin.

EPISTOLA XCIX.

De Thoracis & abdominis communione.

GUIDONI PATINO Parisios.

RECtè tuas suavissimas literas tradidit Amplissimus D. *Biermannus*, cum fasciculo librorum selectissimorum, pro quo & Tibi & filiis Tuis Clarissimis, inprimis Dn. *Carolo Patino*, quem olim in Collegio Præleo Bellovaco juvenem audivi ingeniosè disputantem, sicut *Cent*. 1. *Epist*. 37. ad *Walæum* scripsi, gratias ago amplissimas. Felicem Te prædico, Vir Magne, quod & propria & Clarissimorum filiorum famâ inclarescas. Ne ingratus sim, remitto pro libris libros, nec mole tamen, nec pretio pares, tales tamen, qui ex officina nostra non ita pridem prodierunt, Epistolarum mearum

mearum Centurias duas primas, diatriben de Pulmonibus, *Bagnii* noſtri Cœlum Orientis, *Vindingii* pariter noſtri Diatriben de Lingg. Græc. & Ægypt. affinitate, *Jac. Henr. Paulli* Anat. Profeſſoris Anatomiam Bilſianam, & alia, quæ æqui bonique conſules, ab amico animo & grato profecta. Gaudeo, quod Artis divinæ felicitate Nobiliſſimum *Roſencrantzium* ex orci faucibus eripueris, cui ea propter ut alteri Æſculapio gallus debetur. Quomodo pulmonibus abdominis vitia communicentur, ex Te malim diſcere quam ariolari. Communes vias novi. De alia ξύῤῥοία an ſit cogitandum, neſcire cogor. *Merletus* veſter, puris in tuſſientibus exſcreatum ex inferioribus deducit, ſed vias ignorat. In avibus res eſſet expedita, in quibus pervius commeatus inter thoracem infimum patet. An ſimilis in homine ſit, Deus novit. Necdum enim hæc ſacra tradita ſunt. Eleuſis ſervat, quod oſtendat reviſentibus. Dyſenteriam cum febre & marcore vidit *Ballonius* veſter l. 2. Eph. ſed ſanare non potuit. Et in *Ludovico* XIII. Rege veſtro Chriſtianiſſimo, fluxu purulento tabeſcente, obſervavit *Lyonnetus* de Morb. Hæred. p. 79. pulmonem in purulentiam abiiſſe, hepar exſuccum, meſenterium &

colum

eolum pure diffluisse. Felicius cum Rosencrantzio nostro actum gaudeo, nec mirari possum, quia Te Medico usus est, cui tot in orbe salutem suam debent mortales. Deus tantum nobis orbique diu servet Æsculapium. Illustris Parens *Rosencrantzius*, Musarum Fautor & Amor, renatus sibi videtur, quia à limine mortis revocatum filium paternæ indolis & virtutis, tua opera lætus intellexit. Hisce vale, Vir summe, & me semper tuum semper ama. Officiosè saluto Clarissimos Tuos filios, & Collegas. Raptim Hafniæ 30. Sept. 1663.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA C.

De calculi sectione ficta & vera.

CHRISTIANO FOSSIO Lundinum.

COnvenerat ita nuper inter nos, cum jucundo sermone in ædibus utriusque affinis Scaveni jungeremur, ut Raousi Lithotomi Catastrophen Tibi per literas indicarem.

dicarem. Stabo promissis, & quia multis nominibus Tibi obstrictum me fateor, rem totam enarrabo. Nobilissimus noster *Hugo Lutzow* è Gallia redux & à Lithotomo *Raoux*, quem fama sparsa commendaverat, sectus, calculum secum, exsectum nobis attulit, qui ovi gallinacei ferè æquabat magnitudinem. Hic verò reapse prorsus silex erat, è quo scintillæ excutiebantur, ut cotis vice esse potuerit. Unde non injuria dubitatum à multis, an supposititius esset, astu sectoris substitutus, quod impossibile sit talem in homine lapidem generari. Augebat suspicionem, quod adhuc calculum in vesica habeat, molestiamque aliquam sentiat. Ipsi tamen ægro nobilissimo persuaderi non potuit supposititium esse, quia lithotomum pro Viro bono æstimabat, & ipsi comites amici præsentes fuerant sectioni, levamenque statim finita sectione sentiit, quanquam jam alter calculus (quia duos calculos in vesica antea Lithotomus Amstelodamensis prædixerat) molestus sit, quem forsan majoris lucri spe in aliam occasionem reservaverit Raousius. Ita sibi blandiri volens æger pro Lithotomi fide pugnabat, miramque hujus in secando dexteritatem deprædicabat, quod celerrimè sine apparatu majore sectionem per-

perfecerit. Ego monitus à Medico Amſtelodamenſi exercitato & erudito *Paulo Barbette*, ſucum ſubeſſe, & impoſtorem Raoux alios eodem modó deluſiſſe, levique vulnere ad os pubis inflicto calculum ſuppoſuiſſe, judicium diſtuli, donec Medicis & Chirurgis Pariſienſibus artis ſuæ dexteritatem in aliis calculoſis probaſſet. Habebam quidem ſimilis duritiei calculum in Muſeo ex veſica humana ſectum, ſed an hic quoque falſus ſit, pro certo affirmare non potui. In his enim aliisque ſtamus donantium fide & relatione, quam *ſine* offenſa in dubium vocare non audemus. Hinc quanquam ad examen rigidius exigamus, verè tamen Stoicorum Princeps, nunquam apertius quam coram Catone peccatum eſſe. Interea certa documenta Pariſiis afferuntur, Raouſium artis ſuæ diffidentia, ut publicum ſupplicium evitaret, clam ſe ſubduxiſſe, & peccata artis artifici fuiſſe pudori. Tandem igitur reapſe edoctus nobiliſſimus æger noſter, aucto in dies ſingulos veſicæ calculo, qui exemptus credebatur, relicta de Raouſio ulteriori ſpe, Pariſiis Chirurgo & Lithotomo ſolertiſſimo *Franciſco Collott* ſe commiſit, qui ſine fuco duos calculos, diverſæ à Raouſianis conſiſtentiæ, felici ſectione extraxit,

quorum

quorum major Uncias duas & drachmas septem, minor duas Uncias & totidem drachmas pendebat. Hujus nuntii læti per Generosum *Lutzovii* socerum Dn. *Georgium Rosencrantzium* Regium Academiæ Soranæ Præsidem mihi allati Te participem facere volui, ut mecum imposturas Artis detesteris, & impensè gaudeas, optimum ægrum torturam & calculi & impostoris evasisse. Scripsit ad me laudatus supra *Barbettius*, posse eos, quorum interest, Regiâ cumprimis intercedente Auctoritate, de recuperandis nummis cogitare, & horrendam hominis malitiam refrenare. Cæterum, quia clanculum se subduxit, erroremque fuga fassus est, ignominia ipsum se mulctavit, & bonæ fortunæ auxilio pœna, neutiquam metu liberatus. Mala quippe facinora hujusmodi medentium, conscientiâ flagellantur, qui in eo maximè miseri sunt, quod sponsoribus securitatis suæ non possint credere. Ita splendidus ille Cystotomus abiit, excessit, evasit, erupit. An postliminio rediturus, dies docebit. Utinam cordatis Medicis & bonis Viris majus statuerent pretium mortales, qui bonâ conscientiâ tuti, prodire volunt & conspici. Alia in arte nostra curiosa recensere nolo, ne Tibi in medicina magno, etiamsi maximis

ximis

ximis comparemus, sim molestus. Aliàs ad hæc quoque excurram, quæ utriusque otii oblectamenta sunt. Vale, mi Affinis, cum lectissima Conjuge, & in artis gloriam feliciter vive. Hafn. 20. Jul. 1664.

T. T.

Th. Bartholinus.

INDEX

INDEX RERUM
RARIORUM
in
Centuria Quarta Epiſtolarum.

A.

D.

Hyda-

L.

Lustra-

Pauca, quæ inter legendum occurrerunt typothetæ sphalmata, Benevolus Lector hoc modo corriget.

In CENTURIA I.

Pag. 11. *lin.* 3. *dele* ex
---- 13. ---- 16. *lege:* nos non rarò
---- 16. ---- 1. *lege:* publicum misisti,
---- 24. ---- 12. *lege:* à Card.
---- 52. ---- 1. *lege* dicuntur, nisi solâ

In CENTURIA IV.

Pag. 176. *lin. penult. lege:* allii esu
---- 199. *lin.* 19. *lege:* Vopiscum

Reliqua committuntur Lectoris Humanitati, quam demereri voluit Bibliopola, omnem impendens operam, ut emaculatior, cætera verbum de verbo expressus prodiret textus, qualem olim Daniæ Æsculapius evulgavit.

IV. SUITE DU CATALOGUE DES LIVRES

Qui se trouvent chez *Pierre Gosse*, Libraire à la Haye.

ACta Sanctorum Ordinis Sti Benedicti in Seculorum Classes distributa. Anno Christi D. ad DCCC. collegit Dom. L. D'Achery Congregat. Sti Mauri, ac cum eo edidit D. Mabillon, *fol.* 6 *vol. Venetiis* 1733.

Alethei (*Theophili*) Polygamia Triumphatrix, id est, Discursus Politicus de Polygamia. 4. *Lond.* 1682.

Alpini (*Prosperi*) de Præsagienda vita & morte ægrotantium Libri Septem, cum Præfatione Boerhaave. 4.

Apis Libani circumvolitans Flores in Horto Salomonis sive commentaria in caput decimum Proverbiorum. fol. *Lugd.* 1701.

Apicius Cœlius de Arte Coquinaria cum notis

notis Lister & Variorum. 8. *Amst.* 1709.

Idem Charta Majore. 8. *Amst.* 1709.

Aurelii Victoris Historia Romana cum notis Variorum, curante Arntzenio. 4. *Amst.* 1733.

Atlas du Cour du Danube, fol. fig. à la Haye 1740.

Amusemens de la Hollande, 8. 2 vol. Haye. 1739.

——— *de la Campagne, de la Cour, & de la Ville.* Nouvelle Edition, 12. 12. *vol. Amst.* 1739.

——— *Les Tomes* 7. 8. 9. 10. *separés ibid.* 1739.

——— *du Beau Sexe*, 12. *à la Haye*, 1740. 2 *vol.*

Anecdotes Jesuitiques, ou Le Philotanus Moderne, 12. 3 vol. Haye 1740.

Avantures d'Ariste & de Tesalie, 12. Amst. 1732.

B.

Bayeri de Horis Sinicis & Cyclo Horario Comment. Ejusdem Parergon Sinicum de Calendariis Sinicis. 4. *Petropoli* 1735.

Basilicæ Vaticanæ Descriptio. *Romæ* fol. 1646.

Barbosæ (Augusti) Opera Omnia. 20 *vol.* fol. *Venetiis* 1735.

Bayeri

Bayeri Historia Regni Græcorum Bactriani. 4. *Petropoli* 1738.

——— Museum Sinicum. 8. 2 vol. fig.

Le Blanc commentarius in Psalmos. fol. 6 vol. *Colog.* 1697.

Basnagii Annales Politico - Ecclesiastici. fol. 3 vol. *Rott.* 1706.

Bartholini (Thomæ) Epistolæ Medicinales, 8. 4 vol. Hagæ Comit. 1740.

Begebenheiten von Azoph, wie selbiges lange vor Christi Geburth von den Griechen erbauet uud bewohnet worden, welche Völcker es sonsten zu verschiedenen Zeiten besessen &c. und wie es endlich von Rußland wieder erobert worden. in einem kurtzen Zusammenhange verfasset. 8. *St. Petersburg.*

Bellini (Laurentii) Opera Omnia Hetrusca, Germanica & Hollandica auctiora & locupletiora. 4. *Venet.* 1732.

Belii Hungariæ Antiquæ & Novæ Podromus. fol. 1723.

——— Notitia Hungariæ Novæ Historico-Geographica. fol. 4 *vol Viennæ*, 1735.---1740.

——— tom. 4tus separatim.

Biblia Hebraica sine Punctis, Leusdeni. 12. *Amst.* 1701.

Boerhaave Praxis Medica & Historia plantarum 12. 7 *vol. Londini* 1738.

Boer-

Boerhaave Methodus Discendi artem Medicam 12. *Londini* 1734.

Boyle Opera Omnia. 4. 3 *vol. Venetiis* 1696.

Bocharti Opera Omnia. fol. 3 *vol. Lugd. Bat.* 1707.

Boucat (Antonio) Theologia Patrum Dogmatico-Scholastico-Positiva. 4. 8 *vol. Venetiis* 1736.

Bugnyon Legum Abrogatarum & Inusitatarum Liber. fol. *Brux.*

Buchanani Opera Omnia curante Rudimanno, cum præfatione P. Burmanni. 4. 2 *vol. Lugd. Bat.* 1725.

Buxbaum Plantarum minus cognitarum Centuria 1. 2. 3. 4. complect. plantas circa Byzantium & in Oriente observatas. 4. *Petropoli* 1728.

Buxtorfi Lexicon hebraicum & chaldaicum. 8. *Basileæ* 1735.

Petri Burmanni pro Litteratoribus Grammaticis Oratio. 4.

Bullarium Magnum Romanum. fol. tom. XI. XII. XIII. XIV. sive continuatio pars V. VI. VII. VIII. *Luxemburgi*, 1739.--- 1740.

La Sainte Bible de Me. Guion. 8. 20 vol. Cologne 1715.

La Sainte Bible traduite sur les textes ori-

ginaux

ginaux avec les Differences de la Vulgate. 12. Cologne 1739.

Bibliotheque Univerſelle des Hiſtoriens, par Du Pin. 4. Amſt. 1708.

C.

CAneparius de Atramentis cujuscunque generis. 4. *Rott.* 1718.

Camerarii (Eliæ) Syſtema Cautelarum Medicarum. 4. *Francfort.* 1721.

Calmet Commentarium Litterale Veteris & Novi Teſtam. fol. 9 *vol.* *Venetiis* 1730.

Catullus (Cajus Valerius) in integrum Reſtitutus ex Manuſcripto nuper Romæ reperto & ex Gallicano, Patavino, Mediolanenſi Romano, Zanchi, Maffei, Scaligeri & aliorum. Critice Joan. Fr. Corradini de Allio in interpretes Veteres recentioresque, Grammaticos, Chronologos, Etymologos, Lexicographos, cum vita Poëtæ nondum edita. fol. *Venetiis* 1738.

Calmet Brevis Chronologia. 8. *Venetiis* 1707.

Capelli [Angello] Aſtrophia Numerica ſive Aſtronomica ſupputandi ratio. 8. *Venetiis* 1737.

Calmet Dictionarium St. Scripturæ. fol. 2 *vol.* *Venetiis* 1734.

Ceſare

Cesare (P. M. Amedeo de) Hæresceologia, in qua omnes errores Hæresesque refutantur. *fol.* 3 *vol. Romæ* 1736.

Caraccio (Annibali) Arte di Bologna. *fol. fig.*

Canzii Disciplinæ Morales omnes. 8. *Lipsiæ* 1739.

Conringii de Antiquitatibus Academicis Dissertat. Septem. 4. *Gottingæ* 1739.

Conti Prose e Poësie. 4. in Venezia 1739.

Campianus de Officio & Potestate Magistratuum Romanorum. 4. *Genevæ* 1725.

Cellarii (Christ.) Orthographia Latina ex vetustis monumentis. 8. *Venet.* 1732.

Ciceronis Orationes. 8. 1 *vol. Patavii* 1729.

Clerici Opera Philosophica. 12. 4 *vol. fig. Amst.* 1722.

Collectio Dissertationum Rarissimarum Historico-Philologicarum ex Musæo Grævii. 4. *Ultr.* 1716.

Collectanea Antiquitatum Romanarum, quas centum Tabulis æneis incisas & a Rodulphino Venuti Academico Estrusco Cortonensi notis Illustratas exhibet Borioni. *fol. fig.*

Coronelli (Vincenzo) Bibliotheca Universale Sacro-Profano-Antico-Moderna. *fol.* 8 *vol. in Venezia* 1701.

Commelini Præludia Botanica ad Publicas

planta-

plantarum exoticarum Demonſtrationes. 4. *fig. Lugd. Bat.* 1703.

—— Horti Medici Amſtelodamenſis Plantæ Rariores & exoticæ ad Vivum æri inciſæ. 4. Lugd. Bat. 1706.

Commentarius Academiæ Petropolitanæ. 4. 6 *vol. Petropoli* 1728.

Colloquia Scholaſtica. 8. *Petersburg* 1738.

Corradi (Davids Arnoldi) Cryptographia denudata, ſive Ars deciferandi. 8. *Lugd. Bat.* 1739.

Crenii Muſeum Philologicum & Hiſtoricum. 8. *Lugd. Bat.* 1709.

—— Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum pars XI. ad. XIX. 8. *Lugd. Bat.* 1703.

Caractere Naturel des Hommes. 12. Haye. 1692.

Catalogue Raiſonnée de Coquilles & autres Curioſités Naturelles. 12. Paris 1736.

Calendrier Eccleſiaſtique pour l'anné 1740.

Chanſons nouvelles ſur differens ſujets compoſées ſur des Airs connus. 12. *Amſt.* 1738.

Le Chriſtianiſme Raiſonnable, traduit de l'Anglois de Monſr. Locke, par Monſieur Coſte. 8. 2 vol. Amſt. 1740.

Contes à Rire & Avantures Plaiſantes de ce tems. 8. fig. Cologne 1702.

Connoiſſance des eaux Minerales d'Aix la Chapelle

Chapelle, de Chau, Fontaine, & de Spa, par Chrouet, 8 Liege, 1729.

Cours (nouveau) de Mathematique par Mr. Belidor, 4 fig. Paris, 1735.

Cour (la) de St. Germain, ou les intrigues galantes du Roi & de la Reine d'Angleterre depuis leur ſejour en France, 12 1695.

D.

Diogenis Laërtii de Vitis, Dogmatibus & apophtegmatibus Clarorum Philoſophorum Libri X. Græce & Latine cum annotationibus Caſauboni & aliorum 4 *Amſt.* 1692.

Donati Roma Vetus ac Recens Utriuſque ædificiis Illuſtrata, 4 *Amſt.* 1695.

Defenſe de la Religion tant Naturelle que revelée contre les Infideles traduite de l'Anglois, par Monſieur Burnet 8 tome ſecond. Haye, 1740.

Deſcription Hiſtorique de Dunkerke, fol. 2 vol. fig.

—— *& Uſage d'un Cadran ſolaire Univerſel composé par Iſaac Bruckner*, 4 Petersburg. 1735.

Delices de la France, 8. 3 vol fig. Leide, 1728.

Deſcription de l'Egypte, composée ſur les

Memoires de Monsieur Maillet, par le Mascrier, 2 vol. 12 fig. 1740.

Discours Historiques, Critiques, Theologiques, & Moraux sur les Evenemens les plus remarquables du Vieux & du Nouveau Testament, par Monsieur Saurin, 8. tom. 9. 10. & 11. Haye, 1739.

——— *Lu dans l'assemblée Publique de l'academie des sciences le 2 Mars 1738. par Monsieur de Lisle, avec la Reponse de Monsr. Bernouille* 4. à Petersbourg 1728.

Dictionaire Historique & Critique de Mr. Pierre Bayle, fol. 4 vol. Nouvelle Edition considerablement augmentée Haye, 1740.

——— (*Suite du*) *de Monsieur Pierre Bayle, traduite de l'Anglois avec des augmentations considerables* 4 vol. fol. actuellement sous presse.

——— *Des sciences & des Arts traduit de l'Anglois de Chambres avec des augmentations considerables* 4. vol. folio actuellement sous presse.

Dialogue entre Messieurs Patru & d'Ablancourt, sur les Plaisirs, 2 vol. 12. Amst. 1714.

Dictionaire Geographique Universel tiré du Dictionaire Geographique Latin de Baudrant, 4 Utrecht 1712.

Dictio-

Dictionaire Historique, *de Monsieur Morery*; *nouvelle Edition considerablement augmentée* fol. 8 vol. Haye 1740.

Discours sur l'Emploi du Loisir, 8. Paris; 1739.

Dictionaire Geographique & Critique par M. Bruzen la Martiniere fol. tom. 9 V. U, W. X. Y. Z. Haye, 1739.

E.

St. EPhraim Syri Opera Omnia Græce, syriace, Lat. fol. tom. 1. & 2. *Romæ*.

Erasmi colloquia cum notis variorum, 8. *Lugd. Bat*. 1729.

Ettmulleri Opera Omnia. Editio Novissima Veneta, Lugdunensi, Francofortensi & Neapolitana emendatior & locupletior omnium completissima cum integro Textu, fol. 5 *vol. Venetiis*, 1734.

——— Compendium Medicinæ Universæ, 4. *Venetiis*, 1727.

Elementi di Matematica ne quali sono con Megliori Ordini de Corsini, 8. *in Venezia*.

Examen desinteressé des Differens ouvrages qui ont été fait pour Determiner la Figure de la Terre 12 à Oldenburg 1738.

Essai sur le siecle de Louis XIV. par Voltaire, 8 Amst. 1739.

F.

FArinacii Opera omnia, fol. 12 *vol.*

Il Falconiere di Jacobo Augusto Tuano, 4. *Venezia*, 1735.

Fantonus de Thermis Valderianis, 8. *Genevæ*, 1727.

Faria additiones, Observationes, & notæ ad Libros variarum Resolutionum Ill. Covarruvias, fol. 3 *vol. Genevæ*, 1736.

Ferrarii Lexicon Geographicum, fol. 2 *vol. Venetiis*, 1738.

Freind [Joannis] Opera Omnia, commentarii novem de Febribus, de Purgantibus in secunda Variolarum confluentium Febre Epistola Prælectiones chymicæ, Emmenologia. 4. *Venetiis* 1733.

Ferrarii de Florum cultura Libri IV. 4. *Romæ* 1633.

——— id. en Italien 4. 1638.

Flavii Josephi Opera Omnia Havercampii Gr. & Lat. fol. 2 *vol. Amst.* 1726.

Forbesii Opera Omnia, fol. 2 *vol. Amst.* 1703.

Fleury Histoire Ecclesiastique, 12 tom. 35 & 36. Brux, 1740.

Fortification Nouvelle ou Recueil de differentes manieres de Fortifier en Europe, composé par Monsr. Pfeffinger, 8. La Haye, 1740.

G.

G.

GAttula Historiæ Abbatiæ Cassinensis per sæculorum seriem Distributa cum accession. ad Historiam, fol. 4 *vol. Venetiis*, 1733. & 1734.

Gaffarelli Curiositates Inauditæ, 8. 2 *vol. Hamb.* 1678.

Gavantii Thesaurus Sacrorum Rituum 4. 4 *vol. Romæ* 1736. & 1738.

Gaukes Dissertatio de Medicina ad Certitudinem Mathematicam evehenda, 8. *Amst.* 1712.

Gersonii Opera Omnia, fol. 5 vol. *Antw.* 1706.

Giornale de Litterati d'Italia, cum suplementis, 43 *vol. Venezia* 1710. & seq.

Godoy Opera Theologica in Divum Thomam. fol. 7 *vol. Venetiis*, 1696.

Gonet Glypheus Theologiæ Thomesticæ, fol. 5 *vol. Antw.* 1725.

Grandi Flores Geometrici, 4. *Florentiæ*, 1728.

——— Epistola de Pandectis, 4. *ibid*, 1737.

——— Geometrica Demonstratio Theorematum Hugenianorum 4. *ibid.* 1701.

——— Geometrica Demonstratio Vivianeorum problematum 4. ibid. 1699.

Gruteri Lampas sive Fax Artium Libera-

 lium,

lium, hoc est, Thesaurus Criticus, fol. *Florentiæ*, 1737. *tom. secundus.*

Grivelli Decisiones Celeberr. Sequanorum senatus Dolani, fol. *Divione* 1731.

Gran Theatro delle Piu insigni prospective di Venezia 2 vol. fig. carta grande.

Gratioli Dissertatio de ædificiis Mediolani, 4. *Mediolani*, 1735.

Guiccardini (Francesco) Istoria d'Italia, fol. 2 vol. Venezia, 1738.

H.

HIstoria Vitæ Jacobi Arminii auctore Casparo Brantio. accedunt H. Grotii & Dom. Baudii in Arminii Obitum Epicedia, 8. *Amst.* 1724.

Heisteri de Cataracta, Glaucomate & Amaurosi, 8. *fig. Altorf.* 1739.

Heisen [Henrici] Novæ Hypotheses interpretandæ felicius Epistolæ Jacobi Apostoli Septem & Viginti Dissertationibus adsertæ authore 4. *Bremæ.*

Hugo Sacræ Antiquitatis Monumenta Historica Dogm. Diplomatica, fol. *Offenb.* 1732.

Hugenii [Christiani] Opera Varia. 4. 2 *vol. fig. Lugd. Bat.* 1724.

——— Opera Posthuma, 4. 2 *vol.*

Histoire de la Vie du Marquis d'Ozane ou ses avantures, ouvrage tiré de ses propres Memoires. 12. 2 vol. Amst. 1740.

Histoire

Histoire Civile du Royaume de Naples traduite de l'Italien de Giannone, avec des notes & augmentations de l'autheur, 4. 4 vol. fig actuellement sous presse.

——— *de France depuis l'Etablissement de la Monarchie Françoise dans les Gaules. par le P. Daniel*, 12. 16 vol. actuellement sous presse.

Histoire Physique de la Mer en Hollandois fol. fig. Haye 1740.

Histoire de la Medicine depuis Gallien, jusqu'au commencement du Seizieme Siecle, par J. Freind. 4. Leide 1727.

——— *des Celtes avec des Notes, par Monsieur Pelloutier*, 12 La Haye, 1740.

——— *de la Guerre de Flandres de F. Strada trad. par du Rier*, 12 6 vol. Lyon, 1676.

——— *du Prince François Eugene de Savoye*. 8. 5 vol fig. Amst. 1739.

——— *d'Auguste second Roi de Pologne, par la Martiniere*, 8 Haye 1739.

Histoire du Roi de Campanie & de la Princesse parfaite, 12 Paris, 1736.

Heros Chrétien par le Chevallier R. Steele traduit de l'Anglois par M. A. de Beaumarchais, 12. Haye, 1729.

L'Homere Travesty ou l'Iliade en Vers Burlesques, 12. 2 vol. fig. Paris, 1716.

I.

INtroduzzione alla ſcienza della Antichita Romane de Luigi Vaſlet 8 *in* Venezia, 1738.

Introductio ad Notitiam Rerum Naturalium & Arte factarum, quarum in communi vita ſed præcipue in Medicina uſus eſt. Per alphabeti ordinem digeſſit J. C. Rieger. 4. 4 *vol. Actuellement ſous preſſe.*

Juſtis [Vincentii de] Tractatus de Diſpenſationibus Matrimonialibus in tres Libros Digeſtus. fol. *Venetiis*, 1739.

Juriſprudentia Romana & Attica, continens varios commentatores, qui jus Romanum & Atticum item Claſſicos aliosque auctores veteres emendarunt, explicarunt, illuſtrarunt. cum Præfatione Heineccii, fol. tom. 2. *dus Lugd. Bat.* 1739.

Iuvenalis & Aulii Perſii Satyræ, 24. *Amſt.* 1735.

Intrigues Monaſtiques ou l'Amour Encapuchonné, Nouvelle Eſpagnolle Italienne & Françoiſe. 12. La Haye, 1739.

K.

KEyſſer Antiquitates ſelectæ Septentrionales Celticæ 8. *Hanoveræ*, 1720.

Kempis de Imitatione Chriſti. 32. en Eſpagnol.

Keilii (Jacobi) Tentamina Medico-Phyſica quin-

quinque. 1. de Sanguinis quantitate, 2. de Velocitate Sanguinis, 3. de Vi Cordis ſanguinem per totum corpus propellendi 4. de ſecretione Animali, 5. de Motu Muſculari, *Lugd. Bat.* 1730.

L.

LAngii Opera Omnia Medica Theoretico-Practica, fol. 3 *vol. Lipſiæ*, 1735.

Lazii Opera Hiſtorica, fol. 2 *vol. Antw.* 1698.

Laderchi Annales Eccleſiaſtici, Tom. 22. fol. 23. 24. *Romæ*, 1723. *& ſeq.*

Leurenii Forum Eccleſiaſticum, in quo jus Canonicum univerſum, fol. 4 *vol. Venetiis*, 1729.

Leighii Critica ſacra. fol. *Amſt.* 1696.

Lettere Apologetiche del Padre Vitale Marzi, 4. 1733.

Leveræ Podromus Univerſæ Aſtronomiæ Reſtitutæ. fol. *Romæ*, 1663.

Libanii Sophiſtæ Epiſtolæ Græce & Latine cum notis Wolfii, fol. *Amſt.* 1738.

Liebe Gotha Nummaria, fol. *fig. Amſt.* 1730.

Lohner Bibliotheca Manualis concionatoria, *fol. 6 vol. Venetiis* 1738.

Lucani (M. Annæi) Pharſalia Sive de Bellis Civilis Libri Decem curante Oudendorpio, & cum notis Variorum, 4. *Lugd. Bat.* 1725.

Lucretius Carus de Rerum Natura cum Notis Variorum. curante Havercampio. 4 *Lugd Bat.* 1725.

Lettres sur la Religion Essentielle à l'Homme Distinguée de ce qui n'en est que l'accessoire, 8. 4 vol. Lauzane, 1739.

Lettres Chinoises, 8. 2 vol. La Haye, 1739.

——— *du Comte d'Ostermann Ministre du Cabinet de Sa Majesté l'Imperatrice de toutes les Russies Chevallier de ses ordres au Grand Vizir de la Porte Ottomane le* 12. *Avril* 1736. *touchant les differens entre ces deux cours traduite de l'Original Russien.* 4.

Lexicon (Deutsch Lateinisch und) Ruszisches samt denen anfangs Gründen der Russischen Sprache zu Allgemeine nutzen bey der kayserl. Acad. der Wissenschaften zum Druk befordert 4 Petersbourg. 1731.

Lettres Provinciales de Louis de Montalte, tom. 4. 8. Amst. 1739.

——— *de L'Evêque de Soissons sur les promesses faites à l'Eglise*, 12. Amst. 1738.

M.

MAgati (Cæsaris) de Rara Medicatione vulnerum seu de vulneribus raro tractandis Libri duo 4. Lipsia 1733.

——— idem fol. *Venetiis* 1676.

Mazini Mechanice Morborum desumpta à Motu Sanguinis Boschetti Disser-

Dissertatio de salivatione Mercuriali Physico - Medico - Mechanica. 4. *Parisiis* 1731.

Mastrius de Meldula in quatuor Libros sententiarum, fol. 4 *vol.* V*enetiis* 1719.

Magnol Hortus Regius Monspeliensis, sive Catalogus Plantarum quæ in Horto Regio Monspeliensi Demonstrantur. 8. *fig. Monspelii* 1697.

Malpighii Opera Posthuma, 4. *Amst.*

Menga Flagellum & Fustis Dæmonum. 8. 2 *vol.*

Meulen (van der) Dissertatio de Origine & Progressu juris Civilis Romani. 8. *Ultr.* 1721.

Michalorii Opera Juridica, fol. V*enetiis* 1736.

Montfaucon Bibliotheca Manuscriptorum fol. 2 *vol. Parisiis*, 1739.

Musitani Opera Omnia Medico-Chirurgica, fol. 2 *vol. Venetiis* 1738.

Mynsicht Thesaurus & Armamentarium Medico-Chymicum 8. *Venetiis* 1718.

Maimbourg Histoire du Calvenisme & celle du Papisme. 12. 4 vol. Rott. 1683.

Maximes avec des exemples tiré de l'Histoires Sainte & Profane, anc. & Mod. pour l'Instruction du Roi, 12. 2 vol. Haye, 1740.

Methode pour Etudier l'Histoire par Monf. l'Abbé

l'Abbé Lenglet du Fresnoi, 12. 5 vol. fig. Amst.

—— *id. Le Catalogue des Historiens qui se trouve daus l'Edition de Paris en* 9. vol. 12. *que l'on avoit omis dans celle d'Amsterdam ci-dessus, qui rendra cette Edition aussi complete que celle de* Paris 12. *sous presse.*

—— *Le suplement à la Methode pour Etudier l'Histoire*, 12. 4 vol. sous presse.

Memoires pour servir a l'Histoire du Port Royal par Mr. du Fosse, 12. Utrecht, 1739.

Memoires pour servir a l'Histoire de Charles XII. *par Mr. Theyls*, 8. *Leide* 1722.

Du Moulin du Combat Chrétien, 12. Geneve 1666.

N.

N*Achricht von gezogenen* Büchsen *und Etliche rare anmerkungeun aus der academie der Weissenschaften in S. Petersbourg comm. tomo* 3 *und* 4 *Übersetzet vom authore J. C. Leutmann.* 4. 1733.

Neuer Zoll-Tarif wie Solcher auf allergnadigsten befchel Jhro Kayser. Majest. in Moscau den 2 *Aug.* 1731. *in Offentlichem Druck Russisch herausgegeben* 8. Petersbourg, 1731.

Newtonianismo per le Dame 4 Neapoli, 1737.

Notti Militari Overo Osservationi dio Varie Azioni di Guerra Fatte nei Tempi di Notte. 8. *in Venetia*, 1723.

Nuova Disamina della storia delle Pandette Pisane Opera di Bertolo Luccaberti, 4. 1730.

Numismata Pontificum Romanorum, *fol. fig.*

Les Nones Galantes ou l'Amour Embeguiné 12. La Haye, 1740.

Nouveau Recueil Choisie & Melé des Meilleures Pieces du Theatre François & Italien 8. 7 vol. La Haye.

Nicole Traité de l'Utilité de l'Eglise, 12. Luxemb. 1727.

O.

OInotomi (Joannis) Commentarius in Quatuor Libros Institutionum Imperialium Justiniani Imperatoris, *fol. Venetiis* 1701.

Offices Para la Missa, 32. en Espagnol.

Ovidius Knippingii, 8. 3 *vol.*

Observations sur une Piece Publiée par la Maison Electorale Palatine de Neubourg & par celle de Sultzbach sous le titre de vraye Exposition du Fait dans l'affaire de Juliers & contre la Maison Electorale & Ducale de Saxe, fol. 1739.

Oeuvres Diverses de Pierre Corneille, 12. Amst. 1740.

P.

PArerga Medica conscripta a Damiano Sinopeo 8. *Petropoli*,

Perzonii Opuscula, 8. 2 *vol. Lugd. Bat.* 1736.

Perezii Opera Varia, fol. 3 *vol. Venetiis* 1738.

Pathologie de Chirurgie, par J. B. Verduc, 12. 2 *vol. Amsterdam.*

Paysane Parvenue par Mr. Le Chevalier de M. 8. nouvelle Edition augmentée. 12 parties avec fig. Amst. 1740.

Pluvinel l'Instruction du Roi en l'Exercice de Monter à Cheval, *fol.* *fig.* Amst. 1666.

Portrait de Sa Majesté Imp. de toutes les Russies, Anne Joannowna à present Regnante.

—— *de Sa Majesté Imp. Pierre* I.

—— —— —— —— *Pierre* II.

—— —— —— *Catherine Alexiewna*

—— *de son Altesse la Princesse Anne.*

—— *D'Anne Petrowna Princesse Imperiale Duchesse de Sleswig Holstein.*

—— *d'Alexis* Mi*chaelowitz.*

—— *Charlotte Chrétienne Sophie.*

Principes de l'Histoire pour l'Education de la Jeunesse par années & par Leçons par L'abbé Lenglet du Fresnoi 8. tom. 6. sous presse.

Procez entre l'Espagne & la Grande Bretagne

gne ou Recueil des traitez, *Actes*, *Memoires*, *& autres Pieces concernant le demelé de ces deux cours & les Interest à regler dans le traité de Paix qui peut servir de suite au tom.* 13. *du Recueil d'actes par Mr. Rousset.* 8. La Haye. 1740.

Projet de la Mesure *de la Terre par* Mr. *de Lisle*, 4. Petersbourg. 1737.

Q.

QUixotte (*Dom*) *de la* Mancha, *vida y Hechos por* Miguel *de Cervantes*, 8. 6 *vol. belle Edition faite sur celle de Londres*, *avec des* Belles *figures actuellement sous presse.*

R.

RIposta del Padre Vitale *Marzi alle questioni Vallombrosane del Padre* Maestro *D. Fedele Soldani* 4. 1732.

Riverii Opera Omnia, fol. *Venetiis* 1713.

Rostgaart Deliciæ quorundam Poëtarum Danorum Collectæ. 12. 2 *vol. Lugd. Bat.* 1693.

Rumphii (Georgii Everhardi) Herbarium Amboinense plurimas complectens Arbores, Frutices, Herbas, Plantas Terrestres & Aquaticas, quæ in Amboina & adjacentibus reperiuntur Insulis, cura & studio Jo: Burmanni. fol. 6 *vol. cum plurimis fig. actuellement sous presse.*

Rymeri Foedera, Acta Publia, inter Reges Angliæ,

Angliæ, fol. tom. 1. & 2. *Hagæ Comit.* 1739.

Reflexions Morales de l'Empereur Marc Antonin. 12. 2 vol. Amst. 1740.

Relation d'un Voyage du Levant, *par Tournefort.* 4. 2 vol. fig. Amst. 1718.

Recueil Historique d'Actes, Negociations, Memoires & traitez. Par Monf. *Rousset.* 8. 13 vol. La Haye.

—— Idem 8. tom. 13. *Separé Haye* 1740.

R*ecueil de Divers ouvrages au sujet de la* Co*nstitution.* 8. *Utrecht.* 1740.

Reflexions M*ilitaires & Politiques du Marquis de St. Cruz.* 8. tom. 7 & 8. Haye 1740.

S.

SAggi *della Filosofia del signor Caval. Newton*, 4. in Venezia, 1733.

Sammlung Russicher Geschichte. 8. *Petersbourg.*

Sala Barbarina fol. fig. Elegantiss.

Schrevelii Lexicon Manuale Græco-Latinum & Latino-Græcum. 8. *Dresdæ* 1736.

L. Sectani Q. Fil. de tota Græculorum hujus ætatis Literatura ad Cajum Salmorium sermones quatuor. 4. *Genevæ* 1737.

Il Segretario Principiante ed instruito Lettere Moderne D. D. Issiodori Nardi. 12. *Venezia* 1737.

Ser-

Sermones in Primo & secundo solenni Academiæ, *fol. Petropoli.*

Siegesbeek (*Jo Georgii*) Botanosophiæ Verioris Brevis Sciagraphia, 4. *Petropoli*, 1737.

Studio d'Architectura Civile Opera pui Celebri Architetti de nostri Tempi publicata da Domenico de Rossi, *fol.* 3 *vol. cum Plurimis fig. Romæ* 1702. *charta Grande.*

Sermons de Mr. Du Fresne sur le jubilé de Berne, 4.

Systeme des Theologiens anc & mod. concilée par l'Exposition des differens sentimens sur l'Etat des Ames separées des corps 8. *Londres* 1739.

Solitaire Espagnol. 8. tome second Leide 1739.

T.

TAciti Opera ad Usum S. Delphini, 4. 4 *vol. Venetiis*, 1707.

Torica della Pittura Overo Trattato delle Materie piu necessarum per apprendre con Fondamento, 8. 1739.

Tertuliani (Q. Septimii Florentis) Apologeticus studio, & Industria Havercampi, 8. *Lugd. Bat.* 1718.

Tabacologia, hoc eſt, Tabaci Deſcriptio, 4. *Lugd Bat.* 1626.

Trattenimenti Matematici i quali comprendono copioſe Tavole Horarie per gli Orl Ologi a ſola per Tutte l'Altezze Polo e per tutte le ſort d'Hore, 4. Romæ, 1730.

Tillemont Hiſtoire des Empereurs, 12. *tom.* 6. Bruxel. 1740.

Traité d'Amitié & de Commerce entre l'Empire de toutes les Ruſſies & la Couronne de la Grande Brettagne, *conclu a St. Petersbourg* le 2. Decemb. 1734.

——— *Hiſtorique ſur les Amazones par P. Petit* 12. Leiden, 1718.

Tranſactions Philoſophiques de la ſocieté Royale de Londres, traduit de l'Anglois, 4. 3 vol. fig. Paris 1739. & 1740. *la ſuite ſous preſſe.*

——— *Idem* 4. *tom.* 3. *ſeparement* ibid. 1740.

Tuſculanes de Ciceron traduites par Mrs. Bouhiers *& d'Olivet avec des remarques*, 12. 3 vol. Amſt. 1739.

V.

VAterii Phyſica Experimentalis Syſtematica. 4. *Wittenb.* 1734.

Vail-

Vaillant ſermo de Structura Florum 4. *Lugd. Bat.* 1718.

Valcarengi Medicina Rationalis. 4. *Cremonæ*, 1737.

Veſlingii Obſervationes Anatomicæ & Epiſtolæ Medicæ ſelectæ & ab Bartholino Publicatæ, 8. *Hagæ Comit.* 1740.

Vida e Imperio de Leopoldo I. fol. 3 vol. Milan. 1734.

Vite de Pittori Antichi ſcrite e Illuſtrate da Carlo Dati, 4. in Firenza, 1730.

Virgilius Maſvicii, 4. 2 *vol. Leovardiæ* 1717.

Voet Commentarius ad Pandectas, fol. 2 *vol. Hagæ Comit.* 1731.

Varſovie Ridicule & autres Pieces nouvelle, 12. Londres, 1740.

La Vie & les ſentimens de Lucilio Vanini, 12. Rott. 1717.

Vie de Meſſire Felix Vialart de Herſe, 8. Utrecht. 1738.

Vie de Mr. Moliere, par Voltaire, 8. Amſt. 1739.

Vuë de St. Petersbourg, en 3. *Planches.*

Z.

Z*Inanni delle Uova e dei Nidi degli Uccelli Libro primo* 4. *in* Venezia, 1737.

Zana-

Zanolini Lexicon Hebraicum 4. *Patavii* 1732.

Zaulis (D. de) Obſervationes Canonicæ, Civilis Criminalis & mixæ non Solum ſtatutis Civitatis Faventiæ, ſed juri communi accomodatæ, 2 *vol. Romæ*, 1723.

F I N I S.

Le dit Pierre Goſſe, continuera de donner tous les trois mois une Suite de ce Catalogue tant des Livres, qu'il ſe fera procuré que de ceux qu'il aura imprimé.